Ioannis Calvini Opera quae supersunt omnia

Jean Calvin


יהוה
INSTITUTIO THEOLOGICA
Ps. CXIX
169.
JOH. XVII
17.
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

CORPUS
REFORMATORUM.

VOLUMINIS XXXVIII. PARS PRIOR.

IOANNIS CALVINI
OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMINIS X. PARS PRIOR.

BRUNSVIGAE
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
(M. BRUHN.)
1871.

Recd. Aug 7. 1876

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,
ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS
INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMINIS X. PARS PRIOR.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1871.

IOANNIS CALVINI

TRACTATUUM THEOLOGICORUM

APPENDIX.

CONTINENTUR HAC PARTE

(Asterisco notamus quae apud Bezam desiderantur)

PROLEGOMENA.

CAPUT LI.

DECRETA ECCLESIASTICA ACADEMICA CIVILIA.

Sub uno eodemque titulo comprehendimus varias constitutiones et leges quarum autor et promotor fuit Calvinus, de re publica omni ex parte bene ordinanda semper perquam sollicitus. Sane in politicis quae dicunt urbis negotiis non ubique et semper omnia ad nutum eius gerebantur, ut ex ipsis fontibus Vir Clar. Amadeus Roget, rerum Genevensium acerrimus investigator, multis demonstravit exemplis *(L'Eglise et l'Etat à Genève du vivant de Calvin 1867)*. Non tamen infitias ibit comes ille assiduus nostrorum laborum in tabulario publico Genevensi, Calvini sententiam et manum in condendis legibus permagni fuisse ponderis, et maxime in rebus ecclesiasticis inde ab anno 1541 fere omnia ex eo pependisse, eumque praesertim disciplinae ecclesiasticae autorem et patrem fuisse, eiusdemque quoad vixit observatorem rigidissimum et vindicem inexorabilem. Testes hic habemus Consistorii commentarios sive protocolla, hebdomatim de moribus civium severe inquirentis et iudicantis, ex quibus alio loco multa historiam calvinianam illustrantia depromere ac tecum communicare constituimus. Talis scilicet fuit istius tribunalis severitas et *μικρολογία*, ut multi passim dixerint, quod ad nostram aetatem fama pervenit, sese malle cum Beza apud inferos agere quam in coelis cum Calvino.

Inter illas constitutiones eminent et primum locum convenienter obtinebunt eae quae ad regimen ecclesiasticum spectant et solennem sacrorum administrationem. Et de his quidem nemo nobis litem movebit, quasi tractatibus theologicis subiunctae alienum locum et indebitum usurpassent. Quod autem caeteras quoque, quae rebus civilibus prospiciunt, illis comites addiderimus, de hoc consilio, quaesumus, ne severius iudicare velis: imo facile veniam impetraturos nos esse speramus, si consideraveris, cui commodiori loco eas reservaremus non habuisse. Iam supra passim unum et alterum opusculum, quod profanis potius adnumeraveris, corpori huic nostro inseruimus, certis quibusdam rationibus ducti. Ita et hic clarissimi legumlatoris studia, varia illa et curiosa, simul omnia tibi proponere voluimus, quo magis ingenii eius magnitudinem, vel in rebus minoris momenti accurate disponendis diligentissime laborantis, admirari disceres.

Singula hoc loco non pluribus persequemur. Satius habuimus unicuique decreto suam historiam praemittere ex actis publicis, ut plurimum, repetitam, ideoque gallico sermone exaratam. Ipsa enim antiquiorum documentorum authentica exemplaria hodieque exstant in archivis civitatis Genevensis, ex parte etiam in scriniis Venerabilis Ministerii, deque eorum promulgatione in Commentariis summi Sena-

tus reipublicae saepius quid actum sit perscriptum legitur. Nonnulla praeterea ex codicibus manu scriptis Gothanis et Genevensibus depromimus. Non pauca hic primum in lucem edita habes, caetera saltem multo emendatius quam antea excusa.

Constitutionum ecclesiasticarum duae etiam editiones prodierunt ex autoritate publica typis mandatae, ipso Calvino superstite, quarum exemplaria in sola bibliotheca civica Genevensi reperire contigit. Tituli sunt:

LES | ORDONNANCES | ECCLESIASTIQVES DE | L'EGLISE DE GENEVE. | ITEM, | *L'ORDRE DES ESCOLES* | DE LADICTE CITE | (*Les armoiries de Genève avec la devise:* Post tenebras lux.) | A GENEVE, | *AVEC PRIVILEGE* | POVR ARTUS CHAVVIN. | *M. D. LXI.*

LES | ORDONNANCES | ECCLESIASTIQVES DE | *L'EGLISE DE GENEVE* | ITEM | *L'ordre des Escoles de ladite Cité* | (*Armoiries comme ci-dessus*) | A GENEVE. | AVEC PRIVILEGE. | *Pour Artus Chauuin* | M. D. LXII.

Prioris editionis forma est quaternaria, plagulae decem et ternio unus (A—L) paginae numeratae 92. Posterioris forma paulo minor, quaterniones septem (A—G), paginae 110, ultimum folium vacuum. Folio tituli verso huius editionis inscribitur:

Copie du Privilege.

Nous Syndiques et Conseil de Geneve. A tous faisons notoire et manifeste: Comme ainsi soit que par nous a esté advisé de dresser et faire rediger par escript les ordonnances Ecclesiastiques de nostre Eglise et que pour icelles estre publiees et depuis plus facillement cogneues soit expedient les imprimer: ayans sur ce receu l'humble supplication d'Artus Chauvin libraire habitant de nostre Cité afin de lui permettre les faire imprimer et sur ce lui ottroyer nostre Privilege et quelque espace de temps et qu'il ne soit permis à autre les imprimer à ce qu'il puisse retirer les frais et quelque honeste profit de sa dite impression, suivant laquelle requeste et enclinans à icelle, mesmes en contemplation des services à nous faits par ledit Artus lui avons ottroyé et ottroyons nostre dit Privilege et permission pour imprimer lesdites ordonnances Ecclesiastiques ensemble ce qui a aussi esté redigé par escript et par ci devant imprimé touchant l'ordre des Escoles de nostre dite Cité que voulons estre ioint et imprimé avec icelles ordonnances. Et avons inhibé et deffendu, inhibons et deffendons à tous imprimeurs libraires et autres qu'ilz n'ayent à imprimer ne faire imprimer vendre ne distribuer apporter ne vendre en nostre dite Cité et territoire lesdites ordonnances Ecclesiastiques d'autre impression que celle que ledit Chauvin aura fait imprimer iusques à trois ans prochainement venans à commencer à la date de ces presentes, sur peine de confiscation desdits livres dommages et interestz dudit Chauvin et d'amende arbitraire. Et en signe et tesmoignage de ce lui avons ottroyé nos presentes soubz nostre seel commun et seing de nostre dit Secretaire ce vendredy vingtunieme iour de Novembre Lan mil cinq cens soixante un. Ainsi signé par mesdits Seigneurs Syndiques et Conseil. I. F. Bernard. Et seellé en cire rouge.

Quae in hoc privilegio memoratur prior editio legum academicarum anno 1559 prodiit ex prelo Roberti Stephani, et quidem simul utroque sermone expressa. Tituli sunt:

LEGES ACA- | demiae Genevensis. | (*Emblema*) | OLIVA ROBERTI STEPHANI | GENEVAE.

L'ORDRE DV | College de Geneue. | (*Emblema*) | L'OLIVIER DE ROB. ESTIENNE. | A GENEVE.

Forma est quaternaria maior. Folia latini exemplaris 17 (a—d), gallici 14 (a—c) non numerata.

Emblema Stephanorum notissimum. Latinum exemplar textui praemittit longiorem relationem de promulgatione solenni a magistratu facta et Th. Bezae primi rectoris orationem inauguralem. In ipsis Academiae Genevensis saecularibus, duodecim abhinc annis pie laete feliciter celebratis, Iul. Guil. Fick typographus meritissimus et solertissimus utrumque ad amussim editionis principis accurate recudendum curavit, superattendente Carolo Le Fort professore iuris clarissimo.

CAPUT LII.
CONSILIA.

Ad calcem epistolarum Calvini Beza appendicis vice alias quasdam eiusdem elucubrationes addidit, inter literas familiares et tractatus proprie sic dicendos mediam quasi classem constituentes, quibus hunc fecit titulum: *Quae deinceps sequuntur theologica fere sunt et ad Responsa magis pertinent* (Ed. Genev. 1575, pag. 286, ed. 1617, pag. 392, Amsterd. p. 179). In quibus tamen a caeteris secernendis minus exacte et prudenter delectum fecisse videtur. Nam praeter undecim scripta theologica minoris ambitus, quae nos iam supra inter Confessiones aut Praefationes adeoque inter ipsos Tractatus retulimus (Vol. IX. p. 349, 657, 703, 707, 708, 711, 715, 753, 773, 787, 791) tantum triginta et quatuor ibi exstant quae et nos ab Epistolis distracta sub speciali quodam titulo edere constituimus: caetera quinquaginta minime huic peculiari generi adnumeranda videbantur, quippe quae potius simpliciter thesauri epistolici auctarium dici debeant, neque solius Calvini sed et amicorum passim literas exhibeant, de rebus privatis scribentium. Iam editor Epistolarum Lausannensis (p. 570 seqq., Hanov. p. 640 seqq.) hic aliquatenus manum emendatricem adhiberi posse sensit, et nonnulla in disponendis singulis documentis mutavit. Quadraginta enim et quatuor ex illorum schediasmatum numero variis locis suae collectioni epistolarum strictius sic dictarum inseruit, verum ita ut etiam decem ex iis eodem transposuerit quae nos omnino seorsim collocanda ducimus.

Scilicet nos quoque inter scripta Calvini theologica minora, post tractatus, confessiones, praefationes et constitutiones, novam aliquam eamque ultimam classem *Consiliorum* tibi offerimus, quae responsa eius ad varias quaestiones de rebus dogmaticis ecclesiasticis civilibus exhibent, et plerumque absque die et consule et nominibus quaerentium suppressis ad nos pervenerunt. Talium vero numerus paulo maior exstat quam ex olim editis conieceris. Sunt quidem duae tantum ex epistolarum serie a Beza collectarum quas huc potius trahendas esse putavimus; plura vero ex codicibus manuscriptis, alia gallice alia latine exarata nunc primum in lucem edenda addimus; nonnulla etiam a Beza in latinum sermonem conversa, quorum archetypa gallica reperire contigit, ut par erat suae authenticae formae restituimus. Denique sic κριτικωτέρως delectu facto, quae ex Bezanis hoc loco reponenda supererant vel iisdem assimilanda sub certas quasdam rubricas distribuimus, quo facilius Calvini placita de variis quaestionibus ipsius aetate controversis cognosci possent.

CAPUT LIII.
APOLOGIA PRO FALLESIO.

De Fallesio illo, sive Domino de Falais, alias Iacobo de Burgundia dicto iam supra pauca praefati sumus Tom. VIII. p. 200. Fuit pronepos Philippi ducis Burgundiae cuius filio Balduino ex pellice

nato, nostri Iacobi avo, Maximilianus imperator dominium Falais in Belgio situm concessit. Iacobus ipse in aula Caroli V. educatus, iuvenis adhuc et vix praetextatus sacra reformata amplexus est. Mox in patria ob religionem suspectus voluntario exsilio in Germaniam se recepit et primum Coloniae, postea Argentorati et Basileae commoratus, tandem in vico quodam prope Genevam sedem sibi quietam delegit, Calvini familiaritate usus, quocum iam aliquot ab annis epistolico commercio coniunctus fuerat. Sub finem autem anni 1551 huius amicitiae vinculum subito et irreparabiliter disruptum fuit, quum Fallesius literas ad Senatum scripsisset pro Bolseco, quo vir valetudinarius utebatur medico, et qui autore Calvino propter causam praedestinationis, nempe ut haereticus, in custodia publica tenebatur. De quo negotio alio loco fusius diximus. Posteriora eius fata incerta: Baylius quidem eum ab ecclesia reformata omnino descivisse suspicatur, verum quum de tali apostasia apud coaevos scriptores, et quidem neutrius partis, aliquid legisse haud meminerimus, res ipsa nobis minime probabilis videtur.

Iam quo tempore relicto Belgio in Germaniam se contulerat, curia regia Machliniensis, Imperatoris nomine aut iussu, manum iniecit possessionibus fugitivi haeretici, et reum indicta causa confiscatione, magnae saltem partis feudi, spoliavit. Quod adversariis eius eo facilius successisse videtur quod iudicibus persuaserant eum rem cum Anabaptistis habere, qui tum temporis inter omnes teterrimi religionis et rei publicae hostes habebantur. Talibus suspicionibus vexatus Fallesius et praeclusa via iustae et sincerae coram iudicibus disquisitionis Apologiam meditatus est ipsi Caesari offerendam, eaque de re non solum Calvini consilium, verum et stilum expetivit, scilicet exercitatissimi et eloquentissimi adiutoris. Quem flagitanti amico morem gessisse minime dubium est, quum ex plurimis ipsius ad Fallesium scriptis epistolis pateat. Epistolae illae primum prodierunt Amstelodami ex officina Wetsteniana a. 1744 sub hoc titulo: *Lettres de Calvin à Jaque de Bourgogne, Seigneur de Falais et de Bredam, et à son Epouse Jolande de Brederode. Imprimées sur les Originaux.* Ipsae hae chartae autographae hodie asservantur in bibliotheca civica Genevensi Cod. 194, ex quo descriptas iterum edidit Iulius Bonnet, Vir Clar., in libro saepius iam a nobis laudato: mox et nos thesauro nostro epistolico denuo collatas inseremus. Ex quibus pro tempore nonnulla excerpere libet ad historiam libelli illius apologetici facientia.

Prima vice mentio fit consilii de eo conscribendo a Fallesio significati, et ita quidem ut Calvini operam in hoc negotio collocandam sollicitasse manifestum sit, in epistola mense Martio 1546 scripta, ubi haec leguntur (Cod. fol. 26): *Lapologie se feroit beaucoup mieulx aupres de vous que de lieu loingtain. Ce que ie dis non pas pour men exempter mais daultant que ie pense quainsi est. Car ie suis bien tout prest à m'y emploier. Aussi seroit bien Maistre Pierre Viret: mais sa facon descrire ne seroit pas du tout propre a tel argument à cause de sa prolixité. Et de moy iaurois à ronger mes ongles en plus de centz passages, si nous ne conferions ensemble pour resouldre dun commun accord de ce qui seroit bon dire ou omectre. Toutefois nous mecterons poine de satisfaire à vostre desir quant vous en aurez conclud sur ladvertissement de voz affaires. Tant y a que ie nen ay retenu nul memoire par devers moy.* Maxima diligentia usus promissis suis stetit Noster. Iam enim medio mense Aprili defensionem currente calamo conscriptam Argentoratum misit, ubi tunc Fallesius degebat, sed ab hoc ubi videretur corrigendam et amplificandam. Sic enim scribit (fol. 28): *Vous verrez icy ce que iay faict desirant de vous obtemperer. Ie noseroye pas me promectre quil y ait dequoy pour vous contenter. Il me suffira bien si vous avez ceste persuasion quil na pas tenu que neusse bon vouloir. Ie crains bien que vous ny trouviez pas ce que vous aviez attendu. Mais ce n'est pas raison que ie porte la faulte du trop grant credit que pourrois avoir envers vous. Si ieusse esté disposé de ma personne et que ieusse eu loysir, possible est que ieusse mieulx faict. Mais puis que ces deux choses mont deffailly ie vous prye quil vous plaise me tenir pour excusé. Il ne m'eust pas tant cousté de remplir beaucoup plus de papier, mais ie me suis estudié à estre brief pensant quil ny avoit rien meilleur*

attendant la personne à qui lescrit sadresse. Il na pas semblé advis à Sainct André quil y mancat rien, sinon que estant venu au passage de vostre retraicte vous pourriez insister à desduire par le menu les voiages que vous feistes adoncq. Iavoye bien pensé dune aultre conclusion, mais pource que ie ne scavois pas bonnement quelle mesure y tenir ie lay laissee. Il sera en vostre discretion d'y adiouster un article de cela si vous le trouvez expedient. Cest quant aux biens que vous ne luy osez faire aultre requeste craignant que ce ne fust poine perdue de luy parler des biens devant questre rentré en sa bonne grace: et aussi que cest la chose que vous desirez le plus et preferez à tout le reste. Neantmoins quil luy plaise davoir esgard à une telle maison et qui ne se laisse pas mener par ceux qui ne cherchent que la destruire. Ie ne scay sil profiteroit à vos freres de faire mention deux. Vous y adviserez. En la fin, à mon iugement, il fauldroit aiouter une clausule pour oster souspecon que vous y eussiez trop grant regret, declairant que pour lhonneur de Dieu vous en portez patiemment la perte, priant Dieu quil vous face tousiours sentir combien vault Iesucrist et les biens qui vous sont donnez par luy, affin de reputer au pris de luy toutes choses comme ordure et dommaige. Si vous deliberez dentrer en propos des biens il me semble quil seroit bon de le coucher ainsi en brief. Ie vous ay amené lexcuse pourquoy ie ne lay pas faict. Quae ille clienti suo hic proponit ut ipse de suo addat, eorum nunc in Apologia latina typis edita vestigium nullum deprehendes, unde sane effeceris Fallesium in Calvini elucubratione qualem ab autore acceperat, simpliciter subsistendum duxisse. Interea diu apud ipsum sepulta iacuit, neque Caesari tradita est neque vulgo. Multa inter id tempus accidisse ait, quae fuerunt obstaculo quominus e manibus suis exiret. Toto enim anni decursu gravi et continuo morbo vexatum de ineunda ratione ne cogitari quidem potuisse. Haec scilicet dicit in praefatione biennio post scripta quum tandem libellus in publicum exiret. Cogitasse tamen iam antea de eodem edendo patet ex his Calvini verbis d. 4. Octobris 1546 scriptis (Cod. fol. 40): *Puis que la bas ils ont ainsy fait des enraigez ie ne voy pas qui vous empesche de publier vostre apologie et me semble fort expedient. Toutefois i'en dis ce que i'en pense sans preiudice.* Novas tamen moras interiecerunt nescio quae acta in causa iudiciaria coram curia, ut videtur, Machliniensi pendente, ad quae satis obscure alludit alia epistola sub finem anni scripta (Cod. fol. 44): *Puis que lapologie nest point encor sortie il est bien expedient davoir les nouvelles que Maistre Valerand pourra apporter. Et de faict outre la circumstance survenue en vostre cas particulier la declaration qua faict lhomme en general contre toute la cause merite bien que le style soit changé et quil y ait des additions entrelacees. Et puis que Dieu a permis que vous ayez tant attendu, la fin quil y donnera vous enseignera encor plus certainement.*

Anno demum sequenti 1547 Fallesius, qui Argentorato relicto Basileam se receperat ut belli Smalcaldici turbis sese subduceret, serio de Defensione sua typis mandanda cum Calvino agere coepit, simul etiam, quum illa gallico sermone exarata fuisset, de versione latina ab aliquo huius linguae perito concipienda. Testem habemus epistolam d. 7. Martii scriptam (Cod. fol. 51) ubi inter alia haec: *Iavois oublié en mes dernieres lettres larticle de lapologie et ne scay comment il m'estoit eschappé. Sainct André en avoit la copie et en cela ie nay pas esté frustré de mon opinion. Mais selon lestat present quant il seroit question de limprimer ie ne voy point quil y auroit à changer. Dadoulcir il nest possible. De senflamber en plus grande vehemence le temps ne le porte point, au moins pour luy donner cours. Et mesme si vous deliberez de la faire imprimer à Strasbourg, encor ne scay ie silz loseront admectre telle quelle est . . . . La il y auroit plus de liberté. Il me souvient que vous me fistes mention incontinent apres lavoir veue de corriger quelques poincts, mais sans me noter ne quoy ne comment. Il vous plaira doncq par le premier men mander vostre vouloir et ce que vous desirerez de moy. Du translateur pour la faire latine vous en auriez la un assez elegant sil vous sembloit bon d'en user. Icy il sen trouvera bien quelquun. Par faulte dautre ie me substitueray. Et cela comme iespere nemportera pas grant atarge. Car moiennant quil y ait perspi-*

cuité il suffira. Et aussi la barbarie de Maiestas vestra de laquelle on sera contrainct duser repugne à un ornement trop exquis. Toutesfois si fauldra il en avoir vostre advis en cas quil nous y fallut employer par deca caett. Mense Iunio res nondum ultra processerat (Cod. fol. 59): *De lapologie iavoye remis la conclusion à vostre venue. Mais elle se translatera en latin pour estre preste quand vous la vouldrez. Si est ce que si le nom de la ville ny estoit requis qu'elle simprimeroit icy mieulx que par dela, cest à dire en plus beaux characteres en meilleur papier et plus correctement. Regardez seulement si vous desirez que le nom de la ville soit exprimé, car sans cela ie vous asseure bien du reste.* Quae si recte intelligimus, Fallesio prelum Genevense commendant prae Basiliensi, hac tamen interposita conditione ut nomen urbis et typographi omitteretur: nam, ut alicubi iam antea dixerat: *noz gens ont quelque petit de paour . . . vous scavez que villes de frontieres sont subiectes à craindre et nous avons Grantvelle pour voisin.* Proxima epistola d. 14. Iulii scripta non nisi haec habet (Cod. fol. 60): *Ie croy que Sainct André vous a mandé ce qu'avons faict de l'apologie. L'impression nen sera pas retardee par faulte de la copie.* Quam non retardandam dicit, tu cave properatam credas. Medio enim mense Augusto nondum prelo subiectam fuisse colligimus ex alia epistola, quae simul aperte docet versionem latinam non ipsius Calvini sed Francisci Balduini opus esse, de quo insigni Iurcconsulto tum temporis Genevae commorante et Calvino familiari consuetudine iuncto plura diximus in Prolegomenis Vol. IX. pag. 43 (Cod. fol. 62): *Pour response à tout ce que mavez mandé, iavois requis Gallasius de translater lapologie à condition que i'y metteroye la derniere main. Mais il y avoit esté si negligent que Maistre Francois Balduin vint tout à temps pour y commencer. Ie vous envoye donc la translation de sa facture laquelle nous avons reveu ensemble, non pas pour la polir bien fort mais seulement pour voir si le sens estoit rendu à la verité. Ensemble la copie francoise de la main de Sainct André.* Cui epistolae ipse Balduinus suam addidit comitem in qua sic praefatur (Cod. fol. 64): *Vous pourres asses entendre tant par le stil que la minute de vostre apologie que elle a este translatee et escripte fort a la haste. Mays encores nay voulu faillir a vous le declairer rondement, entendant que la faulte du loisir me servira dexcuse, ioinct aussy que Monsr. Calvin quy men avoit baillé la charge, ma promis de men descharger, et que soubz son adveu apres avoir este par luy reveue elle vous est envoyee* caett. Etiam mense Septembre inter Calvinum et Fallesium de titulo libelli nondum impressi quaestio agitur, item de praemittenda aliqua dedicatione, qua vel Belgii optimatibus, vel Statibus Germaniae offeretur, quod neutrum Nostro probatur. Mensis Novembris die 19 scriptum legimus (Cod. fol. 70): *Le livre nest pas encore commencé dimprimer pource quil falloit faire refondre quelques lettres du charactere qui est celluy dont on imprima la supplication, bien lisible et de belle monstre. On y commencera ceste sepmaine au plaisir de Dieu. Mais on ne touchera point au latin iusque à ce que nous ayons de vos nouvelles.* Quum hic typographum, cuius officina in edenda Apologia uti constituerat, eundem fuisse significet, qui et Supplicem exhortationem ad Caesarem paucis ante annis excuderat, memineris, quaesumus, eius nomen non nisi ex coniectura nobis cognitum esse: vide Prolegg. Vol. VI. p. 29. Verum, quod mireris, quum undevigesima Novembris Fallesio scripsisset opus nondum inchoatum esse, iam vigesima tertia eidem per nuncium aliquem ad id ipsum commissum quadringenta exemplaria libelli Basileam mittit, totidem pro tempore vel Genevae sepositis, vel Argentoratensi bibliopolae Wendelino Rihelio reservatis (Cod. fol. 71). Interea latinum exemplar in bona pace quiescere: *du latin, il demeure en requoy iusque à ce que vous en aiez aultrement advisé.* Hic aliquem errorem latere, neminem fugiet. Nam vel diligentissimus typographus intra triduum talia praestare non poterat, maxime si correctori quoque suum otium permittere voluerit, neque nuncio quaterniones nondum desiccatos tradere. Quid quod alia exstat epistola Novembris vigesimam octavam natalem agnoscens in qua eadem fere asseruntur quae supra d. d. undevicesimae legimus (Cod. fol. 68): *Limpression de vostre Apologie francoise sera retardee environ de huict*

iours pour la maladie de nostre imprimeur qui vacquoit à la fonte . . . . Cependant la copie latine dormira pour le moins iusque à ce que nous ayons aultres nouvelles de vous. Aut egregie fallimur, aut nullo negotio ex his tricis nos expedimus. Epistolam 23. Novembris ad mensem Decembrem relegabimus, lapsui calami aut memoriae scriptoris tribuentes (qualem nos quoque saepius patimur) quod aliter explicari nequit.

Apologiam Fallesii sumptibus excusam fuisse et pauciora tantum exemplaria negotiatoribus permissa, discimus ex epistola d. 24. Ianuarii 1548 scripta (Cod. fol. 74): *Quant aux livres au pris que iay faict avec limprimeur ioinct à ce qui a esté despendu au tailleur qui a faict les armoiries, le cent vous reviendroit à environ un escu. Ie donnay trois florins de Savoye cest à dire testons au tailleur pour sa poine: puis il y a sa nourriture. Cela avec environ un teston quil cousta à le faire retourner est par dessus limpression. Il y en a eu huict centz exemplaires. Iay permis à limprimeur quil en retirat pour soy un cent, desduisant autant pro rata sur le tout. La fin a esté que par ce moyen il sen espandist en France. Ien ay envoyé ca et la environ cinquante . . . . . Les sept centz en tous frez montoient à sept escus.* Ultima vice negotii huius mentio fit in epistola d. 3. Aprilis 1548 scripta (Cod. fol. 76): *Si ieusse trouvé messaiger propre ie neusse pas attendu si long temps à vous envoier le supplement des apologies. Mais ie ne scay par quel moien, car iusque icy il ne sest offert ne voiture ne porteur. Quant ie le pourray faire ie ny fauldray. Des latines vous ne m'en avez point declairé vostre vouloir que ie scache. Plustost vous remectiez cela à vostre venue. Parquoy mandez moy sil vous plaist en un mot quon les imprime et il se fera.*

Vides mense Aprili de latino textu excudendo nihil adhuc decretum fuisse, neque quando tandem fuerit dicere ausimus. Paulo post enim Fallesius Genevam adiit, ibi vel in vicinia deinceps mansurus, ita ut literis scribendis occasio ab eo inde tempore defuerit. Iam quum praefatio latinae editionis, quam solam hodie possidemus, Calendas Martias 1548 profiteatur, patet hanc subscriptionem simpliciter ex gallico exemplari in latinum transiisse, nulla temporum diversitatis ratione habita. Et quovis alio testimonio deficiente verum huius natalem definiri posse dubitamus. Sed haec nos cura parum remordet: multo magis dolemus genuinum Calvini opus, textum dicimus gallicum, deperditum. Cuius iam editori Amstelodamensi epistolarum ad Fallesium copia non fuit: neque Bonneto innotuisse videtur, neque nobis usquam in unum alterumve octingentorum illorum exemplarium incidere contigit. Vix tamen nobis persuademus omnia interiisse. Versionis latinae, quae et ipsa rarissime occurrit, exemplar ipsi possidemus. Titulus est:

APOLOGIA IL- | LUSTRIS D. IACOBI A' | BVRGVNDIA, FALLESII, BREDA- | nique domini: qua apud Imperatoriam | Maiestatem inustas sibi criminationes dil- | luit, Fidei'que suae confessionem edit.

Forma quaternaria minor. Plagulae sex (A—F). Paginae numeratae 45 cum duabus non numeratis, ultima vacua. Sine anno loco et typographo. Maximam partem tituli occupat imago insignis Fallesiorum ligno incisa, de qua vide supra Calvini Ep. 24. Ian. 1548.

ORDONNANCES

ECCLÉSIASTIQUES ET AUTRES.

ARTICLES CONCERNANT L'ORGANISATION DE L'ÉGLISE ET DU CULTE A GENÈVE, PROPOSÉS AU CONSEIL PAR LES MINISTRES

LE 16. JANVIER 1537.*)

Nous tres hennores seigneurs, Il est certain que une esglise ne peut estre dicte bien ordonnee et reiglee synon en la quelle la saincte Cene de nostre Seigneur est souuentefoys celebree et frequentee Et ce aueсq si bonne police que nul ne ose presumer de soy ny presenter[1]) synon sainctement et en singuliere Reuerence. Et pour ceste cause est necessayre pour bien maintenir lesglise en son jntegrite la discipline de l'excommunication par laquelle soyent corrigez ceux qui ne se veulent renger amyablement et en toute obeyssance a la saincte parolle de Dieu. Dauantage cest vne chose bien expediente a ledification de lesglise de chanter aulcungs pseaumes en forme doraysons publicqs par les quelz on face prieres a Dieu ou que on chante ses louanges affin que les cueurs de tous soyent esmeuz et jncites a former parolles[2]) oraysons et rendre pareilles louanges et graces a Dieu dune mesme affection. Tiercement jl est fort requis et quasi necessaire pour conseruer le peuple en peurete de doctrine que les enffans des leur jeune eage soyent tellement instruicts que ilz puissent rendre rayson de la foy affin que on ne laisse deschoyr la doctrine evangelique, ains que la sentence en soyt diligemment retenue et baillee de main en main et de pere en filz. Finablement la tirannie que az exerce le![3]) en matiere de mariages et les loyx jniques quil y a impose font quil suruient beaucop de controversies pour les quelles vuyder il seroyt

*) Archives de Genève, Pièces historiques, dossier no. 1170. Imprimé dans Gaberel, Hist. de l'Eglise de Genève. Gen. 1858. T. 1. Pièces justif. p. 102.

Le document porte au dos l'inscription: *Articles bailles par les prescheurs.* 16. *Ianuarii* 1537. La pièce, quoique originale, n'est pas écrite de la main soit de Farel, soit de Calvin, mais de celle d'un copiste. La rédaction, autant qu'il est permis d'en juger d'après le style, n'appartient pas directement à Calvin, mais on ne saurait méconnaitre qu'il en est l'auteur réel (Voy. Kampschulte, Ioh. Calvin, seine Kirche und sein Staat. Leipz. 1869. T. 1, p. 289 note). Aussi Bèze (Préf. des Commentaires du livre de Iosné, 1564) et Colladon (Vie de Calv. p. 18) le désignent-ils comme tel. Ces articles, présentés au Conseil le 16. janvier, ne furent pas acceptés dans leur totalité, ni dans la forme proposée. La demande des ministres, relativement à la célébration mensuelle de la cène, fut rejetée et le Conseil ordonna que celle-ci continuerait à n'avoir lieu que quatre fois l'an, comme par le passé. Un règlement formel pour l'introduction de la discipline et de l'excommunication, ainsi que l'institution d'un conseil disciplinaire particulier à cet effet, comme le fut plus tard le Consistoire, ne fut pas agréé non plus, bien que ce fût évidemment le point capital de tout le projet des pasteurs. On ne fit que quelques ordonnances spéciales pour le maintien des bonnes moeurs. La confession de foi rédigée par Farel et Calvin avait été admise dès le 10. novembre 1536, mais le Conseil ne crut pas devoir prendre en considération la demande, sur laquelle insistait le mémoire, de la rendre personnellement obligatoire pour le magistrat en première ligne et pour tous les habitants de la ville en général. Quant à l'introduction du chant des pseaumes, les ministres ne purent la recommander que préliminairement dans ces articles, ne l'ayant euxmêmes pas encore suffisamment préparée. Il est ensuite encore question de l'instruction religieuse des enfants et de l'adoption d'un catéchisme pour lui servir de base, mais il ne ressort pas clairement des termes du document si ce livre était déjà publié. S'il ne l'était pas encore il a dû l'être immédiatement après. (Voyez T. V. Prolegom. p. 42.) Enfin quant au dernier point, la régularisation des mariages, le Conseil décréta quelques mesures qui devaient tendre à ce but, seulement il ne remit pas la décision des causes matrimoniales à une commission spéciale nommée à cet effet, comme le demandaient les réformateurs, mais il la réserva au Conseil ordinaire. (V. Registres du Petit-Conseil, 16. janv. 1537. Gaberel l. l. p. 278; Kampschulte l. c. p. 278 ss.)

1) *Gaberel corrige:* s'y presenter.

2) *C'est évidemment par erreur que le copiste a écrit „parolles" au lieu de „pareilles", ce qui prouve que la pièce conservée aux archives n'est qu'une copie, du reste authentique et faite probablement sur la minute de celui qui l'avait rédigée.*

3) *L'original laisse une place en blanc. L'auteur ne voulant pas écrire le nom de „pape" se contenta de le remplacer par un point d'exclamation, pour exprimer le sentiment d'horreur que lui en inspirait déjà la seule pensée.*

bon aduiser de fere certaynes ordonnances par les quelles on eust a se y gouuerner et quant jl y aduiendroyt quelque different, mettre bon ordre a les appayser.

Or pour le trouble et confusion qui estoyt au commencement en ceste ville deuant que leuangille y futz dung accord receu et recogneu jl na este possible de reduyre tout du premier coup a bon ordre, veu que mesme lignorance du peuple ne le pouuoyt porter. Mays maintenant quil az pleuz au Seigneur de vng peu mieux establir jcy son regne, jl nous az semble adnis estre bon et salutayre de conferer ensemble touchant ces choses et apres auoyr advise entre nous par la parolle du Seigneur, ayant inuocque son nom et jmplore lassistence de son esprit Quelle polisse jl seroyt bon de y tenir cy apres, Nous auons conclud de vous presenter par articles ce que en auons delibere selon la cognoyssance que le Seigneur nous en az donne, vous priant au nom de Dieu que vostre playsir soyt ne vous espargner de vostre part a fayre icy ce qui est de vostre office. Cest que si vous voyes nostre aduertissement estre de la saincte parolle de leuangille, mettez bonne diligence que ces obseruations soyent receues et maintenues en vostre ville, puisque le Seigneur par sa bonte vous az donne ceste cognoysance, Que les ordonnances par lesquelles son eglise est entretenue sont que elle soyt vrayement et le plus prest que fere se peult conformee a sa parolle qui est la certayne reigle de tout gouuernement et administration mays principalement du gouuernement ecclesiastique.

Il seroyt bien a desirer que la communication de la saincte Cene de Iesuchrist fust tous les dimenches pour le moins en vsage Quant leglise est assemblee en multitude veu la grande consolation que les fideles en recoipuent et le fruict qui en procede en toute maniere tant pour les promesses qui sont la presentees en nostre foy, cest que vraymont nous sommes faicts participans du corps et du sang de Iesus, de sa mort, de sa vie, de son esprit et de tous ses biens. Que pour les exortations qui nous y sont faictes a [1]) recognoestre et a magniffier par confession de louanges les merueilleuses choses, graces de Dieu sur nous, finablement a vivre crestiennement, estans conioincts ensemble en bonne payx et vnite fraternelle comme membres dung mesme corps. Et de faict elle naz pas este jnstituee de Iesus pour en fere commemoration deux ou troys foys lan, mays pour vng frequent exercice de nostre foy et charite Du quel la congregation des crestiens feutz a vser quant elle seroyt absemblee, comme nous voyons quil est escript aux actes 2 que les disciples de nostre Seigneur perseueroyent en la fraction du pain qui est lordonnance de la Cene et telle az este tousjours la practique de lesglise ancienne iusques a ce que labomination des messes a este jntroduicte, on la quelle au lieu de ceste communication de tous les fideles a este dresse cest horrible sacrilege, que ung sacrifieroyt pour tous. En quoy la Cene a este du tout destruite et abolie. Mays pour ce que linfirmite du peuple est encore telle quil y avoyt dangier que ce sacre et tant excellent mestere [1]) ne vint en mespris sil estoyt si souuent celebre. Ayant esgard a cela jl nous a semble bon que en attendant que le peuple qui est encores aucunement debile sera plus conferme, ceste saincte Cene soyt vsitee [2]) vne foys chascun moys en lung des troys lieux ou se font maintenant les predications, Cest a scauoir St. Pierre, Riue ou St. Gervays. Tellement que lung des moys elle se face a Sainct Pierre, laultre a Riue et laultre a Sainct Geruays et ainsi reuienne par ordre apres auoyr acheue le tour. Toutefoys ce ne sera pas pour vng quartier de la ville mays pour toute lesglise Et pour ce fayre on eslira heure commode et le denuncera on par tout le dimenche deuant. Affin quil ny ayt rien de contemptible, mays que ce hault mistere soyt traicte en la plus grande dignite que possible sera, jl nous a semble adnis le meilleur quo les ministres de la parolle, desquelz proprement loffice est dadministrer tout ce que apartient aux misteres de Dieu distribuent le pain et le vin, figures et sacremens du corps et du sang de nostre Seigneur. Et affin que tout ce face en honnestete et sans tumulte ne jnsolence nous auons propose de fayre nostre debuoyr a remonstrer et aduertir quel ordre le peuple y debura tenir, Et admonester vng chacun de euiter confusion, Et vous supplier de pouruoyr par le moyen que verrez expediant quil y ayt bonne conduicte veuz que S. Paul nous commande tant de y venir en singuliere reuerence.

Mays le principal ordre qui est requis et du quel jl conuient auoyr la plus grande sollicitude cest que ceste saincte Cene ordonnee et jnstituee pour conjoindre les membres de nostre Seigneur Iesuchrist auecq leur chefz et entre eux mesmes en vng corps et vng esprit ne soyt souillee et contaminee, si ceux qui se declairent et manifestent par leur meschante et jnique vie nappertenir nullement a Iesus, viennent a y communiquer. Car en ceste profanation de son sacrement nostre Seigneur est grandement deshonore, Pourtant jl nous fault donner de garde que ceste pollution qui redunde tellement au deshonneur de Dieu ne soyt vehue [3]) entre

1) *Gaberel*: et recognoistre.

1) *mystere.*
2) *Gaberel*: visitée.
3) *vue.*

nous par nostre negligence veuz que sainct Paul denunce vne si grosse vengance sur ceux qui traicteront ce sacrement jndignement. Il fault doncq que ceux qui ont la puissance de fayre ceste police mettent ordre que ceux qui viennent en ceste communication soyent comme approuuez membres de Iesuchrist.

Pour ceste cause nostre Seigneur a mise en son eglise la correction et discipline dexcommunication par laquelle jl az voullu que ceux [1]) qui seroyent de vie deordonnee et jndigne dung crestien, et qui mespriseroyent apres auoyr estes admonestez de venir a amandemant et se reduire a la droicte voye fussent deiectez du corps de lesglise et quasi comme membres pourris couppez jusques a ce quil revinssent a resipiscence recognoyssant leur faulte et paourete. Ceste maniere de correction a este commandee du Seigneur a son esglise au 18 de S. Matthieu. Nous en debuons doncq user si nous ne mesprisons le commandement qui nous en est donne. Nous en auons lexemple en S. Paul 1. Timoth. 1 et 1. Corinth. 5 auecq griefue denunciation que nous nayons a hanter aulcunemant auecq ceux qui se diront crestiens et neantmoins seront notoyrement paillars, auaricieux, jdolatres, maldisans ou yurongnes adonnes a rapines. Pourtant sil y a quelque craincte en nous de Dieu jl fault que ceste ordonnance aye lieu en nostre esglise. Encores les raysons mesmes surquoy elle est fondee et les fruicts qui en prouiennent nous deburoyent esmouuoyr a en vser quant jl ny auroyt pas si expres commandement. Cest premierement que Iesuchrist nest pas blaspheme et deshonore comment si son eglise estoyt vne conjuration de gens peruers et dissoluz en tous vices. Secondement que ceulx qui recoipuent telle correction, ayans honte et confusion de leur peche viennent a se recognoestre et se amender. Tiercement que les aultres ne sont pas corrumpuz et peruertis de leur conuersation mays plustost par leur exemple sont aduertiz de ne cheoyr en pareilles faultes.

Ceste usance et praticque a dure anciennement quelque temps en lesglise auecq singuliere vtilite et aduancemant de la crestiente, jusques a ce que aulcungs meschans evesques ou plustost brigans tenans places deuesque lont tournee en tirannye et en ont abuse a leurs mauuayses cupidites. Tellement que cest aujourduy lune des choses les plus pernicieuses et mauldictes quon voye au royaulme du pape que lexcommunication, combien que ce soyt vne des choses des plus prouffitables et salutayres que ayt donne nostre Seigneur a son esglise.

Or ceste faulte est aduenue par ce que les pseudos euesques ont rauy a lassemble des fideles et tire a eux la cognoissance et puissance dexcommunier. Laquelle veritablement ne leur appartenoyt pas par la parolle. Et apres auoyr vsurpe ceste domination ils lhont conuertie en toute perversite.

Apres doncques auoyr considere que vne eglise ne peulz consister en son vray estat sans garder ceste ordonnance du [1]) et quil seroyt fort a craindre que le contempnement ne futz pugny par vne grande vengance de Dieu, jl nous az semble aduis estre expedient quelle futz remise sus en lesglise et exercee selon la reigle que nous en auons en lescripture. Et neantmoins quon mist daultre part bon ordre de ne tomber en jnconuenient de la deprauer et corrumpre par mauuays usaige.

Et pour ce faire nous auons deslibere requerir de vous que vostre playsir soyt ordonner et eslire certaynes personnes de bonne vie et de bon tesmoignage entre tous les fideles, pareillement de bonne constance et que ne soyent poent ayses a corrumpre, lesquelz estans departis et distribues en tous les quartiers de la ville, ayant loil sus la vie et gouuernement dung chascun et sil voyent quelque notable vice a reprendre en quelque personne, quil en communiquent auecq quelcung des ministres pour admonester quicunque sera celluy lequel sera en faulte et lexorter fraternellement de se corriger. Et si on veoyt que telles remonstrances ne profitent rien, le aduertir que on signiffiera a lesglise son obstination. Et lors sil se recognoyt, voyla desja vng grand prouffit de ceste discipline. Sil ny veult entendre, jl sera temps que le ministre estant aduoue de ceux qui auront ceste charge denunce publicquement en lassemblee le debuoyr quon aura faict de le retirer a amendement et comment tout cela na rien proffite. Adoncques on cognoestra sil veult perseuerer en la durte de son cueur, et lors sera temps de lexcommunier, cest a scauoyr quil soyt tenu comme reiecte de la compagnie des crestiens et laisse en la puissance du diable pour vne confusion temporelle iusque a ce quil donne bonne apparence de sa penitence et amendement, et en signe de ce quil soyt reiecte de la communion de la Cene et quil soyt denonce aux aultres fidelles de ne conuerser poent familierement auecq luy. Toutesfoys quil ne laisse poent de venir aux predications, pour recepuoyr tousjours doctrine, affin d'esprouer tousjours sil playra au Seigneur luy toucher le cueur pour retorner en bonne voye.

---

1) *Gaberel omet*: que ceux.

1) *M. Gaberel remplit l'espace, qui dans l'original est laissé en blanc, en écrivant par conjecture*: „du pape." *Mais il est assez douteux que l'auteur ait voulu parler d'une ordonnance papale concernant l'excommunication, et devant être conservée ou remise en vigueur dans l'Eglise de Genève, pour ne pas attirer la vengeance de Dieu.*

Les vices qui seront a corriger en ceste maniere sont ceux que vous aves ouy par auant nommes de S. Paul et telz semblables. Quant quelques aultres, comme voysins on parens auroyent cognoyssance des vices, premier que les dicts desputez sen apperceussent, jl en pourroyent eux mesmes fayre la remonstrance, et quant il cognoestroient ny fayre par eux aulcun proffit, il auroyent a en aduertir jceux desputez pour proceder en leur office.

Vela comment jl nous semble vng bon moyen de reduyre lexcommunication en nostre esglise et lentretenir en son entier, et oultre ceste correction lesglise na poent a proceder. Mais sil y en avoyt de si jnsolens et habandonnez a toute peruersite quil ne se fissent que rire destre excommuniez et ne se souciassent de vivre et morir en telle reiection, ce sera a vous a regarder si vous aures a sonffrir a la longue et laisse jmpugny vng tel contempnement et une telle mocquerie de Dieu et de son euangille.

Dauantage pour ce quil y a grandes suspicions et quasi apparences euidentes quil y a encore plusieurs habitans en ceste ville qui ne se sont aulcunement renge a leuangille, mys il [1]) contredisent tant quil peuuent nourissant en leur cueur toutes les supersticions contrepetantes contra la parolle de Dieu, ce seroyt vne chose bien expediente de commencer premierement a congnoestre ceux qui se veulent aduoyer de lesglise de Iesucrist ou non. Car sil est besoing de mesmes reiecter par excommunication de nostre assemblee ceux qui vrayment et a juste cause auroyent par auant este tenus comme membres dicelle, combien plus est il necessayre de discerner lesquelz on doyt recepuoyr pour membres ou lesquelz on ne doyt accepter.

Secundement jl est certain quil ny a nulle plus grande diuision que de la foy, et pourtant si ceux qui conuiennent en foy auecq nous seullement pour leurs vices doibuent estre excommuniez, par plus forte rayson ceux ne doibuent estre tollerez en lesglise qui sont en tout contrayres a nous en religion. Le remesde doncq que auons pense a cecy est de vous supplier que tous les habitans de vostre ville ayent a fere confession et rendre rayson de leur foy, pour cognoistre lesquelz accordent a leuangille et lesquelz ayment mienx estre du royaulme du pape que du royaulme de Iesucrist. Ce seroyt doncq ung acte de magistratz crestiens si vous, Messieurs du Conseil, chascun pour soy, faysiez en vostre conseil confession par laquelle on entendist que la doctrine de vostre foy est vrayement celle par laquelle tous les fidelles sont vnis en vne eglise. Car par vostre exemple vous monstreriez ce qne vng chascun auroyt a fayre en vous ensuyvant: et apres ordonniez aulcuns de vostre compagnie qui estans adjoinct auecq quelque ministre requissent vng chascun de fayre de mesmes, et cela seroyt seulement pour ceste foys, pourtant que on na poent encores discerne quelle doctrine vng chascun tient, qui est le droict commencement dune esglise.

Laultre part est des pseaulmes, que nous desirons estre chantes en lesglise comme nous en auons lexemple en lesglise ancienne et mesme le tesmoignage de S. Paul, qui dict estre bon de chanter en la congregation de bouche et de cueur. Nous ne pouons concepuoyr laduancement et edification qui en procedera, sinon apres lauoyr experimente. Certes comme nous faysons, les oraysons des fidelles sont si froides, que cela nous doyt tourner a grand honte et confusion. Les pseaulmes nous pourront jnciter a esleuer noz cueurs a Dieu et nous esmouoyr a vng ardeur tant de linuocquer que de exalter par louanges la gloyre de son nom. Oultre par cela on pourra cognoestre de quel bien et de quelle consolation le pape et les siens ont priue lesglise, quant jl ont applicques les pseaulmes, qui doibuent estre vrays champs [1]) spirituel, a murmurer entre eux sa [2]) aulcune intelligence.

La maniere de y proceder nous a semble aduis bonne si aulcungs enfans, aux quelz on ayt auparauant recorde vng chant modeste et ecclesiastique, chantent a aulte voyx et distincte, le peuple escoutant en toute attention et suyuant de cueur ce qui est chante de bouche jusque a ce que petit a petit vng chascun se accoustemera a chanter communement. Mays affin de euiter tonte confusion jl seroyt besoing que vous ne permettes que aulcun par son insolence, pour auoyr en jrrision la saincte congregation, vienne a trouble lordre qui y sera mis.

Le 3e article est de linstruction des enfans, lesqueulx sans doubte doibuent a lesglise vne confession de leur foy. Pour ceste cause anciennement en [3]) auoyt certain catechisme ponr jnstituer vng chascun aux fondemens de la religion crestienne, et qui estoyt comme vng formulayre de tesmoignage dont vng chacun usoyt pour declairer sa crestiente, et nommeement les enfans estoyent enseignez de ce cathecisme pour venir testiffier a lesglise leur foy dont jl nauoyent peu rendre tesmoignage a leur baptesme. Car nous voyons que lescripture nous a conjoinct tousjours la confession auecq la foy, et nous dict que si nous croyons veritablement de cueur a justice quil nous fanlt confesser de bouche a salut ce que nous auons creu. Or si ceste ordonnance a jamays este propre et conuenable elle est maintenant plus que necessayre, veu le mespris de

1) *mais y.*

1) *chants*
2) *sans.*
3) *on.*

la parolle de Dieu que nous voyons en la plus part et la negligence des parens a instruire leurs enfans en la voye de Dieu, dont on voyt vne merueilleuse rudesse et jgnorance en beaucoup, laquelle nest aulcunement tollerable en lesgliso de Dieu.

Lordre que nous auons aduise de y mettre, cest quil y aye vne briefue somme et facile de la foy crestienne, laquelle soyt apprinse a tous les enfans et que certaynes fassons de lannee ils viennent par deuant les ministres pour estre jnterroguez et examinez et recepuoyr plus ample declaration selon quil sera besoing a la capacite dung chacun deux, jusques a ce quon les aye approuez estre suffisamment jnstruicts. Mays que vostre playsir soyt fere commandement aux parens de mettre payne et diligence que leurs enfans apprennent jcelle somme et quil se presentent aux ministres aux temps quil sera dict.

Finablement pour ce que le [1] a tant brouille les causes de mariage en faysant degrez a son playsir, determinant des diuerses jniquemant et contre toute rayson, que jl est requis et necessayre de vuyder les controuerses qui en sont ensuyuies bien souuant par la parolle de Dieu, nous auons delibere vous supplier pour auoyr la chose plus certayne, que vous donniez la charge et commission a certaynes personnes de vostre compagnie de juger et decider toutes causes qui en viendront en auant, adjoingnant auecq eux quelques ministres pour les mieux jnformer de ce qui sera de fere selon la parolle de Dieu, lesquelz commissayres auecq le conseil desdicts ministres feront premierement ordonnances des cas suruenans communement, selon lesquelles ils auront a juger. Ce neantmoins apres vous les auoyr presentees, pour estre approuuees de par vous deuant que proceder en auant.

Pueriliter ratiocinatur, si per arcanam spiritus operationem genitus fuit Christus ex matris semine, non fuisse igitur impurum semen mulieris, sed viri duntaxat. Neque enim ideo immunem ab omni labe facimus Christum, quia tantum ex matre sit genitus, sed quia sanctificatus est a spiritu, ut pura esset generatio et integra, qualis futura erat ante lapsum.

Quod postea subiicit, totam Adae sobolem absque exceptione sub peccato concludi, ideoque Christum, si ex hominibus originem traxerit, non posse eximi a communi lege, facile solvit antithesis qua utitur Paulus ad Romanos cap. 5, v. 12: Sicuti per unum hominem peccatum, et per peccatum mors, ita in gratia unius hominis Christi abundavit gratia. Item 1. Cor. 15, 47. Nec obstitit accidentalis corruptio Adae, quominus purus et integer ex eo nasceretur Christus.

Iam firmum etiam illud est, nec Mennonis cavillo eluditur, quoties de Christi puritate nos admonet scriptura, notari veram hominis naturam: quia supervacuum esset dicere, purum esse Deum. Sanctificatio etiam de qua loquitur Ioannes 17, v. 19 in natura divina locum non haberet. Nec vero duplex fingitur Adae semen, quamvis nulla ad Christum contagio pervenerit: quia hominis generatio per se immunda aut vitiosa non est, sed accidentalis propter lapsum. Itaque nihil mirum, si Christus, per quem restituenda erat integritas, a vulgari corruptione exemptus fuerit.

Frustra garrit Menno, si ex Mariae semine progenitus sit Christus, illam fore patrem et matrem: quasi ad vulgarem regulam exigi debeat generatio, in qua Deus memorabile arcanae et incomprehensibilis suae potentiae specimen edidit.

Illud porro axioma quod tam audacter subinde obtrudit, ἄσποϱον fuisse Mariam, probatione indiget, quia et philosophiae et experientiae repugnat.

Idololatriam esse contendit, Deum in carne manifestatum adorare: nos vero negamus: cuius superbiae est, nos suis placitis adstringere?

Quod obiicit, si ex Maria progenitus sit Christus, gentilem magis quam Iudaeum fore genere, quia progeniem ducat per foeminas a gentibus, eiusdem est futilitatis. Quasi vero Ruth proavia impediat, quominus censeatur David Abrahae filius.

Quod etiam pro absurdo nobis obtrudit, si sermo Dei carnem induit, fuisse igitur angusto terreni corporis ergastulo inclusum, mera est procacitas: quia etsi in unam personam coaluit immensa verbi essentia cum natura hominis, nullam tamen inclusionem fingimus: quia mirabiliter e coelo descendit filius Dei, ut coelum tamen non relinqueret: mirabiliter in utero virginis gestari, in terris versari, et in cruce pendere voluit, ut semper mundum impleret, sicut ab initio: profanae etiam inscitiae est, fingere verbum in morte ipsa a carne separatum. Sed velim rursum scire ex Mennone, quam bene conveniat, essentiam Dei, quam coelum et terra non capit, exiguum corpus esse factum, quod in utero virginis et in sepulcro latuerit. Nodum hunc, si potest, expediat, quomodo Deus eodem momento ubique fuerit spiritus, et in terra fuerit homo palpabilis.

Hoc sane video, nihil hoc asino posse fingi superbius, nihil petulantius hoc cane.

SI QUA RATIO GENERALIS CONCILII CHRISTIANIS DARI POSSIT.[1])

Ut finem tandem habeant turbae et dissidia, quibus ecclesiam scissam et laceratam esse videmus, opus est libero et generali concilio.

Libertas in tribus capitibus continetur, in loco, in personis, in modo vel ratione procedendi.

Quantum ad locum, nisi tutus pateat accessus omnibus qui audiendi sunt, ut illic de rebus controversis disceptent, satis notum est clausam esse ianuam libertati. Urbs ergo deligenda erit media inter omnes regiones, unde venturi sunt qui interesse debent concilio. Deinde necesse erit principes vicinos, per quorum ditionem transeundum erit, promittere et iurare salvum conductum omnibus qui illuc convenient.

Quantum ad personas, iniquissimum esset solis episcopis permitti sententias decisivas: quum satis superque notum sit, eorum causam tractari, in qua ideonei non possunt esse iudices.

---

1) *Epp. et Responsa ed. Gen.* 1575, *p.* 334; 1617, *p.* 459; *Laus. p.* 633; *Hanov. p.* 717; *Amst. p.* 209 *Textus gallicus qui exstat in Bibl. Genev. Cod.* 145, *fol.* 138 *latini versio esse nobis visus est, quare hunc tibi prae illo offerimus.*

Deinde ut autoritas, quam sibi vendicant, illis concedatur: nemo tamen eorum liber est: quia iureiurando adstricti sunt ad obsequium papae, et romanae sedi sunt addicti, quod ex diametro pugnat cum libertate.

Commodum remedium esset, si deligantur homines ex ea parte quae ecclesiae reformationem tam in doctrina quam in moribus cupit et flagitat: quibus etsi non esset vox definitiva, ut loquuntur, liberum tamen esset intercedere omnibus decretis et determinationibus verbo Dei minus consentaneis: ut iis etiam daretur audientia et admitterentur protestationes. Ipsi vero ostenderent iustas sibi esse contradicendi rationes, quo minus acquiescerent episcoporum placitis.

Maxime vero intolerabile est, papam praesidere concilio tanquam caput, praesertim in hac nova qualitate, ut ab eo et eius arbitrio dependeant omnia. Atque ut primum locum obtineat omnium permissu, ante omnia tamen ratio postulat, ut se submittat concilio per omnia, iuretque se observaturum quidquid illic statutum fuerit: atque hoc modo se abdicet dominatione quam sibi antehac arripuit, ut tantum sit unus ex aliorum numero. Rursum adigendi essent episcopi ad proprium iusiurandum, se obsequentes fore Dei verbo, nec rationem habituros praesentis status: ac si quae inventae fuerint corruptelae tam in doctrina, quam in caeremoniis et moribus, earum se minime patronos fore vel fautores.

Modus procedendi omnino frustratorius esset, si mos qui nuper invaluit retineretur: nempe ut quicunque reformationem postulant, vel ore vel scripto exponerent suam doctrinam, deinde ipsis absentibus praelati quod libitum esset decernerent. Necesse igitur omnino est omnes adesse, ut quidquid male et inscite deliberare vellent episcopi, corrigere liceat: atque ita integrum sit cunctis erroneis opinionibus obiicere rationes claras et validas.

Operae pretium etiam est ante omnia, statuere quem ordinem sequi conveniat: nempe ut primo loco excutiantur articuli doctrinae, de quibus inter partes non convenit: inde transitus fiat ad caeremonias: postremo de regimine ecclesiae agatur.

Capita doctrinae, de quibus hodie litigatur, sunt de cultu Dei: an scilicet ad unicam et simplicem normam scripturae exigi debeat, an vero fuerit in hominum potestate et arbitrio leges ferre. Deinde an eorum traditiones animas obligent mortis reatu. Sub hoc capite comprehenduntur vota, prohibitio coniugii, confessio auricularis, et res similes. Deinde quaerendum erit et definiendum ubi fundata sit salutis nostrae fiducia: meritone operum, an gratuita Dei misericordia servemur. Hinc pendet materia liberi arbitrii, satisfactionum, purgatorii et similium rerum. Fidei certitudini annexa est Dei invocatio, et secum trahit quaestionem de intercessione sanctorum.

In secundo capite, quod est de caeremoniis, disputandum erit de congerie rituum, quam mutuati sunt ab umbris legalibus: simul de numero sacramentorum et eorum accessionibus.

Tertium caput, de regimine ecclesiae, continet definitionem officii episcopalis: ut sciatur quinam sibi iure et merito hunc titulum vendicent. Huc etiam pertinent gradus, ordines, primatus, et alia similia.

Iam vero non sufficeret habere concilium, nisi universale fuerit: siquidem animus est sedare et placare motus omnes et contentiones quibus turbatur ecclesia. Verum quidem est, singulos reges et principes, ut suarum ditionum turbis remedium inveniant, posse cogere nationale concilium, si vicini suum consensum et studia non adiungant. Verum si partiale concilium cogatur, quod nomen universalis obtineat, id nihil aliud erit quam ignem magis ac magis accendere, augere pugnas, et creare novos tumultus. Quare penitus necessarium est, eos omnes qui reformationem expetunt, in concilium quod habebitur consentire, ut ita tota christianitas coalescat: qui vero sanctam unitatem et concordiam refugient, ut schismatici reputentur.

DE MUTATA AUT MUTANDA RELIGIONE.

EPISTOLA CUIUSDAM NOMINE SCRIPTA, QUI SE A PATRE RELIGIONIS NOMINE SUBDUXERAT.[1]

Quod facti mei rationem scripto et absens potius quam praesens exhibeo, peto a te, observande pater, ut me excusatum habeas. Duo in causa sunt: unum, quod veritus sim, ut in re odiosa et in speciem aliena, satis facilem ad me audiendum te haberem: alterum, quod summa illa reverentia qua te prosequor, mihi apud te quidquam istorum proferre hactenus non permiserit. Nunc vero ineundam mihi hanc rationem esse duxi, qua vel te placarem, quatenus offensionem de me conceptam retineres, vel saltem quidquid istud est emollirem, dum oblata meliori occasione tibi ad plenum satisfacerem. Dolet tibi, quod in cultus Dei ratione quem pro vera habes te non sequar. Hoc si contemptu facerem, ut leves multi homines, quibus susque deque est omnis religio, quique omni affectu in cultus Dei observatione vacui sunt, nulla venia non essem indignissimus. Sin vero Dei timor, et conscientiae testimonium eo me impulerunt, sic mihi persuadeo, utroque illo nomine meum a te factum tolerabilius iudicatum iri. Iam ne te multis obtundam, negari hoc non potest, quin multi et crassi abusus et corruptelae in ecclesia locum habeant, qui Dei nomine teguntur: et bona intentio ista omnia eluere creditur. Interea qui sic vivunt, ut sine Dei voluntatis autoritate Deo sese approbatum iri statuant, illi (ut vulgo dicitur) rationem suam sine hospite subducunt. Siquidem fixum esse illud debet, Deum non ex nostro sed ex ipsius arbitrio colendum esse. Me vero ferendum non esse fateor, si his de rebus ex meo sensu pronunciare audeam, quasi aliis iudicio plus valeam. Sed non hic agitur quis melius sapiat inter homines: illa enim regula et nota est, et communi omnium sensu comprobata, Deum praeferre obedientiam sacrificiis omnibus. Quare ut res subtilius non expendatur, satis constat, a Deo reiici, quidquid ipsius voluntati non respondet. Testimonium autem voluntatis Domini ex una scriptura, in qua consignatum exstat, petendum est. Unde fit, ut quidquid sese offeret quod repugnet scripturae, ab eo mihi cavendum sit, nisi sciens in Deum peccare velim. Hoc autem loco habere me quae communi consensu tam sancta esse credantur, absurdum tibi videri potest. Verum hoc unum a te, mi pater, postulo, ut quum ea sim aetate quae ad quidvis admittendum magis prona iudicari solet, ne tamen hoc meum tantis de rebus iudicium iuvenili levitati adscribas: quum potius idoneo et omni exceptione maiore veritatis testimonio pressus ac pervictus, ita sentire coeperim. Quod enim per Dei gratiam et legendo et audiendo assequi datum est, illi refragari tandem non potui. Quamobrem, mi pater, ubi ex illa certa scientia, quae conscientiam meam regere debet, aliquid malum esse mihi constat, illi interesse nefas mihi iudico, etsi mihi non parum dolet, quod ab illis rebus abstinere sine tui offensione non possum. Nihil enim mihi et optabilius est, et meo voto accommodatius, quam ut meum tibi obsequium praestem, atque approbem. Unum me impedit, cuius a te imputationem supplex deprecor, quod reluctante conscientia si quid aggrediar, me ipsum in me iudicem ferre cogar. Absit vero a moribus meis omnis arrogantiae, et de me supra alium quemquam existimationis labes. Tantum hoc volo, quod qui a Deo edoctus sim, quid rectum sit vel secus, illud insuper habere iam non possim. Quumque singulis de se apud illum ratio aliquando reddenda sit, ut aliis sua ignorantia in Dei iudicio fraudi etiam non sit, non video tamen quid a me obtendi possit, si a Dei notitia et vero ipsius cultu mihi explorato semel deflectam. Quid porro in ipsis rerum obtineat argumentis, neque pro meo captu hic apud te attingo, neque etiam eo tibi molestiam

---

1) *Beza exhibet inter epistolas, e gallico versam dicens Gen. p.* 143, *Laus. p.* 317, *Han. p.* 354, *Chouet p.* 194, *Amst. p.* 88.

augere nunc quidem velim. Quod si mihi non donegas, ut vel perstringam aliquid eius, quo summa fere momenta verti video, sic accipe. Me quum a gratuita illa peccatorum remissione, quae Christi Domini morte nobis parta, ac eiusdem gratiae obsignatione, quae sacrosancto coenae mysterio nobis exhibenda et applicanda ab ipso Christo instituta est, in sacrificium illud sua vi operatorium, et mortis Christi per sese applicativum, et illam elementi adorationem (quid autem hoc sit, tacendo satis indico) oculos et mentem converto, plane aliter sentire non posse, quam quum illa e coelo sint, ut omnino constat, ista ab hominibus (ne quid gravius dicam) profecta videri. Proinde nullius esse momenti, ubi de Deo colendo, et veritate ipsius sine fermento retinenda agitur. Sed et ista fortasse minus parce hoc loco, si mei captus et tenuitatis rationem tantum habeas. Tandem vero illud a te contendam, mi pater, ut si ad me audiendum usque propendere dignaberis, patruum tecum admittere grave non sit, quod tibi non incommode cessurum, mihi non temere persuadeam. Bene vale, observande pater, ac tuum propter Deum subductitium tua benevolentia non magis indignum agnosce.

AD PONTIFICIUM QUENDAM EXHORTATORIA ET APOLOGETICA.[1])

Quum de facie tibi ignotus sim, absurdum tamen non videbitur, quod ad te scripserim, si tuos liberos istius consilii autores apud te citavero. Hoc etiam ad illud valere cupio, ut sine ullo excusationum circuitu te quamprimum hic compellem. Etenim hoc de te accepi, si quid ad te scriberem, non tantum a te placide admissum iri, sed neque molestum tibi futurum illud perlegere, et apud te deinde meditari et expendere. Illud eam de te spem mihi iniecit, ut quum pietatis semen in te subesse videam, cultura demum adhibita fructum inde consequuturum suo tempore apud me constituerem. Quum igitur ad te ipsum excolendum hoc scriptum pertineat, in primis hoc tecum reputes volim, nihil magis decere christianum hominem, quam ut dum abusus et corruptelas in Dei cultu (qui habetur) palpabiles notare potest, ac debet, det etiam operam, ne promiscuo consensu sese in illo coeno volutari sinat: inde potius discat sibi de Dei veritate inquirendum esse, ut in illa tuto acquiescat. Alterum etiam addo, ut quod de nostra doctrina subiiciam, placide audias: brevi enim faciam, ut tanto facilius agnoscas quam viam sequamur, et quo illa etiam ferat. Primum igitur satis constat quam plurimos in ignorantia et superstitione haerere, quum ne oculos quidem ad lucem oblatam aperire sustineant: quorum te in numero quum habeam, aperte significo, ut ad illud demonstrandum vel persuadendum tibi, longior a me exhortatio adhibenda non sit. Atqui illud unum praecipue christianum hominem facit, si in certa Dei colendi ratione sibi attendendum statuat, ne sponte decipiatur, in re praesertim tanti momenti, ubi aeterna animae salus vertitur. Notum est autem christianismum adulteratum et corruptum fuisse, pastorum ecclesiae tum cessatione, tum imperitia, ambitione, avaritia. Neque hanc degenerationem ad illorum vitam et mores restringo, quum in illa primas obtineat ipsius Dei veritatis in mendacium et imposturas transformatio, cultus Dei innumeris superstitionibus adductis contaminatio, ordinis ecclesiae extrema perturbatio, usus sacramentorum conspurcatio: ut uno verbo finiam, stupenda et omnem sensum exsuperans inordinatio. Hoc vero si pauci animadvertunt, inde fit, quod regula Lesbia hic pro norma tantum obtinet. Iam si religioni illi catholicae pura et nativa Dei institutio opponatur, eadem illic convenientia quae lucis ad tenebras deprehendetur. Quare ut quis istis de rebus vere cognoscat et sentiat, neque principis autoritati, neque consuetudinis praescriptioni, neque suo ipsius sensui standum est: consulendum verbum Domini, et quid illic mandet aut vetet. Nam neque Dominus in angulo loquutus est, et suam voluntatem tum summis tum infimis patefactam esse voluit. Illud vero ubi a te ipso obtinueris, ut patientem aurem Deo loquenti accommodes, illis quae verbo nobis tradidit acquiescas, unam salutis viam ab eo uno petendam et percipiendam tibi statuas, magnum tibi aditum ad ea quae nostrum quemque tenore expedit pernoscenda comparaveris. Ad nostram doctrinam venio: quam plerique inauditam et inexploratam suo quodam praeiudicio damnant, occupati nimirum nescio qua opinione, quae aciem mentis ipsorum hac in re prorsus obtundat. Non attingo contumelias, et scelera etiam, quae nobis imponuntur, ut a nostris degustandis avertantur omnes. Atqui hoc unum nobis imputari potest, quod eos omnes qui Christi nomine censentur, adhuc misere palantes, ad sua illa signa, verbum Dei nempe revocare contendimus. Simul etiam evincimus, controversias omnes de Dei cultu ex verbo ipsius esse dirimendas, ut unusquisque teneat, quod a Deo esse constabit. Quid hic adversarii? Ecclesiam scilicet, ut Aiacis clypeum ementiuntur, ut sub ipsius larva secure lateant. Nec vero alia fuit ratio prophetarum et apostolorum, quum res ipsis esset cum illis, qui etiam ecclesiae nomen, et summam in ea autoritatem eadem mala fide usurpabant. Quid igitur? Novimus vero ecclesiam illam quae certo funda-

1) *In editionibus omnibus sequitur praecedentem itidem a Beza ex gallico versa. Gen. p.* 144, *Laus. p.* 318, *Han. p.* 356, *Chouet p.* 195, *Amst. p.* 89.

mento nititur doctrinae propheticae atque apostolicae, cuius caput angulare et immotum Christus est et manet. Adulterina vero illa est, in qua non regnat Dei verbum. Eo posito hoc inferimus, cultum Dei ex mandato ipsius instituendum esse. Nihil hic humanitus traditum invectumve ferri posse. Unius enim Dei esse, legem figere conscientiis. Unius ius esse, praescribere quid ipse fieri a nobis velit. Hinc illae querimoniae: Vos sanctae matris ecclesiae statuta pessum dedistis; quoniam post Esaiam autore Christo testamur, frustra Deum coli mandatis hominum; item ex Iacobo, unum legislatorem esse, penes quem sit servare et perdere. Ac si quidquid illud est, quod Dei cultus nomine ab istis ornatur, intentius inspexeris, merum illic commentum ex hominum cerebro conflatum reperies. Iam si de fide et invocatione agitur, quia scriptura nos ad unam Christi gratiam amandat, miserabilem conditionem nostram ob oculos ponit, quae certissimam condemnationem secum afferat: nos vero praeeunte scriptura, homines ad illam unius Christi gratiae agnitionem et praedicationem revocamus: quod rursum statui non potest, quin momento absurdissimum illud meritorum commentum ad vitam aeternam lucrifaciendam corruat. Hinc et illae obnunciationes: Vos omnem bonorum operum doctrinam et studium de medio tollitis. Scilicet illa adversum nos calumnia stare potest, quum omnis adversariorum istis de rebus in suis concionibus docendi ratio plus quam evanida sit, si ad seriam et exactam quae ministerio nostro traditur et inculcatur sanctae vitae institutionem vel eminus admota conferatur. Hoc vero sic assidue procuratur a nobis, ut tamen, ne quis se ipsum fallat aliqua operum suorum iactatione, sic aperte doceamus: neque posse nos quidquam boni, nisi spiritu Dei nos dirigente: neque adeo sancte viventibus (quum innumeri sint nostri defectus, nihil in nobis non caducum in sese, et nullius ad iustitiam coram Deo exhibendam momenti) fundamentum aliud non exstare, quo solida iustitia nobis constet, quam ut Christi unius crucem ac mortem, omnibus aliis post tergum reiectis, ambabus manibus complectamur. Huic fidei fundamento veram invocationem ita connectimus, ut et ad Deum unum preces nostras dirigendas esse ostendamus, quum nos ad se compellet: et ne nostrae indignitatis conscientia ab illo nos avertat, per Christum unum, uti apud patrem mediator nobis offertur, ad thronum gratiae cum certa fiducia accurrendum nobis sit. Hinc et illae lacrymae: Vos in sanctos et sanctas Dei contumeliosi estis! vos illorum cultum et honorem sustulistis! Scilicet! quum sanctorum Dei hominum memoriam eo quo Dominus nos docet loco habendo sincero studio illam retinemus et honore prosequimur: ferre autem non possumus ut sancti ipsi in idola transformati, Dei aut Christi loco habeantur. Imo etiam affirmare audemus, si quid istorum per quae mundus insaniens suo more, creaturis semper affixus creatorem secure despicit: si quid, inquam, istorum piae illae et iam felices animae sentiunt, totas zelo accendi ad Dei iudicium in sacrilegos istos suos cultores accersendum. Quod ad sacramenta attinet, quum illorum et usus et scopus sit, ut nos in Dei timore, reverentia et misericordiae fido confirmont, dici non potest quam indigne omnia hic etiam inversa atque interpolata sint. Et nobis adhuc obiicitur, ubi illa suae puritati quasi veris natalibus restituere conamur, sacramenta a nobis exinaniri. Expendatur vero nostra omnis ratio ad unam institutionem Domini, ut si quid ab illa discrepet, adnotetur. Exsulat quidem hinc missa, ut istic regnat. Sed postliminio rediit coena Domini: ipsa, inquam, coena Domini, uti ab ipso semel instituta est, quod neque ipsi adversarii infitiari possunt. Tantum suum ritum et receptum servitium divinum, quod vocant, obiiciunt pro omni defensione. Nos vero meliori iure et firmiori nitimur, mandato Domini ipsius, quod inviolatum stare oportet usque ad finem saeculi. Hoc faciendo, inquit Paulus, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Hic igitur nemo quidquam immutare potest, quin rebellionis crimine coram Domino teneatur. Prolixior sim, si reliqua attingam, quae magis praetermittam. Et satis etiam nunc fuerit, te ex istis quae hic habes gustum aliquem percepisse, qui te ad uberiorem cognitionem pleniore tractatione accedente perducat. Vale in Domino. Dominus te spiritu suo regat, a quo ipsius voluntati respondere discas, et tuae saluti ac tranquillitati consultum velit. Genevae.

POUR LES EVESQUES ET CUREZ DE LA PAPAULTÉ. [1]

Pource quon sest enquis de moy en cas que Dieu fist la grace à quelques Evesques et Prestres de la Papauté de se reduyre, quele procedure on devroit tenir à les recevoir pour Pasteurs, iay bien voulu coucher en brief par escrit ce quil men semble priant ceux qui liront ce sommaire dexcuser la briefvete: dautant qu'a grand peine ay ie eu des

1) *Bibl. de Genève, Cod.* 145, *fol.* 146. *Une autre copie, que nous désignerons par la lettre B., se trouve immédiatement après fol.* 148, *et porte le titre:* Comment doivent se conduire les Evesques et curez qui sont illuminez et veulent renoncer au Papisme et suyvre l'Evangile et à quels enseignes on les doit recevoir pour pasteurs ou au contraire: fait en Novembre 1561. *De cette seconde copie parait dépendre celle du MS. de la Bibl. impér. Coll. Dupuy Vol.* 102, *fol.* 68 *sur laquelle une main étrangère a mis:* Pour M. Remond Chauvet. *Elle s'accorde en tout avec B. Une traduction latine de cette pièce se lit dans les* Epistolae et responsa *Gen.* 1575, *p.* 339, *Laus. p.* 646, *Han. p.* 726, *Chouet p.* 446, *Amst. p.* 212

heures[1]) pour le dicter estant desia batu d'un catarrhe qui me rend plus pesant et tardif.

Si donc quelquun qui ait eu charge dames soit Evesque ou Curé est touché de Dieu pour se renger à suyvre la pure doctrine de l'Evangile, quand il ne sera capable dexercer l'office, n'ayant point le scavoir et dexterité denseigner, ce seroit trop grande temerité à luy de sen vouloir mesler. Parquoy le fruit de sa conversion sera de sen deporter, cognoissant que c'a esté un abus trop lourd de porter un tiltre sans effect. Et par ce moyen il faudra quil cede et quite le lieu à un successeur qui se tiendra idoine et sera deument ordoné se contentant destre receu au trouppeau comme brebis.

Si quelque Evesque ou Curé avoit grace et doctrine pour exercer l'office et quil s'y voulust appliquer, il sera requis devant toute chose quil fasse confession de sa foy et proteste d'adherer à la pure et simple religion: secondement qu'il confesse que sa vocation a esté abusive auparavant: ainsi qu'il demande d'estre approuvé de nouveau: et notamment qu'il desavoue ce qu'il a esté institué par l'authorité papale et renonce à tous autres moyens illicites et contrevenans à l'ordre que nostre Seigneur Iesuchrist a establi en son eglise.

Cela fait ie ne voy point quon doive faire difficulté de le recevoir à condition qu'il tienne promesse et s'aquite fidelement de son devoir: mesme qu'il se ioigne a la compagnie des Ministres qui preschent purement la Parole de Dieu, et se submette à la discipline et police qu'ils ont et gardent. Ce pendant que tout le temps passé soit enseveli et que toutes les fautes luy soient remises: sinon qu'on l'exhorte pour le temps à venir de se porter comme il doit.

Si on allegue la Regle de S. Paul que l'Evesque quon elit doit estre irreprehensible: ie respons qu'il n'est pas ici question à mon advis d'une election simple, mais d'une approbation, pour remetre en son entier[2]) ce qui avoit esté corrumpu. Car que teles gens ont eu le tiltre et degré de pasteur à leur condamnation, aussi quand ils s'offrent à s'aquiter de leur devoir ce quils ont mal usurpé pour un temps leur peut bien estre accordé par l'Eglise. Il y a deux vices en leur estat: Lung qu'ils n'ont pas esté introduits par voye legitime, lautre qu'ils se sont degradez en n'exerçant,[3]) point leur commission. Mais cela n'empesche point, quand ils sont prests de se reunir à la vraye Eglise, qu'on ne les tiene pour ministres ordinaires: et ainsi qu'ils soyent comme de nouveau confermez pour corriger le defaut qui y a esté.

1) deux heures *B.* (summae temporis angustiae).
2) restitutio ad certum munus.
3) n'executant. *B.*

Il se faut bien ici garder d'ambition, mais c'est tant d'une part que d'autre. A savoir comme on ne doit point pour gratifier rompre l'ordre de l'Eglise, aussi qu'on ne doit point en tenant trop grande rigueur donner occasion de penser qu'on cherche son avantage. Et de fait, le mot dont S. Paul use quand il defend de rien faire par ambition, emporte appetit de victoire.[1]) Ainsi le vray moyen qu'on a à tenir en tels troubles est de ne point chercher qui gaignera.

Si ceux qui font profession de se vouloir retirer au bon chemin se sentent grevez en ceci ils ont grand tort. Car il est certain quon ne les peut tenir pour pasteurs chrestiens qu'ils n'ayent renoncé à la prestrise papale, en laquele ils ont esté institués pour sacrifier Iesuchrist, qui est un blaspheme digne d'estre detesté. Et puis il faut bien qu'ils protestent de s'abstenir doresenavant de toutes superstitions et ordures qui repugnent à la simplicité de l'Evangile. Car comment pourroyent ils administrer la saincte Cene, sinon estans separez de ceste abomination de la Messe? Et aussi ils ne peuvent estre ministres du Baptesme, qu'en reiettant les meslinges dont il a esté corrumpu. Bref l'Eglise ne les peut accepter pour pasteurs qu'ils ne s'obligent de faire leur devoir.

Cela presupposé il faudra qu'un Evesque tasche tant qu'il pourra de purger les Eglises qui sont sous sa charge et superintendence de toutes idolatries et erreurs, monstrant le chemin à tous Curez de son Diocese, et les induisant à obeir à la reformation à laquele la Parole de Dieu nous convie et laquele est conforme a l'estat et prattique de l'Eglise primitive. Ce pendant qu'il declare n'avouer ceux qui ne voudront acquiescer à la Parole de Dieu et qu'il monstre à l'opposite qu'il saccorde avec les vrais serviteurs de Dieu et qu'il veut observer union fraternelle avec eux.

Touchant du bien temporel, soit en iurisdiction ou revenu, combien que c'est une corruption incompatible avec la pure simplicité du regime spirituel de l'Eglise, toutesfois durant que les choses demeurent confuses on pourra bien par tolerance leur en laisser la possession, moyennant quon les exhorte de distribuer le bien qu'ils ont entre mains, comme estant dedié à Dieu, tant pour ne point profaner les choses sacrees qu'aussi pour se tenir en modestie convenable à vrays Evesques.

Au reste le meilleur seroit, quand teles gens voudroyent retenir leurs Seigneuries et iurisdictions terriennes, qu'ils se contentassent destre tenus comme protecteurs de l'Eglise tenant le main à ce que la parole de Dieu preschee par les ministres fust re-

1) φιλονεικία (?). *La traduction latine met le mot grec et cite* 1. *Cor.* 11, 16.

ceue et le service de Dieu maintenu en son entier, sans se mettre au reng des ministres, mais taschant de les ayder comme ayans superintendence à cela par authorité royale. Auquel cas combien qu'il y ait de l'infirmité qui ne soit point du tout excusable, toutesfois ils seront à supporter, estans recognus pour membres honorables de l'Eglise à laquelle ils serviront.

Ich. Calvin. [1]

DE L'ÉMIGRATION POUR CAUSE DE RELIGION. [2]

Si un homme estant marié soubz la tyrannie du Pape est contraint de sen retirer, à cause qu'il ne luy est permis de servir fidellement à Dieu en telle pureté qu'il doit: ie luy conseilleray en premier lieu de mettre poine à gaigner sa femme à ce qu'elle s'accorde avec luy. Car puis qu'il est chef d'icelle, c'est bien raison qu'il la conduise au chemin de salut entant qu'en luy sera. Parquoy il ne seroit pas licite à un homme Chrestien, soubz umbre de suyvre l'Evangile, d'abandonner sa femme: plustost qu'il travaille par tous moiens à l'attirer à nostre Seigneur Iesus, affin que tous deux luy obeissent d'un commun accord, mesme qu'il ne le face pas seulement pour un iour, mais qu'il continue, encores qu'il la trouvast dure et rebelle. Davantage qu'il n'y espargne point sa vie et aussi qu'en faisant son devoir à l'enseigner et exhorter il prie Dieu qu'il la touche par son Esprit, comme il fault bien qu'il y besongne, ou tout le labeur des hommes sera inutile. Si on demande iusques à quant un tel homme doit poursuivre, ie ne puis assigner nul terme. Seulement ie l'advertiray d'y proceder si vertueusement et d'un tel zele, qu'en peu de iours il advance tant plus, comme aussi Dieu faict valoir une telle roudeur. Tant y a que le mary ne se doit fascher de la longue attente ou ne doit perdre courage voiant dureté en sa femme: moiennant qu'il s'abstiene cependant de toute idolatrie. Car il ne fault pas que pour attirer sa femme à Dieu luy mesme sen eslongne. Au reste quant il aura faict tout devoir, s'il ne peult habiter seurement au pais sans se mesler parmy les pollutions de la papaulté, mais est contraint par persecution menaces ou aultrement d'en sortir, il sera tousiours excusé pource qu'il n'aura pas tenu à luy qu'il n'aiet amené sa compagnie. Toutesfois encor que son deppart ne soit pas comme s'il se retiroit d'avec elle mais plustost qu'il s'efforce estant absent, de la faire sortir de la fange dont il aura esté delivré: affin que tous deux ensemble benissent Dieu. En ce faisant on ne luy pourra reprocher qu'il aiet faict divorce voluntaire ou qu'il se soit separé d'avec sa partie. Car où la necessité contraint il n'y a plus obligation telle envers la femme qu'il se faille, pour luy gratifier en façon que ce soit, destourner du service de Dieu. Ainsi un homme sera quicte quant, apres avoir essaié ce qui luy estoit possible, sortira de la captivité.

Si un homme a des enfans en cas qu'il soit contraint de quicter le pais, soit de son bon gré ou par force, pour fouir l'idolatrie, ie luy conseille de les amener avec soy comme le meilleur thresor que Dieu luy ait donné. Car s'il les laisse ilz seront incontinent saisiz et tenus de pres en telle captivité qu'il auroit regret tout le temps de sa vie les avoir laissez. Et aussi cela ne serviroit de rien pour saulver les biens: sinon qu'il les emancipast et leur fist leur partage. Ce qu'il ne doit nullement. Car en ce faisant il les rend captifz iusques à l'eage de vintcinq ans. Et encor que le tuteur qui sera ordonné soit de bon vouloir, si n'osera il rien attenter: et aussi il ne sera pas en luy de rien vendre ny aliener. Mesme en revenu annuel, pource qu'il en sera comptable, possible qu'il fera difficulté d'en rien bailler au pere. Brief celuy qui laissera ainsi son bien soubz le nom de ses enfans leur baille un cordeau ou les enveloppe tellement qu'ilz ne pourront sortir de l'abysme encor qu'ilz en eussent le desir.

UT SE PIUS HOMO A PAPATUS SUPERSTITIONIBUS SUBDUCAT. [1]

Gratias ago Domino, frater carissime, quod te ad sinceram veritatis suae cognitionem perduxit, teque ab illis erroribus eripuit, in quos incidere suos etiam nonnunquam sinit, ut ita ipsos humiliet. Vide igitur ut ita in ista fidei simplicitate incedas, ut Dominus in ipsa te confirmet magis ac magis: quumque iam ex hoc mundo cum Domino nostro Iesu Christo unitus sis, ac membrum ipsius exsistas, quatenus ipse carnem nostram induit, ut plenam fraternitatem nobiscum iniret, ex evangelii ipsius praescripto vitam instituas: cuius summa est, ut in ipso uno solidam salutem quaeramus, atque ita tandem ad vitam illam perveniamus, quae fide-

1) *La signature, qui du reste n'est pas autographe, manque dans B.*

2) *Bibliothèque de Genève, Cod.* 145, *fol.* 144. *La pièce, écrite de la main de Ch. de Jonvilliers, est sans titre. Une traduction latine* (Quae ratio a pio viro teneri possit ubi religionis causa domo migrare cogetur) *a été insérée dans les Epistolae et Responsa Genev.* 1575 *p.* 344, *Laus. p.* 655, *Han. p.* 736, *Chouet p.* 473, *Amst. p.* 216.

1) *Hoc quoque gallice scriptum fuisse, autor est Beza qui latine edidit in Epp. ed. Genev. p.* 347, *Laus. p.* 657, *Hanov. p.* 739, *Chouet p.* 477, *Amst.* 217.

libus est reposita in coelis, sub spe et exspectatione resurrectionis ad gloriam aeternam. Fixa enim etiam illa nobis spes haerere debet, quamdiu corpora nostra in terra quiescunt, animas apud illum victuras in coelis. Quod ad illud quod a me quaeris, liceatne christiano homini participare coenae Domini quae istic administratur: responsio aperta est, licere omnino, modo coena Christi ea sit de qua agitur. Atqui ubi rem uti par est expenderis, invenies non magis convenire inter coenam Domini ac missam papisticam, quam inter lucem ac tenebras. Constat quidem ordinationem Domini deteriorem fieri non posse pravitate hominum vel ignorantia; sed illud pernego, missam ad Christum autorem referri posse: quin potius in ipsius contumeliam ab ipso Satana fabricatam affirmo ad sanctae coenae eversionem certissimam. Plane enim ex diametro illi repugnat, ubi sacrificii nomine censetur, atque in actionem temere inventam vis et efficacia passionis Domini transscribitur. Exstat illic praeterea apertissima idololatria, non tantum ubi panis adoratur, sed quia et oratur pro defunctis, et merita atque intercessiones sanctorum implorantur, et pleraque eiusmodi illic fiunt, quae Dominus nominatim condemnat. Quare non magis licet fidelibus communicare illi superstitioni, quam olim licebat sacrificare in Bethel. Illud enim omnino repugnat confessioni fidei, quam a nobis Dominus requirit. Sed quia hoc argumentum pertractatum est fusius in libris ea de re editis, a te peto ut illos diligenter evolvas. Te interea gratiae Domini commendo, ut ipse suam voluntatem te edoceat et aperiat oculos, ut nigrum a candido discernas: sic enim tibi non defuturum confido in quo acquiescas. Tibi vero omnem licentiam praecidas simulandi interea impietatem a te ullo modo approbari. Dominus sua in te dona adaugeat, atque ubi quod rectum est ostenderit, det etiam animum constantem, ut in eo agnito, ut par est, adhaereas. Genevae 15. Iunii.

Tuus Calvinus.

QUI LICEAT PARTICIPARE CULTUI ROMANAE SYNAGOGAE.[1])

Quia de quaestionibus quas moves, iam decem fere annis ex variis partibus exhibita fuit molestia, neque hoc trecentis responsis adeptus sum, ut quiescere in posterum liceret: nihil melius esse duxi, iusto taedio victus, quam locum dare superioribus meis scriptis, ne implacabilis multorum curiositas frustra me conficeret. Quare si breviter tibi et concise respondeo, non solum temporis angustiis, quibus tamen constringor, adscribas, sed conceptae pridem deliberationi. Nam si quibus ita pruriunt aures, ut novis quotidie responsis oblectare se cupiant, facile patiar aliunde petere. Nec mihi inter tot negotia et assiduos prope morbos tantum suppetit otii, ut publice et privatim scribendo omnibus morem geram. Rogant quidam, si apostolis licuit hora precationis in templum ascendere, deinde etiam Paulo solennem ritum sanctificationis obire, cur non etiam hodie nobis fas sit preces miscere cum papistis? Primo tenendum est, quae tunc apud Iudaeos preces vigebant, fuisse puras, et formatas ad praescriptum legis. Nec vero, si papistae puram orandi formam conciperent, mihi religio esset templum cum ipsis ingredi. Atqui illos minime decuit aggregare se ad eorum coetum, qui Christum crucifixerant. Respondeo actionem per se piam et sanctam non corrumpi vitio hominum: sicuti dicere soleo, ne omnes quidem angelos, si missae intersint, posse eluere eius sordes sua sanctitate: nec rursum diabolos omnes posse sua praesentia efficere, quo minus sacra coena, dum celebratur ex Christi instituto, suam puritatem retineat. Certum tamen est, non omnibus precandi horis apostolos venisse in templum, quia in aedibus privatis agebant sacros conventus: sed ut oblata illis fuit spes aedificandi, hac occasione fuisse usos. Non ergo data opera frequentarunt templum, ut genti suae in publicis et quotidianis precibus essent socii: sed quia probabile erat, loci reverentia magis dociles ac morigeros fore ad excipiendam evangelii doctrinam, qui in locis profanis minus fuissent attenti. Atque id in Paulo clarius perspicitur, qui certe nulla religione impulsus votum suscepit, sed tantum ut purgata qua falso gravatus fuerat suspicione, ianuam sibi ad spargendum evangelium patefaceret. Neque enim sponte hac caeremonia fuisset defunctus: neque rogatus est ab Iacobo (Actor. 21, 23), ut ita Deum coleret, sed ut testatum faceret infirmis fratribus se non esse apostatam a lege Mosis. Interea liberum illis fuit et templum ingredi, et sacra oblatione testari suam pietatem: quia non alius erat finis, nisi ut profiterentur se Deum Israelis colere. Iam emergit altera quaestio, si adventu Christi abolitae erant legis umbrae, cur eas adhuc sectati fuerint? quae facile solvitur, si tenemus, quamdiu stetit templum, fuisse sacrum domicilium coelestis doctrinae, et illic Deum rite fuisse adoratum. Sic enim finem legalibus caeremoniis imposuit Christus, ut eas abrogando non prorsus statim damnaverit quasi impias et pollutas, donec per evangelium clare innotuit. Si excipias, lucem evangelii tunc satis fuisse conspicuam, res ipsa palam docet, multis adhuc incognitum fuisse Christum: alios vero sic fuisse illustratos eius radiis, ut tamen abessent a pleno fulgore. Hinc apparet inter legales ritus et

1) *Epp. et Resp. ed. Genev. p.* 328, *Laus. p.* 435, *Hanov. p.* 487, *Chouet p.* 450, *Amst. p.* 205.

papales caeremonias latum discrimen. Nam quum illi ab origine sua puri sanctique fuerint, has constat Satanae artificio fabricatas esse ad exstinguendam Christi lucem. Unde colligere promptum est, a suo principio vitiosas esse. Itaque legis abrogatio dextre intelligi debet: quia fidelibus Christi servis templum, et ritus per se medios et indifferentes non ante deserere necesse fuit, quam partibus suis defuncti essent in promulgando evangelio. Interea certum est, quoties in templum venerunt, habitam ab illis fuisse rationem infirmae plebis: sicuti quocunque venissent, solenne fuit adire synagogas, non orandi causa, licet interpositae quoque fuerint preces; sed quia illic maior erat frequentia hominum, et animi ad discendum melius praeparati, ut docendo prodessent. Quod obiicitur: Nisi in nomine Messiae orarent, perversas fuisse eorum preces, respondeo, ut erant a patribus instituti, in nomine Messiae licet incogniti orasse. Et certe effectu ipso patuit, quum tam facile et alacri animi promptitudine ad Christum transierint permulti, occultum in illis fuisse pietatis semen. Et probabile est, fidem a Paulo (2. Tim. 1, 5) laudari in matre Timothei Eunicha, et avia Loide, antequam evangelio imbutae essent, ut bonae illius radicis fructus fuerit ad Christum conversio. Umbras legis non simpliciter concedo veritati fuisse contrarias, nisi quatenus perperam a superstitiosis et praefractis Christo vel permixtae vel oppositae fuerunt. Qui vero more patrio sacrificabant Iudaei ante acceptam evangelii lucem, socii piorum omnium fuerunt in legitimo Dei cultu: quia fixum illud manere debet, figuras legales veteri populo datas esse, donec illucesceret Christus: quod paulatim factum est. Adde quod plerique gustatis evangelii rudimentis, utcunque non aliunde iustitiam peterent quam a Christo, et in eius sacrificio locarent spem salutis: non tamen eo usque statim progressos liquet, ut omni dubitatione se eximerent. Vitiosa quidem et reprehensione digna fuit illa infirmitas, sed quam ad tempus tolerabilem fuisse Paulus docet (Rom. 14, v. 1 etc.): quia minime propositum illis erat, Christo quidquam detrahere: sed durum erat et asperum, protinus discedere a consuetudine diu recepta. Iam quum de caeremoniis legalibus agitur, prudenter adhibendum est discrimen inter sacrificia ex quibus petenda erat expiatio, et alia exercitia, quorum liberior fuit usus: sicuti hodie a frivolis quibusdam et leviculis caeremoniis longe distant aliae, in quibus apparet manifesta et crassa impietas. Nam in pacificis et similibus primas olim tenuit gratiarum actio. Ut demus, Christo adhuc incognito, licitum figurae usum fuisse, vel non satis perspicue cognito, excusabilem: non ideo fidelibus ad Christum conversis fas fuisset oblato sacrificio se expiare, aut voto eucharistico (nec eo simpliciter ad testandam pietatem, sed praecipue caritatis respectu, et purgandae calumniae perniciosissimae causa) defungi, ut Paulo accidit autore Iacobo Ierosolymis. Interea semper illud tenendum est, non eodem esse gradu ritus, qui puri ab initio, postea veritatis sole adveniente obscurati et plane aboliti sunt, uti christianismus ita iudaismo successit, vel qui ab usu degenerarunt in vitium, ut idem iudaismus superstitiose et literaliter a Iudaeis usurpabatur iam olim, et superstitiones meras, quae autore diabolo ad vitiandum Dei cultum fabricatae sint. Nam si quis legis ablutiones cum lustrali papistarum aqua comparet, gravem Deo faciet iniuriam, qui veterem populum utiliter signo illo exercuit, quum hac foetida ablutione, baptismum iterando, quodammodo deleverit mendacii pater. Vale optime et carissime frater. Nam epistolam hanc abrumpere me cogunt aliae scriptiones. Dominus vos omnes protegat umbra sua, gubernet spiritu suo, virtute fulciat. 21. die Iunii 1558.

DE CULTU IMAGINUM.

RÉFUTATION DES ARGUMENTS PROPOSÉS EN FAVEUR DU CULTE DES IMAGES. [1])

Madame puys quil vous plaist me donner audience ie deduiray sommairement les arguments mis en avant par noz contredisans. Il fut dict que la decision de ceste difficulte deppendoyt de lexposition du second commandement: ce qui est veritable car cest aussy le seul et unique fundement de nostre dispute. Il fault donc regarder si nostre exposition est conforme a la verite [ou bien sil fault entendre que nous puissions approuver les Images]. [2]) Nous fusmes admonestez de ne prandre les commandemens negatifz a la lettre parce que dict S. Paul: La lettre tue et lesprit vivifye. Ie respon que cela est allegue par trop mal a propos. Car la lettre signifye la Loy toute entiere au passage de lapostre et la praticque de ce commandement entre les Iuifs monstre quil le fault prandre simplement a la lettre et ainsy qu'il est escrit. Ce nest sans cause que Dieu a faict si bref recueil de ses commandemens, afin que le peuple les appreune, et nest pas croyable que Dieu voulust envelopper la verité qui aussy se trouve assez claire en ses commandemens.

On a allegué contre nous ce commandement Tu ne tueras point [pour monstrer que les commandemens ne se doibvent entendre sans exception veu quil est permis au magistrat de tuer et mesmes aux particuliers comme a Phinees]. [3]) Ie respondz que quand il fault bailler quelque exception au commandement, cest au legislateur qui la faict, mais aux hommes nest pas licite.

On pouvoit alleguer sur ce labuz des manicheens qui disoient quil ne failloit point manger danimaulx. Pour applicquer donc cest argument il fauldroit donc amener ung passage expres qui commendast de fere images et les adorer, car il y a assez dautres lieux approvantz les execucions qui se font par le prince et la iustice pour contenir la paix du peuple. Quant au sabbat iestime que on a voulu dire que ce commandement est ceremonial comme le iiij^me. Or ie le tiens pour pur moral.

Quant aux Cherubins ie respondray par Tertullien au traicte de idolatria parlant a certains ouvriers chrestiens qui ne faisoient point de difficulte de fere des images pour les payens: *seorsum figurae quae disp.* [1]) Cest: il fault mettre a part les choses qui ont este ordonnees pour quelque disposition secrette. Et si on veult dire que cella sert contre nous, fault prendre ce qui est apres: *Ne facias adversus legem simulacrum aliquod nisi deus iusserit.*

Il fut dict que on peult entendre le commandement en regardant ce qui va devant ou apres. Premierement il est dict: Tu ne te feras des dieux estranges: en fin: tu ne les adoreras point.

Il fault insister si le commandement est viole par le service et lhonneur des images qui est faict en leur attribuant ce qui est faict a ung seul dieu.

Or sacrifice consecracion de temples et autelz et encensemens sont deubz a dieu: si donc vous l'attribuez aux images des sainctz vous en faites des dieux estranges. Quand iay tout consideray ie ne trouve rien que les gentilz ayent attribue aux idoles que lon nattribue aux images. Il a este dict que les anciens estimoyent que les images estoient animez. Iestime que quelques ungs grossiers ont dict cela, mais la plus part non. Iallegueray S. Augustin sur le pseaulme 113 qui contient les mesmes excuses que lon propose auiourdhuy et monstre par

1) *Manuscr. de Gotha* 404, *fol.* 48 *suiv. ancienne copie avec cette suscription:* 'Pour envoyer à M. de Beze. *En tête du texte on lit:* Du 6. fevrier. *Il paraît que c'est la réponse à une série de questions ou d'objections.* (1562?)

2) *Les mots mis entre crochets sont effacés.*

3) *Addition marginale.*

1) *Sic. Voici la phrase complète de Tertullien, l. c. ch.* 5: Seorsum figurae quae dispositioni alicui arcanae praestruebantur, non ad erogationem legis sed ad exemplarium causae suae.

la qu'il ny avoit aucuns images en leglise et se contentoient davoir des vaisseaulx. Lactance au livre de la faulse religion dict: Pourquoy ne vous adressez vous plus tost a ce qui est au ciel? Arnobe dit le mesme. Le sacrifice est deu a Dieu. Aug. *contra Faustum lib.* 20. Lencensement est une partye et estoit une chose non oye du vivant de Tertullien qui dict: *Thura non emimus.* Le mesmo dict des coronnemens qui se baillent maintenant au livre *de corona militis.*

Quant a la prestation [1]) iay dict quil y a reverance deue a Dieu que iay appelle relligieuse, lautre aux hommes qui est civile. Et de faict S. Augustin parlant de *dulia* il dict quil y a deux manieres de services: lune deue a Dieu, lautre civile qui est deue aux princes. Or une inclination civile pourquoy se feroit elle aux images? Il ny a point dordre ne de raison.

Ie dictz quil y a choses qui se chantent en leglise qui repugnent a Dieu, comme de limage de la vierge: *Non omnibus es omnia.* Il y a une autre prose ou il dict: *Iure matris impera.* Et demande si cella nest pas proprement espece dimpiete et idolatrye.

Les payens attribuoyent les choses advenir aux idoles: le mesmes se faict a S. Anthoine de Padue, a nostre dame de Bonne novelles et autres.

Il a esté dict de la loy de nature quelle ne deffend les simulachres. Mais S. Paul dict que ces gens la ont change la nature de Dieu incorruptible en chose corruptible. Quant a Betel il ny a poiut eu erection de simulachre mais seulement un tesmoignage davoir la veu la vision de Dieu.

Quant a adoration on a dict quil failloyt prendre ladoration interieure non lexterieure. Ie dictz oultre, que Origene sur le xx[e] Exode homelye 8[e] *utrumque resecat.* Le mesme autheur premier chapitre des Romains livre premier. De la ie concludz que par la propriete du mot il fault prendre adorer en sa propre signification et que tout honneur et interieur et exterieur est prohibe aux images. Il a este dict quil ny a homme si grossier quil peut adorer les images et que lon ne dict point: Image ie te prye. Il se respond que lon a donne a limage le nom de la chose signifyee par laquelle on la nomme et appelle: mais pourtant on ne laisse de sadresser a limage. Et croy que le peuple estant affolle de certains images attache le sainct avec limage.

Quant a la croix se trouvera lidolatrye qui a este attachee par la consecration que lon a accoustume de fere en leglise du boys la dicte croix qui est appelle nostre esperance. Au reste ie confesse que le signe de la croix est fort ancien en leglise et meetz difference entre les images et ce signe, voyre la croix de boys, et croy que le premier usage en a este bon mais par succession de temps cela sest empire. Ce signe ne sest pratticque iusques a Constantin qui est entre les iij et iiij c ans et encores lors ny fut faicte aucune adoration et Helene layant trouve et envoye a Constantin il la meit *in foro.* Des clous on dict que de lung elle le iecta en la mer, lautre elle en feit ung mortz au cheval de Constantin, lautre feut mis au diademe dudict Constantin: en quoy elle fut louee. Nous ne pouvons en cela fere que ce que la parolle de Dieu nous monstre du serpent dairyn qui fut brize par Ezechias quand il veid que le peuple en idolatroyt.

Quant a Theodorit *de sacrificiis* ie respondz que les sacrifices ordonnez de Dieu ont commance avant ceulx des gentilz: mais le diable a voulu contrefere les sacrifices legitimes de Dieu comme singe et imitateur de ses oeuvres.

Quod ad nos perlatum est, dilectissimi fratres, verbum Dei ita expositum esse apud vos probro, idque illorum culpa qui exemplo aliis praeire debuerant, perquam moleste accepimus: audimus enim illos ipsos quorum partes erant quemvis ex plebe ad pacem et concordiam fraternam exhortari, eousque contentionis vi efferbuisse, ut ad arma ipsimet conclamaverint. Quam vero indignum facinus et quam enorme! quantum etiam ex illius fama passim sparsum erit scandalum, ex quo non tantum contemptus verbi Dei enascatur, quando ad verbi ministros scandalum referendum sit, sed etiam occasio offeratur Satanae atque ipsius instrumentis, ad vos demum convellendos atque ita dispergendos, ut vix deinde inflicto malo remedium adferri possit? Sane quod ad ecclesiam Dei attinet, illam passim hodie ab hostibus circumsideri omnes vident: sed tamen vestrae rationes omnino vobis indicunt, ut pacem et concordiam retineatis omnibus modis. Satis enim constat ab una Dei providentia quae adversarios constrictos tenet, stare, ne qui vestrum exitium toties iam designarunt, vel levissima occasione oblata in illud ferantur praecipites. Quamobrem aliter de N. et N. iudicare quam de abreptitiis non possumus, quibus ita simul ac semel exciderit cum ipsorum ministerii ratione illa etiam consideratio, quod ipsorum audacia extremam omnibus istic ecclesiis perniciem allatura esset. Ac primum quidem probari a nobis illud non potest, quod ministri verbi ita ad gerenda ipsi arma et eiusmodi rerum tractationem sese applicent. Scimus aliquando urgente necessitate accidere, ut intra officii metas non ita praecise sese singuli contineant. Scimus etiam eousque invaluisse pericula, ut cuique pro virili adversum illa enitendum fuerit. Atqui illud videre non possumus, qui tolerari possit ut verbi ministri agminum duces evadant, ac proinde et copias ipsi cogant, et coactas iidem perducant. Ita fit enim ut ab officio quisque tantundem recedat, ac prorsus a vocatione sua degeneret, quod et istis accidit nominatim. Ex eo enim accidit ut ad mores stratioticos occalluerint, utque exuta penitus illa ministerii persona, in licentiam militarem proruperint. Sic nos loqui res ipsa cogit: plane enim confusi hisce auditis iacuimus: etsi ex literis vestris unius prae altero gravius est malum, quod ab utroque admissum est. Nunc vero quum quid nobis videatur exspectatis, sic ipsi in Domino congregati vobis respondendum duximus. Ac primum omnium nisi omnia sursum ac deorsum ferri volumus, non potest tam indignum scelus et enorme dissimulatione ac conniventia sepeliri. Si quaeratur a N. cur ex Comitatu Monsbelgardensi abierit, parata erit responsio, quia nempe omnia illic essent confusa, quum nullus disciplinae status exstaret. Atqui si nos ipsi aliis disciplinam praescribimus, quanto arctioribus vinculis ipsimet nobis adstringi debemus? Iam ut huic malo remedium afferatur, satis videmus quid incommodi secuturum sit, ubi qui sunt in culpa non admittent reprehensionem, sed iugum excutere conabuntur: sed tamen quidquid accidat, ferendum non est, ut nostra timiditate foveatur malum. Proinde ubi hoc agitur, ut et rectus ordo retineatur et scandala comprimantur, qualescunque immineant procellae et tempestates: non est committendum tamen ut de constantia et legitima fortitudine quidquam remittatur, maxime ubi contrahendum est fraenum. Quamobrem videre non possumus ut quod istis accidit, silentio transmitti possit, quin ea occasione maledictio Domini inhaereat vobis, et incumbat perpetuo. Locus Pauli 1, Tim. 5 quo sese tueri cogitat N. cum nullo modo iuvat: illic enim catenus voluit Paulus rationem haberi servorum Dei, ut ipsorum innocentiae consulatur, quando ut plurimum obnoxii esse solent

1) *Legitur in Bezae thesauro Gen. p.* 353, *Laus. p.* 662, *Hanov. p.* 744, *Chouet p.* 485, *Amst. p.* 221, *teste editore ex gallico versa.*

multorum calumniis. Atqui N. convictus iam satis tenetur bis (displosa in N. bombardula ex qua secunda vice ignis emicarit) tentatae caedis. Accedit quod iam antea parum ex officio sese gessit inter vos, ut mirum sit tamdiu tolerari potuisse. Ut igitur eam provinciam deinceps retineat, qua sese plane indignum praebuit, nobis quidem nullo modo probari potest. Nominatim quod ita praefracte detrectavit acquiescere piissimae exhortationi vestrae, ita hoc exaggerat hominis factum, ut abdicandum plane iam constet. In modo autem agendi hoc consilium damus, ut delegatis ex vestro coetu qui totius coetus nomine aperiant fratribus N. uti rationibus idoneis mature ac legitime expensis pronunciatum fuerit N. ferendum non esse amplius in ministerio quod male exercuerit: proinde rogare ut illius loci ecclesia ipsum etiam a se emittat, ac probet ut in eius locum submittendus alius eligatur, quem et ipsi agnoscant et approbent. Si ecclesia requiret rationes iudicii, ut plenius de re tota ipsis liqueat, tum demum expediet eadem illa ipsis articulatim proponere, quae a vobis accepimus. Quod si ita ille populum loci pellexerit atque irretierit suis artibus, ut ipsi non acquiescant vestro consilio et exhortationi, tum demum admonendi erunt serio, videant uti hoc admissuri sint: quum si in eo obstinate perstent, schismaticos sese exhibituri sint, unde et ipsos a vestri corporis unitate separandi iniicienda sit vobis necessitas. Quod ad alterum attinet, quia plus in illo est imprudentiae et impetus quam certae improbitatis, satis fore videtur, si ecclesiae etiam ipsius significetur suspendi illum a ministerio: tum ut ipse sese ita humiliet, tum etiam ut scandalum sarciatur: atque illud ita demum, ut quoties ipsis videbitur, ipsum liceat repetere et recipere in ministrum. Monendi autem erunt nominatim si de illo repetendo agetur, non aliter hoc posse procedere, quam ut ipsi etiam omnem culpae ipsius memoriam sepeliant, neque ipsi ullo modo quod acciderit, exprobrent, neve haec temporalis castigatio illi sit fraudi, quominus ipsi integrum sit alios deinceps reprehendere ex ministerii ratione, adeoque ut doctrina ipsius plenum ius et autoritatem quam meretur, obtineat. Optassemus quidem in mitiorem sententiam inclinare si fieri potuisset, sed veriti sumus ne parcendo illis Dominus interea tanto minus parceret. Valete fratres dilectissimi. Dominus suo vos praesidio tueatur, spiritu confirmet, atque sua in vobis dona semper adaugeat. Genevae in nostro coetu.

Vester Io. Calvinus omnium nomine.

QUUM MINISTRI VETERANI CONTEMPTU TURBAE INCOMMODE IN ECCLESIA SUBORTAE ESSENT. [1])

Plurimum dolet, fratres dilectissimi, non offerri potius occasionem gratulandi vobis de prospero ecclesiae vestrae statu, quam significandi vobis quam moleste tulerim, quod tristia ad me de vobis perlata sint. Iam enim acerbus fuit de optimi fratris N. morte nuncius, quum in illo vobis oblatus esset a Domino pastor opportunissimus et vere fidelis: quod est rarius, his temporibus maxime, quum qui se sincere Domini operi impendant, pauci reperiuntur. Ac iam vobis exploratum esse non dubito, et quam utilis esset illius opera, et quam integre se inter vos gereret. Et tamen spero illum qui a vobis iam electus est, fidelem etiam operam praestaturum, pro Dei gratia in ipsum collata, ut vos destitui non contingat: modo etiam videatis ne alii interea exuti maneant, ut omnino vos facturos spero, quum ista inter vos et illos fratres ex communi consensu tractari existimem, et ipsorum angustiae fidem vestram implorent. Illud vero me ad scribendum impulit, aegritudo nempe animi mei, quam vestrae contentiones et iurgia mihi conciliant, quorum nullum finem video. Putabam enim omnia consopita esse, ac Deo eo nomine gratias egeram, maxime ubi ab optimo fratre N. istorum teste idoneo, ita se rem habere accepissem. Atque illud vulneris illius mei acerbitatem parit, quum vigere malum audio, quod exstinctum audieram. Agebatur ante de quibusdam, quae in fratre N. desiderabatis, quibus illa medicina adhibita fuerat, qua vobis idonee, ut existimo, satisfactum esse oporteret: quum et ipse nominatim censurae sese submisisset. Nunc novam litem exortam audio, quod plerique illum pro pastore habere detrectent, nisi abire ministerio iussus novae electioni subiiciatur. Ego vero tacere non possum, videri mihi illos mali consilii autores, qui omnia ita ad vivum resecant, quod ad ecclesiae aedificationem nullo modo faciat. Equidem non teneo quomodo istic primum sit institutus pastor, et ministerio fungi coeperit. Si electio in forma sua locum habuisset, nullus esset hodie controvertendi locus. Sed demus rem non carere defectu aliquo. Expendite interea, quum aliquis exsistit in regione extranea qui postulet sibi dari locum et facultatem colligendi gregis Domini, annon qui illic adsunt et in ministerium primum consentiunt, re ipsa illum elegisse dicendi sint, etiamsi nulli tum ritus accedant? Illud vero mihi ingratitudinis plenum videtur, si successu temporis ille reiicitur, cuius opera erecta fuerit ecclesia: ac iam il-

1) *Epp. et Responsa ed. Genev. p.* 349, *Laus. p.* 227, *Hanov. p.* 254, *Chouet p.* 479, *Amst. p.* 219. *Gallicum archetypum deperditum est.*

lius ratio non habeatur, qui viam ipse et modum aperuit, quo ecclesia primum colligeretur in Domino per suum ministerium. Fateor vero ubi ordo semel status est, fixum et immotum retinendum esse: sed longe alia est ratio, ubi ne tenuissima quidem ecclesiae initia exstant. Quid enim dicemus de plurimis illis ecclesiis, quae Domino per Germaniam erectae sunt? An qui primum illis evangelio praedicando navarunt operam, non sine ullo ritu admissi sunt pro veris pastoribus? Neque vero cogito vos hominum autoritati subiicere: sed exemplum illud profero, quod ad confirmandum illud quod posui, faciat: nimirum non requiri ut electio in eadem forma locum habeat rebus nondum constitutis, atque ubi ecclesia suam quandam formam et ordinem iam admisit. Quare nulla mihi constare potest illarum difficultatum ratio, nisi quod accersi occasiones a remotis iudico. Expendite praeterea ubi vos demorgatis, si hoc semel perfringatur. Quod enim ius erit statuendum de tot baptismis intermedii temporis? Quid de coena vobis perinde administrata? Plura non addam, quum vel ista sint plus satis, ut fraenum iniiciant immoderatis contentionibus. Quod si neque ista satisfaciunt fratribus, qui zelo ducti nimis sunt opinionibus suis addicti, peto ab illis per Dominum, ut cogitent etiam atque etiam in quod discrimen ecclesiam adducant. Habitatis istic ut precario. Ubi hoc notabitur, tam esse difficiles in multis rebus, annon vestra morositas taedium aliquod et animi alienationem allatura sit bonis illis et piis senatoribus, a quibus tam humaniter excepti estis? Deinde annon vobis liquet, nos omnes in illius quo de agitur persona semel peti ab illis, qui unum hoc captant, ut vos omnes opprimant? Mirum sane, quum Guelfae et Gibellini se coniungere sustineant adversus novum hostem emergentem, vos vero non eorum exemplo duci, qui in unam veritatis evangelii professionem vocati sitis. Qui vobis adversantur in certo articulo, iam vos lacessere incipiunt ut tandem evertant. Frater ille stat paratus ad illos repellendos, ac primos impetus sustinet. Quam igitur indignum est, illum porro etiam a vobis vexari. Atqui vel illa afflictio qua constringitur, idonea erat ad emollienda etiam illorum pectora, qui essent in illum exacerbatissimi: maxime quum et pestem vobis a Deo immissam attenditis, et alterum ex pastoribus iam ereptum esse: quasi iam et pastum vobis plane subducendum comminetur Dominus, ubi nullam rationem admittitis qua vobis satisfiat. Haec ad vos scribo, ut ignem accensum exstinguam. Et tamen si quis nondum potest acquiescere, saltem a vobis peto per Dominum, ut extra ullum motum et contentionem sustineatis modo aurem praebere rectis consiliis, quibus deinde placide manus detis. Spero equidem quam hic a me habetis admonitionem vobis facturam satis: nec tamen ab illo ultimo remedio vos prohibere volui. Atqui longe magis optarim, ut quamprimum quidquid est mali emendetur sine mora, ut omnes in veram concordiam coalescant. Hoc si contingat, iam vobis significo, magnum vos gaudium allaturos plurimis fratribus vestris, quibus ita vestra salus et tranquillitas est cordi, ut ad illam procurandam vobis, si opus erit, paratissimos habituri sitis. Valete dilectissimi fratres. Dominus vos spiritu suo regat cum vera prudentia, mansuetudine et constantia. Collegae vos ex animo salutant. Genevae, 22. Decembris 1551.

EIUSDEM FERE CUM SUPERIORE ARGUMENTI. 1)

Utinam nunquam aliud mihi scribendi ad vos argumentum suppeteret, quam ut Domino pro suis in vos donis ipsi gratias agerem, vosque eadem opera ut ad continuum profectum exhortarer. Sed facit Satanae nequitia, ut optatum illud argumentum mihi nunc ereptum sentiam. Sic enim accepi illum vos inhalasse quodammodo, ut nisi vos Dominus respexisset, atque opem attulisset singulari sua benignitate, totum ecclesiae aedificium extremam ruinam minitaretur. Et vero malum diuturnum non fuit: sed a quo stetit? Quis enim est ignis semel accensi exstinguendi modus? Nunc igitur quum flamma consopita fuerit a Domino ipsius gratia, atque opera fidelium ipsius ministrorum: ne tamen idem vobis deinceps contingat, induxi in animum vobis admonitione apposita cavere in posterum, dum etiam culpam quae a vobis admissa est, ob oculos ponerem. Vos autem obtestor ut aequi et boni hoc officium consulatis, neque si asperior vobis visus fuero, ut res feret, eo minus admittatis reprehensionem: ne si secus fiat, malum duplicetur a vobis. Qui sim, et quo salutis vestrae affectu ducar, quicunque ad gregem Domini pertinent, facile agnituros confido: quum et vos in sinu et corde ipso gestem, non secus ac mihi carissimos liberos. Neque hoc ab ulla ambitione proficiscitur. Nam et satis mihi est, ut pro fratre a vobis habear et Christi servum me profiteri non possum, quin vestrum quoque esse ex animo agnoscam. Hoc igitur ad vestram utilitatem pertinet, ut mea haec admonitio qua saluti vestrae consultum volui, non pereat, aut contemptu vobis inutilis reddatur. Ac primum quidem inaudita illa mihi est agendi ratio, ubi sic loquimini, placere vobis ut ille concionetur, atque ut coenam vobis ministret. Sane oportet ministrum

1) *Epp. et Responsa ed. Genev. p.* 350, *Laus. p.* 229, *Hanov. p.* 257, *Chouet p.* 481, *Amst. p.* 219. *Textus gallicus quem Beza se vertisse dicit, non exstat.*

a populo approbatum esse, antequam in ministerii possessionem mittatur. Quod si quis se ipsum intrudit alia via, ubi in ecclesia ordo iam constitutus est, legitima vocatione destituitur. Ex eo tamen nego sequi, populum electioni sui pastoris praeesse debere. Testatur scriptura, institutos fuisse per oppida ac vicos ab apostolis pastores cum populi consensu (Act. 14, 24). Sed illinc constat praefuisse ipsos sua prudentia et autoritate tanto negotio, ut populum regendo omnia decenter fierent et absque tumultu. Viguit porro eadem politia in ecclesia christiana, quamdiu ordini ac disciplinae locus remansit. Quare si hoc ius vobis adrogatis, ut pro arbitrio asciscatis vobis pastores, hoc nihil aliud est quam ordinem a Deo positum cum honestate christiana convellere. Accedit alterum malum, quod temerariae illae mutationes, et perpetuae novationes, non possunt non certissimum periculum et pessimam caudam secum trahere: ac vitium illud plane damnandum est. Scio natura hoc quaeri, quia placeat: sed tanto consultius est illum nativum pruritum semel exstinctum esse. Hoc vero quum in vita humana perpetuum usum habeat, tum in primis ea in re qua de agitur. Fit enim Satanae artificio, ut de die in diem huius et illius pastoris taedium nos corripiat, ut tandem sapor et gustus verbi Dei in nobis evanescat: quumque appetitu incerto et immoderato feramur, nihil quod rectum sit et salutare amplius admittamus. Iam ut non defuerit vobis ratio quaedam et apparentia, ut vocant; tamen non desinit vitiosus esse agendi modus. Quae tamen ratio subesse potuit? Quum unus ex vestris ad certas ecclesias visitandas profectus esset, alter illius loco submissus est cum vestro iudicio et approbatione: ignotus vobis esse non poterat qui iam multo ante concionatus fuerat apud vos. Neque coniecturis actum fuit, quum et de doctrina et de vita constaret. Si quis illum despicit, arrogantiam cum superbia in Deum prodit. Quid igitur sibi hoc vult, quum idem ille et legitime electus, et fideliter defunctus pastoris inter vos munere, uti etiam apposita ad eam rem Dei dona in ipso exstant, iam vero minus vobis adlubescat? Quem vero illi praefertis? hominem incognitum. Quis vero superest a temeritate apertissima vos nunc purgandi locus? Regeritis scilicet, istum multo ornatius dicere. Sic nempe meministis illius Pauli sententiae: Quod regnum Dei non sit in sermone, sed in virtute (1. Cor. 4, 20)? Proinde ut ipse alibi confirmat, ille unus in pretio nobis sit, qui est in Christo nova creatura (2. Cor. 5, 17): neque haereamus in carne et apparentia illa externa, quae nobis oculos hebetet, ne sincere, ut par est, iudicare possimus. Cavendum, inquam, a larvis, id est, ab omni eo quod extra sese ostentat, ubi ut plurimum fucus latet: sed ad id quod praecipuum et verum est intendamus, atque illic pedem figamus. Atqui bene iudicandum, ubi malum non apparet. Concedo, ubi de aliquo pro fratre agnoscendo agitur: sed quum de instituendo pastore agitur, longe aliud examen requiritur. Interea vero meis istis verbis praeiudicium cuiquam fieri nolim, quum qui sit nobis incognitus, eo deterior non sit in sese. Tantum hoc damno ut levitatis et temeritatis plenum, quod eo loco et ad tale munus hominem adhibere audemus, quem minus idonee exploravimus, ut legitimum de illo testimonium praecedat. Scriptura enim ita pastorem probum esse vult, ut et talem agnosci haberique praescribat. Enimvero si quis se ipsum ita immittat atque ingerat, ut iste a vobis inductus est, iam ipse ambitionis notam sibi inussit, ut non inquiratur ulterius. Ego sane malim pugnum mihi praecidi, quam ferre ut aut ea ratione intromitterer, aut intromissus coenam ministrarem, uti erga ipsum a vobis hac in re per tumultum gesta sunt omnia. Tanti momenti est vel unum exemplum. Pertinet omnino ad pastoris veri munus Mosis exemplum, quum neminem ex Domini populo non prophetam esse optaret (Num. 11, 29). Agnoscere etiam oportet, adeoque locum cedere quantum est in nobis, illis, qui dona illa acceperunt a Domino quae ad ecclesiam aedificandam conferant: quod ad fratrem nostrum spectare non dubito, uti aperte ostendit, quum illum admisit etiam promptius quam ipse fecissem. Sed ut res ipsa per se excutiatur, quis vobis suggessit penes populum esse, ut pastorem temere mutetis, prout hic potius quam ille, huius vel illius oratio aut ornatus in dicendo vos plus minusve ceperit: aut penes populum esse pronunciare, placere sibi ut coenam ministret? Quin relegamus potius huiusmodi ambitum ad claustra monachorum, quum Dei ecclesiam alia moderatio prorsus deceat? Vos vero plus etiam audetis quam par sit, si ex una concione statim fertis sententiam. Non pertinet, ut puto, ad omnes huius vitii notatio. Nam vel unum susurronem huius turbae autorem esse potuisse mihi persuadeo. Quum tamen ita vos humiliavit Dominus, ut ista tentatione abrepti fueritis, ego sane vobis vehementius obstitissem quam a fratre nostro factum sit. Ut enim laudo ipsius modestiam, ita etiam motum illum insolentem maiori severitate mihi refraenandum esse duxissem. Accedunt et circumstantiae quae malum exaggerant. Habetis pastorem in carcere detentum. Illo ita absente tales motus excitare, an excusationem ullam admittit? Inter extraneos ita tumultuari, ut quum illos vobis una moderatione conciliare debueritis, iam ipsorum iudicio obnoxios reddatis, qui in vestrae ecclesiae administratione tam praecipitanter vos geritis? Neque vero offendi vos oporteat mea ista acerbitate. Si enim essem apud vos, vehementius multo urgerem istud publicum delictum, cuius momentum

fortasse ut et causam ego eminus exactius expendo, quam vos in medio illo contentionis strepitu et pulvere cernatis. Ac spero omnino de vobis, sic ista a vobis acceptum iri, ut et mihi ad Deo gratias agendum vestro nomine os aperiatis. Quod si vobis modicam tristitiam attuli, me quidem non poenitet, ut Paulus loquitur (2. Cor. 7, 8. 9), dummodo ista sit tristitia secundum Deum: ubi nempe ita vos admissae culpae poenitebit, ut consultius deinceps agatis. Scitis quam ipse cupiam me ipsum consolari, dum vobis simul gaudii materiam obtulero. Quum vero aliquid mali subortum est, illic sese vera amicitia exserit ubi ad vitia non conniveimus, sed libere coarguimus, ut nullus pravus affectus aut carnalis intermistus sit. Si quis de me hic queretur, videat in primis an suum reatum serio excusserit, cui censura adeo molesta sit. Atqui longe me melior de vobis spes sustinet, uti hactenus vestri experimentum habui. Qui enim Deo vos obsequentes praestatis, dociles etiam exhibituros statuo, et aequo ac pacato animo admissuros reprehensiones, quae ex ipsius verbo ad vos ita diriguntur, ut quae in illis amaritudo subest, ad interiorem sanitatem et animae salutem plurimum faciat. Valete amantissimi fratres. Dominus vos omnes foveat in timore nominis sui et veritatis dilectione, det vobis continuum incrementum in omni bono et gratia spiritus sui, ut glorificetur in vobis nomen ipsius magis ac magis. Amen.

QUUM A MINISTERIO QUIS INDICTA CAUSA ABDICATUS ESSET.[1])

Quum et de turbis quae vestram ecclesiam vexarunt, et de mutatione pastoris subsequuta audivissemus, testatus sit etiam apud nos N. non constare sibi, quamobrem ministerio a vobis abdicatus esset: commodissimum duximus paucis vos ea de re commonefacere, quod eodem animo quo scribitur a nobis acceptum iri confisi sumus. Et quemadmodum zelo christiano ac sinceritate et vero amore fraterno eo adducimur, ita etiam facite, ut spiritum illum mansuetudinis quem scriptura unice commendat, nobis audiendis accommodetis. Non est vero quod multum disceptemus, quam illa *ἀταξία* propinquam ecclesiae ruinam minitetur, ubi res eo redierunt, ut magistratus ipse absolute ac per se ministros vel abdicet vel instituat. Quia tamen eo quandoque rediguntur, ubi fervent contentiones ac turbae, neque remedia ordinaria locum amplius habere possunt, experientia edoctos esse oportebit in posterum, ne ita vos proscindatis mutuo, ut invertendi ordinis causam ipsi praebeatis. Pluribus agere vobiscum non est necesse, quum nemo sit qui et mali magnitudinem, et quid illud consequatur, non percipiat. Quumque non nunc primum vestra ecclesia ruinam illam duxerit, eo minus sunt excusabiles, qui mali causam dederunt. Quare a vobis petimus, ut serio vobis attendatis in posterum, ut Satanae artes praecaveatis. Dum enim vi et fulgore veritatis, quam Dominus mundo restituit, premi se sentit, totus in eo est, ut ordinem ecclesiae convellendo pios omnes probro et ignominiae exponat. Quod ad istam ministerii abdicationem, secundum ea quae ad nos frater scripto detulit, ipsi nempe, quum a nemine accusatus sit, suggestum interdictum esse, non expressa ulla ratione: alienissima nobis haec agendi ratio, ut re ipsa est, plane etiam videtur. Neque vero quod ab illo accepimus, dissimulandum apud vos duximus, ut si quid hic in agendi modo peccatum est, emendaretur, tam ut illi iusta querimoniae causa, quam ut scandalum simul coniunctum tolli possit. Et tamen hanc nostram admonitionem praeiudicium vobis afferre nolumus; sed illa tantum eo spectat, ut nostro officio defungamur. Hoc tantum habuimus quod vobis scriberemus ea de re, de qua nobis non satis liquet: non quod vestra nobis integritas in dubium veniat, sed ne levitatis alicuius nota nobis impingatur, si re minus explorata ulterius progrederemur. Neque rursum vos urgere volumus, ut quid rei sit, amplius nobis significetis: nisi quod eam hic lucem afferri optaremus, quae noxios omnes rumores statim profligaret. Illud penes vos esto. Nobis satis erit, quod vos fraterne exhortati simus, ut videretis ne quid ecclesia vobis credita ab unitate et concordia alienum admitteret: ac proinde ne sacer ille ordo qui obtinere debet, iurgiis et rixis pessumdaretur. Nostis enim ut Dei filios spiritu mansuetudinis in vera moderatione contineri oporteat. Nos interea Deum precamur, ut sublatis illis litibus et plane exstinctis, quae vobis distrahendis tantum valuerunt, suo vos praesidio protegat, in omni bono prosperare donet, sua in vobis dona adaugeat, ut tanto magis glorificetur in vobis. Genevae, 10. Decembris.

AD QUAESTIONES CIRCA DISCIPLINAM ECCLESIAE RESPONSA.[1])

Hac ubique astutia molitur Satan Christi ecclesiam pessumdare, quando puram doctrinam, quae est veluti anima, prorsus exstinguere non potest, ut fracta et soluta disciplina nervos corporis inci-

1) *Epp. et Responsa ed. Genev.* 348, *Laus. p.* 659, *Hanov. p.* 741, *Chouet p.* 478, *Amst.* 218. *Ex gallico.*

1) *Epp. et Responsa ed. Genev. p.* 336, *Laus. p.* 640, *Hanov. p.* 719, *Chouet p.* 461, *Amst. p.* 210.

dat, unde luxatis membris paulo post sequatur tristis dissipatio. Atque utinam probe expenderent, quicunque iugo reiecto permitti volunt cuique effraenem licentiam, hoc modo se quaerere ruinam ecclesiae et vastitatem. Certe non tantum moderationi studerent, sed placido mansuetoque spiritu se ipsi quoque subiicerent communi disciplinae. Sed quoniam hac de re prolixius disserere non est nobis propositum, breviter literis vestris respondebimus, optimi et integerrimi fratres. Ubi nos primum consulitis: An adigendi sint ad fidem suam publice testandam, qui se in ecclesiam admitti postulant: deinde sententiam nostram rogatis de ipsa confessionis apud vos receptae forma, tandem quaeritis, annon excommunicandi sint e coetu fidelium, qui vel sua contumacia vel turpitudine vitae ordinem pervertunt? Nos autem non videmus cur grave sit homini, qui inter ecclesiae domesticos censeri vult, Christo capiti in solidum nomen dare. Quod fieri non potest, nisi diserte subscribat sincerae pietati, et ingenue errores damnet, quibus sinceritas religionis corrumpitur. Iam errorum detestatio saepe ex circumstantia temporum pendet. Quia prout novas turbandi rationes excogitat Satan, prudenter occurrere necesse est. Scimus quantopere nobis commendet Paulus unitatem spiritus, in vinculo pacis (Ephes. 4, 3). Porro ad fovendum et retinendum inter pios consensum, plusquam necessaria est illa solennis fidei professio. Denique quicunque optabunt ecclesiam Dei stare incolumem, non aegre ferent, hoc adminiculo eam fulciri. Non putamus esse, qui litem moveant de generali illa professione: sed frigeret illa nisi distincte quisque tam haereticis, quam perversis dogmatibus renunciet. Iam in forma vestrae confessionis nihil animadvertimus, quod non sit sacris Dei oraculis et fidei orthodoxae consentaneum. Itaque summam doctrinae quae illic habetur libenter probamus. Tantum vellemus epistolam ad Hebraeos non adscribi Paulo, quum firmis argumentis persuasi simus alium esse autorem. [1]) Neque tamen volumus nostro suffragio obstringi conscientias, vel quasi praeiudicio ligari ecclesiam, quominus liberum sit singulis in medium proferre, si quid eos a subscriptione impediat. Etsi autem nobis displicet eorum morositas, qui ob leves scrupulos a publico consensu discedunt: si quis tamen verbum aliquod durius, vel loquutionem amplecti nequeat, modo conveniat de re ipsa, tolerari forte poterit eius infirmitas, ne ob res quasque minimas scindatur ecclesia. Hortamur interea pios omnes ad hanc modestiam et sobrietatem, ut potius quisque ad reliquos omnes accedat, quam sua pervicacia speciem praebeat tentandae religionis. Caeterum, non aliter consistet ecclesiae incolumitas, quam si ad eam purgandam, fraenandas libidines, tollenda flagitia, corrigendos perversos mores vigeat excommunicatio: cuius moderatum usum quisquis recusat, praesertim admonitus, se ex Christi ovibus non esse prodit. Valete eximii viri, et nobis ex animo colendi fratres. Dominus semper vobis adsit, vos gubernet suo spiritu, et virtute sua confirmet ad implendum sanctae suae vocationis cursum. Genevae, 3. Nonas Martii.

Ioannes Calvinus fratrum nomine.

1) *In nulla confessionis formula Calvini tempore vel typis edita vel manu scripta, quam nos quidem vidimus, Epistola ad Hebraeos expressis verbis Paulo adscribitur.*

CAELIBATUM IN MINISTRO NON ITA REQUIRENDUM ESSE. [1])

Gratia tibi et pax a Deo patre nostro, et Domino Iesu, frater mihi plurimum in Domino observande.

Solemus, si quando ad eos scribendum est, quibuscum nulla nobis familiaritas aut necessitudo intercessit, diligenter principio excusare ac deprecari, ne vel temeritatis vel importunitatis ea in re notemur. Ego tamen, etsi de facie prorsus tibi sum incognitus, satis causae habere mihi videor, cur te meis literis sine ulla eiusmodi excusatione compellare audeam. Praeterquam enim quod Christus noster, quem uno spiritu colimus et confitemur, satis firmum intimae amicitiae vinculum nobis esse debet: quum mihi singularem tuam erga me benevolentiam N. exposuisset, non dubitavi quin officii mei vicissim esset, similem erga te animi mei sensum, quo possem modo, testari ac declarare. Praecipue vero mihi fiduciam addidit, quod et referebat te scriptis meis oblectari, et tibi non ingratum fore officium hoc promittebat, si privatas a me literas acciperes. Obtemperavi igitur, eoque libentius, quod me tibi non vulgariter obstrictum iudicabam, propter istud tam propensum in me studium: nec habebam in praesentia quod referrem, nisi hoc unum quod ille postulabat, et mihi facile erat praestare. Fidem porro non dubiam habui eius testimonio, quod apud te annum unum educatus totum animi tui sensum hac in re perspectum habere potest. Ergo, ut iam dixi, quum tu mihi aditum ad te non difficilem patefeceris, diutius in longiori excusatione non immorabor. Principio hoc tibi certum esse velim, nihil me magis cupere, quam et interiorem habere tecum amicitiam, et eam quibus licebit officiis confirmare. Ita enim mihi dotes tuas praedicavit pius hic frater, ut te inter eos facile recenseam, quibus plurimum debent quicunque Christi esse vo-

1) *Epp. et Responsa ed. Genev. p.* 336, *Laus. p.* 641, *Han. p.* 721, *Chouet p.* 462, *Amst. p.* 211.

lunt. Quo pauciores hodie boni sunt, eo maiore in pretio bonitas ipsa nobis esse debet, ubicunque apparet. Tu vero, ut audio, non exiguum et prudentiae et sinceritatis et sanctitatis specimen in eo praebes, quod quum munus periculi et laboris plenum ingenti difficultate istic sustineas, ita te geris, ut piis ac cordatis omnibus abunde satisfacias. Proinde merito et istas tuas virtutes suspicere, et te in Domino amplecti ac colere debent quibus cordi est ecclesiae aedificatio. Quantum ad me attinet, utinam luculentiore aliquo documento ostendere possem, quantopere te amem, quantumque tibi deferam. Quod tamen unum mihi restat, polliceor tibi meas ad Deum preces testes fore eius caritatis, quam humanis officiis experiri non potes. Interim ecclesiis vestris ex animo gratulor, quibus praeter sinceriorem doctrinam tot egregia bona contulit Dominus. Neque enim parvo aestimandum est, quod tales habent pastores a quibus regantur et ordinentur, quod adeo bene moratae sunt, quod adeo praeclara forma constitutae, quod optima disciplina praeditae, quam iure vocare possumus optimum atque adeo unicum retinendae obedientiae vinculum. Nos enim magna nostra molestia experimur quid valeat, dum eam desideramus, nec ulla ratione possumus ad eam pervenire. Haec res facit, ut saepe animo vacillem ac minus strenue functionem meam exsequar. Quin etiam desperarem prorsus, nisi succurreret ecclesiae aedificationem semper esse opus Domini, quod ipse virtute sua prosperabit, etiamsi nos adminicula omnia deficiant. Est tamen hoc magnum rarumque bonum, adiuvari tam necessario praesidio. Itaque ecclesias nostras tum demum rite suffultas arbitrabor, ubi isto nervo colligatae fuerint.

Caeterum confessionem vestram quae nuper fuit edita, inspexi tantum. Percurrere nondum per opportunitatem licuit. Habet tamen ab iis viris testimonium, quorum iudicio facile acquiesco. Tamen in commendatione caelibatus cuperem vos esse paulo parciores. Ignosces hac in re meae simplicitati, quod libere tibi exponere non dubito, quid mihi non ita placeat. Video consilium vestrum non omnino destitui aliqua ratione. Coniugio qui impliciti tenentur, minus sunt ad opus Domini expediti: ut magnopere ab hac remora solutos esse expediat, qui se totos volunt Domino consecrare: deinde ipsa continentia non minimam sacro ministerio dignitatem commendat. Postremo non vi nec tyrannice adigitis ad caelibatum qui in functione sunt ecclesiastica, sed quod iudicatis in rem esse ecclesiae, simpliciter illis consulitis ac suadetis. Atqui, ut fatear coniugium multa et varia impedimenta secum trahere, a quibus optandum sit liberos esse Christi servos: non tamen eiusmodi esse concedam, quae ab officio illos revocent. Tum vicissim obiiciam, caelibatum quoque suas habere incommoditates: easque non parvas nec unius generis. Nondum de continentiae difficultate loquor. Sed dico caelibes non minoribus nec paucioribus distrahi avocamentis, quam coniugatos: aut certe parum esse discriminis, quin utrique ex aequo distrahantur. Quod si etiam constaret nihil caelibatu liberius, coniugio nihil esse magis impeditum: obstare tamen id non debet, quominus necessitati consulatur. Certum est autem, coniugio multos utiliter carere non posse, qui sunt prae aliis ad ministerium idonei. Ad secundum respondeo, Dominum optime omnium providisse, quibus ornari dotibus suum ministerium conveniret. Videmus autem longe abesse, quin caelibatum inter eas commendarit (1. Tim. 3, 2; Tit. 1, 6). Quod non imperatis eam certa lege, probo. Sed vide ne illud ipsum legem sit praescribere, minoris aestimare eos qui uxores duxerint, quod videantur nonnihil ornamenti amisisse. Neque in veteri ecclesia lex erat, quae cogeret. Sed ita invaluerat praepostera caelibatus admiratio, ut coniugium in episcopis dedecore notaretur. Postea sensim irrepsit legis severitas, quae innumeras malorum formas nobis peperit: quid boni attulerit, non possum iudicare. Proinde semper vereor, ne periculosum sit immodicum haberi caelibatui honorem, quo boni viri a coniugio absterreantur, etiam ubi urget necessitas. Non abs re igitur cupere mihi videor, ut si qua est hac in re apud vos austeritas mitigetur: non quia vobis in praesentia obsit, sed quia multum obesse posteris poterit, quibus scis esse consulendum. Quod si rationes vestrae ita nunc habent, ut periculum aliquod ex pastorum coniugio vobis immineat, initam esse rationem velim, qua obviaretur. Cogor iterum veniam huius meae rusticitatis petere. Non enim mihi temperare potui, quin timorem meum hac in re breviter indicarem: supervacuum illum fortassis, sed tamen non de nihilo conceptum. Atque ut intelligas me privatam causam hic non agere: ego quem caelibatui tantopere infestum vides, uxorem nunquam duxi: et an ducturus aliquando sim, nescio.[1] Quod si duxero, hoc consilio faciam, ut expeditior a multis triciis Domino vacare possim. Neque in ista actione incontinentiae meae praetextum capto, quam obiicere mihi nemo potest. Verum occasionem cogitandi volui tibi praebere. Neque enim dubito, quin si animum semel ad hanc consultationem serio adieceris, pro tua singulari prudentia longoque usu, provisurus sis quid sit maxime salutare, et quod optimum factu visum fuerit, facturus.

Quantum ad hanc functionem cui praefectus es, sic te eam administrare confido, ut nullius exhortatione opus habeas. Magis optarem abs te admoneri, si quando tibi occasio daretur, et tantum otii

1) *Vides hanc epistolam antiquioribus adnumerandam esse.*

haberes. Interim, quod sponte scio te facere, conservandae unitati studeas obtestor. Tempora ipsa nos satis docent, quam necesse sit fideliter in Domino conspirare, quo ita iunctis animis adversus Satanam omnesque eius ordines militemus. Dominus Iesus te conservet, frater integerrime, et mihi in Domino reverende. Rogo ut meo nomine salutes, quos sperabis aequo animo salutem accepturos.

AD QUASDAM PIORUM FRATRUM CONTROVERSIAS.[1]

Ecclesiae N. calamitas non parvo nos dolore affecit: sed quia nunc Deus, ut suos exerceat, laxare videtur Satanae et improbis fraena, patienter nobis ferenda est nostra conditio. Rogandus interea, ut pro sua indulgentia teneri et pusilli gregis infirmitati parcat. Qui vero existimant infeliciter cum ecclesia agi, quoties hostium furore, aut crudeli violentia impetitur, nondum tenent christianae militiae rudimenta. Hinc illa dubitatio, quae multorum animis obrepsit, eosque nunc occupat: An piis liceat nocturnos habere vel clandestinos coetus. Videmus enim praecipue iudicium fieri ab eventu, quo nihil est magis praeposterum. Nuper quum absque molestia convenirent, putarunt etiam absque controversia gratum esse Deo suum obsequium: nunc ubi exorta est persequutio, disputant an non poenas luant suae temeritatis? Hoc modo mox etiam damnabitur fidei confessio, quae impiorum rabiem magis accendit. Denique secundum istos censores, non expediet Christum sequi, nisi prospero successu. Non abs re Paulus ludibria Ismaelis in summo persequutionis gradu statuit (Gal. 4, 29): quia plus est periculi a subsannatione et opprobriis, quam ab armata saevitia. Si rebus adversis premi nos vident impii, miseriis nostris insultant. Hic si labascit nostra constantia, gravius verbis nocent, quam gladio. Atqui tenendum erat illud Pauli: Quia speramus in Deum vivum, non tantum persequutionem ferendam esse, sed contumelias. Veniat igitur nobis in mentem exemplum Christi, quem virulento isto telo vulnerare conatus est Satan: Speravit in Deo, liberet eum si vult: ne titubemus quoties expositi videmur hostium libidini. Quod si primo impetu vel attoniti fuerunt fratres, vel turbati, tuum est eos fulcire, ne prorsus concidant: vel etiam erigere, ut animos iterum colligant: nec ideo deficiant a sancto instituto, quia impiis illud occasionem dederit saeviendi. Nam si res ipsa per se aestimatur, expedita erit responsio, non fuisse apostolis vitio datos conventus et privatos et clandestinos et a quibus nihil differunt qui nunc sub papatu habentur. Poterant tunc quoque malevoli obiicere, non sine suspicione noctu et clam convenire viros et mulieres. Nec dubium est, quin multis calumniis gravati fuerint: et quum stationem Hierosolymae haberent milites praesidiarii, potuit hoc videri tranquillitati publicae adversum. Neque tamen propterea destiterunt. Videmus ut Petro capto congregati fuerint apud viduam (Act. 12, 12). Neque hic colligere exempla operae pretium est, quia scitur hoc fuisse illis in quotidiano usu: sicuti testantur historiae, piis martyribus speluncas fuisse pro templis. Hoc quamquam non parvae vituperationi fuit obnoxium, ut vel latrocinii, vel aliorum scelerum suspecti esse possent: quia tamen ita cogebat necessitas, magnis animis spreverunt quae vulgo iactari sciebant probra. Ita nunc armati sunt optima defensione fratres nostri, si permitterent magistratus libere et palam invocare Dei nomen, libenter in lucem se prodituros, nec quidquam se facturos occulte: sed quia prohibentur illorum tyrannide, rationem sequi quae longissime abest a tumultu. Idem sentiendum de matrimoniis, quorum benedictio in papatu, quam vocant, mera est profanatio. Et tamen quod ad politicum ordinem spectat, non poterit clandestinum vocari coniugium, cuius confectae erunt tabulae: sed eius sanctitatem superstitionibus pollui et foedari nullo modo ferendum est. Quamquam nocturnae sepulturae non abs re legibus damnantur: frustra tamen suam mollitiem hoc praetextu tegunt, qui in suorum funeribus se involvunt ac permiscent receptis sacrilegiis. Eadem in baptismo valere debet ratio. Nam etsi instat illis praesentissimum periculum, non ideo tamen licebit quod manifeste Deus improbat. Scimus in papatu corruptum esse multis sordibus et fore adulteratum baptismum. Si nullus metus impediat, facile inter omnes pios conveniet, parentibus fas non esse liberos suos infantes ad vitiosum baptismum offerre. Ergo ex periculo captare excusationem nimis est frivolum, ac si inde res ipsa naturam mutaret. Scimus enim magis pretiosum esse coram Deo pietatis testimonium, quam ut minis, vel terroribus cedere debeat, saltem ubi ad simulationem usque progredi cogit nos metus, quae tacita sit impietatum approbatio. Quare sicuti pro caritatis officio piis fratribus condolescimus: ita minime nostrum est insolubili Dei lege eos solvere. Ac si olim non dubitarunt in Aegypto iudaicae mulieres, ut a gladio Pharaonis eriperent alienos infantes, sua capita offerre in discrimen (Exod. 1, 17), turpe est parentibus terreri metu, ut suorum animas quantum in se est contaminent. Haec ex collegii nostri sententia breviter ad te perscripsi, eximie vir, et ex animo colende frater. Dominus te spiritu suo semper gubernet, benedicat sanctos tuos labores, teque incolumem cum ecclesia tibi commissa tueatur. Symmystae quoque mei plurimum salutant. Genevae.

1) *Epp. et Responsa ed. Genev. p.* 331, *Laus. p.* 628, *Hanov. p.* 708, *Chouet p.* 455, *Amst. p.* 208.

QUAESTIONES MATRIMONIALES.

AD QUAESTIONES CONIUGALES.[1])

In quibus gradibus consanguinitatis non permittat Deus lege sua coniugium contrahere, satis notum est. Fratri sororem, patruo vel avunculo neptem, aut etiam proneptem ducere non licet: sicuti nec amita vel matertera nepoti suo vel pronepoti nubere potest. Frater autem patruelis, aut consobrinus sororem suam in gradu opposito ducere non vetatur. Quod lege Dei mandatum est, vocare in quaestionem fas non est, quantum ad prohibitiones spectat: ut incestuosa coniugia censeri debeant quae illic damnantur. Sed quia longo usu receptum est, ne consobrinus vel patruelis sororem suam ducat, offensionis habita fuit apud nos ratio, ne talibus coniugiis libertas concederetur. Si quis ergo interroget de summo iure, non respondebimus simpliciter peccare, qui suam consobrinam uxorem accipiet. Verum quia haec licentia exponeret Christi evangelium multis probris, tenenda est Pauli admonitio: Ne libertas nostra cuiquam cedat in offendiculum (1. Cor. 10, 23): deinde ut abstineamus etiam a licitis, nisi ita expediat. Nec vero servitus, qua inter se mutuo adstricti sunt fideles pro caritatis officio, metuenda est: quia liberae manent conscientiae coram Deo. Quantum ad gradus affinitatis spectat, similis est ratio. Disputant quidam, vel potius litigant, annon viro caelibi liceat accipere sororem uxoris mortuae: ac praetextum arripiunt ex verbis Mosis: Uxorem cum sorore eius non accipies in moerorem vel angustiam, ut reveles turpitudinem eius ea vivente. (Lev. 18, 18). Sed refellitur iisdem verbis eorum error: quia Moses illic non tam incestum damnat, quam crudelitatem mariti, qui vellet cognatam uxoris suae superducere. Est igitur illic exceptio polygamiae: quia quum ob duritiem cordis concessum esset Iudaeis plures simul uxores habere, excipere voluit Deus, ne duae sorores, vel cognatae, quod idem est, in certamen vel aemulationem committerentur.

II. Quia hactenus non tam severe, ut decebat, animadversum fuit in adulteria, ut eorum vitae parcatur, qui violant fidem coniugii, durum esset virum, quocum divortium fecit uxor adulterii causa, aut mulierem a marito repudiatam, si incontinentia laborent, in totam vitam a coniugio arcere. Itaque necesse est, ut indulgentia una alteram trahat. Consultum tamen non videtur, in eius partis, quae damnata est, arbitrio ponere, ut statim ad alias nuptias transvolet. Ideoque libertas ad tempus differenda est, sive praescribere libeat certum tempus, sive exspectare dum pars innoxia ad aliud coniugium transeat.

III. Frigidos et eunuchos, quibus negata est virilitas, diserte a matrimonio excludit Christus. Et certe quum nihil magis consensui repugnet quam error, non potest obstricta esse mulieris fides quae viro se nubere putavit. Adde quod haec frustratio coniugii naturam et finem prorsus evertit. Nam matrimonium quid aliud est, quam maris et foeminae coniunctio? Quorsum vero institutum est, nisi ob duos fines, nempe vel ad sobolem procreandam, vel ut remedium sit incontinentiae? Ergo dubium non est, quin mulier quae decepta fuit, causa cognita et bene probata, divortium impetrare debeat. Nec vero opus est rescindere coniugium, quod ab initio nullum fuit: sed pronunciare sufficiet eum qui ad coniugium idoneus non erat, perperam et malo dolo foeminam decepisse, cui maritus esse non poterat: atque ita stipulationem in qua nihil erat mutuum, irritam fuisse ac prorsus nullam.

IV. Matrimonium non nisi inter puberes legitimum esse, merito semper iudicatum fuit. Itaque

1) *Epp. et Responsa. ed. Genev. p.* 359, *Laus. p.* 671, *Hanov. p.* 754, *Chouet p.* 493, *Amst. p.* 225.

lusus puerilis est, et simul tamen levitas castigatione digna, si puer sibi uxorem despondeat. Ac primo statuendum est, quicunque sub parentum vel tutorum sunt potestate, hac maxime in parte non esse liberos nec sui iuris. Verum quamvis accedat parentum vel tutorum consensus, vel ipsi sunt praecipui autores, stipulationes tamen ante aetatem factae impuberes non obstringunt, nisi postqnam adoleverint maneant in sententia, sponteque testentur, se ratum habere quod prius intempestive gestum fuerat. Si qui vero liberos suos despondeant ante tempus, ut se et sua obligent, non possunt tamen pueris nondum ad coniugium maturis laqueum iniicere. Et quanqnam eiusmodi contractus profanatio quaedam est coniugii, si quis tamen temere multam sibi imposuerit, sustineat quam meritus est poenam: coniugii tamen nulla est actio, quia liberum est pueris, ubi ad pubertatem venerint, retractare quidquid parentes de ipsis male transegerant.

S'IL EST LICITE A UN HOMME DE PRENDRE EN MARIAGE LA SOEUR DE SA FEMME TRESPASSÉE.[1]

Sur la question qui est auiourdhuy debatue, assavoir s'il est licite à ung homme de prendre en mariage la soeur de sa femme trespassée Il nous ha semblé que celui qui l'a voulu affermer nous doibt estre pour exemple que ceulx qui s'estudient à complaire aux hommes ne seront iamais bons serviteurs de Iesus Christ comme dict sainct Paul. En premier lieu nous vouldrions bien qu'il se fust abstenu de mal appliquer les deux passages qu'il allegue en sa preface, comme à la verité il les corrompt et destourne en tout aultre sens qu'ils ne doyvent estre entendus. Au reste le faict principal seroit facilement liquidé si on estoit disposé d'acquiescer à verité et raison, plustost que de vouloir lascher la bride à ung appetit desordonné qui ne tend qu'à mettre grande confusion au monde. Il est bien certain quand il est defendu de prendre la femme du frere que Dieu ha declairé que de contracter mariage en ce degré là c'estoit chose repugnante à honnesteté et par consequent inceste. La diversité des raisons qu'on amene est nulle, veu qu'on se doibt tenir à celle que Dieu propose. Car si la honte du frere est descouverte, aussi sera elle de la soeur. Et cependant on peut veoir et iuger que Dieu n'a point regard aux consequences de meurtre ou empoisonnement ni à l'habitation commune, mais ha condamné le mal en soy. De pretendre que ce n'est pas ung mesme vaisseau c'est une couverture assez sale, et qui ne sent guere sa pudicité, et aussi le semblable se pourroit dire de la mere et de la fille ou de la tante et de la niepce. Or chascun confesse que Dieu en ha aultrement disposé, encore que Moyse n'en ait rien exprimé, comme de faict il ne parle point en methode subtile, mais propose en simplicité ce qui nous doibt bien suffire. Mesmes il n'y auroit nulle dispute de ceci, n'estoit l'ombre ou couleur qu'on emprunte de ce qui est escript: Tu ne prendras point à femme la soeur de celle que tu as tant qu'elle vit. Si ceste loy n'estoit point, tous confesseroyent sans contredict que le mariage avec les deux soeurs est illicite comme on le peult aisement recueillir. Maintenant soubs ombre qu'il n'y a defense que pour le temps de la vie on veult conclurre qu'apres le trespas il est permis. Or ceulx qui se fondent sus une telle exclusive ont mal regardé à l'intention du legislateur. Car il n'est point là parlé de turpitude ni inceste, mais seulement la cruauté est defendue de mettre deux soeurs en pique et contention. Ainsi une Loy qui regarde à humanité est tiree par les cheveux quand on la mesle parmi la defense des mariages incestueux. Il est bien certain que Dieu ha voulu mettre ceste exception en la polygamie, que si les Iuifs faisoyent tort à leurs femmes premieres en introduisant des secondes en leur lict, que pour le moins ung tel combat ne fust point entre les soeurs. Pour ceste cause les Rabbins ont estimé que notamment Dieu avoit debouté le peuple ancien de l'excuse qu'ils pouvoyent arracher de Lea et Rachel, comme si le faict du Patriarche Iacob les eust iustifiez. Mais à la verité ceste loy ne doibt estre restreincte aux soeurs germaines, veu qu'elle comprend les cousines et tout le parentage, comme s'il estoit defendu de despiter la femme iusqu'à la faire batailler contre son propre sang. Si ceste interpretation n'est receue, nous praticquerons la reigle que sainct Paul nous donne, de les laisser pour tels qu'ils sont quand ils veulent ignorer à leur escient ce qui est assez notoire. Touchant le droict civil, quand tout sera bien deduict, la coustume et experience fera foy que iamais ceste liberté n'a esté receue soubz l'empire de Rome. Nous ne respondons point à tout ce qui est amené pour monstrer qu'on ne doibt craindre le scandale en ce cas. Seulement il nous fait mal que l'escrivain se soit si fort transporté en la vehemence de ses passions qu'il vouldroit quasi faire à croire que la Chrestienté ne peut estre sauvee si ce meslinge n'est receu. Nous confessons bien que quand le pape en ha disposé c'a esté en presupposant qu'il n'estoit point defendu par la loy de Dieu. Mais l'erreur se descouvre par l'exposition droicte et naifve que nous avons n'a quieres recitée. Dieu vueille faire la grace à tous de ne se point enyvrer en curiositez frivoles non plus qu'en foles amours. De nostre part nous ne pensons pas avoir rien

1) *Bibl. de Genève, Cod.* 145, *fol.* 142. *Copie ancienne.*

avancé de noz fantasies ni opinions, mais avons tasché de nous conformer à la pure parolle de Dieu, comme nous esperons bien que toutes gens d'esprit moderé le cognoistront.

Sur le dernier ascavoir comment on se doibt gouverner envers ceulx qui retournent aux idolatries apres avoir communicque à la cene. Il est bien necessaire de tenir ordre et police qui serve de bride mais en cecy comme en tout il est expedient de tenir mesure. Cest dung coste qnon ne permecte point que la cene soit prophanee sans aucune correction et aussi daultre coste se garder de trop grande rigueur qui descouraige les debilles. Or il semble bien pour exemple quil suffise que la cene soit deffendue pour une fois à celuy qui aura decline aux superstitions, moiennant quil ny ayt pas continue ou quil nayt point faict acte exhorbitant qui soit pour redoubler ou aggraver lidolatrie, mais devant toute chose quon regarde bien sil y aura penitence. Quant à ceulx qui retombent pour la seconde ou 3ᵉ fois la severite y doibt estre plus grande pour plusieurs raisons, tant pource quen leur estant trop facille on nourriroit leur mal et seroit on cause de leur perdition que aussi on exposeroit en mocquerie le nom de Dieu et les promesses qui se feroient, oultre ce quung chacun se donneroit licence. Et en la fin au lieu de reverence il ny auroit que mespris.

Charles despeville.

AD DIVERSOS ARTICULOS. [1]

Dilectissimi fratres, quia ad singulas ecclesias quae apud vos sunt hoc scriptum spectat maxima ex parte, commodissimum duximus nostras ad vos literas communes dare, non tam ut labori parceremus, quam ne multum verborum frustra singulis literis insumendum esset: ac praesertim ut ita persuasi sitis, nos diversis literis nihil diversum respondere, quum nostrum consensum omnibus perinde constare velimus.

Primum igitur, quia accepimus quibusdam non probari, quum de fide interrogantur, ut si minus instructi deprehendantur, ad coenam non tantisper admittantur, donec melius profecerint: petimus ab illis quibus iste rigor non placet, in nomine Domini, ne sibi in malo suo indulgeant: neque etiam hoc captent, ut indulgeatur illis quod ad ipsorum exitium pertineret. Nota esse debet illa apostoli sententia inter Christianos, sacrilegii teneri quicunque panem Domini indigne comederint (1. Cor. 11, 27). Ut vero quis illo digne utatur, requirit ut sese quisque probet: ubi satis docet, non debere ad istam mensam accedere qui ad sese probandum non sunt idonei. Quisquis igitur non ante institutus in fide temere ad coenam accedit, iram Dei provocat: ut qui ita indigne vetantur accedere, non habeant quod querantur, dum ita illorum salus potius procuratur. Ac si quisque satis saperet, sibi quisque iudex esset: sed quia multi parum sibi attendunt, expedit certum ordinem exstare in ecclesia, uti nunquam non hoc obtinuit, ne profanentur sacramenta. Ubi enim promiscue omnes admittuntur sine delectu, contemptus est quem Dominus tolerare non potest. Dominus ipse coenam solis discipulis distribuit. Quare quisquis non est institutus in evangelii doctrina, non debet accedere ad Domini institutum. Nemo igitur moleste ferat, dum ipsius christianismus probatur saltem tenuissime quum ad coenam admittendus est. Idem etiam statuendum est in toto statu et ordine disciplinae, quae in ecclesia vigere debet, ne admittantur illi qui indigni iudicati fuerint. Scimus hoc novum videri illis qui non tenent discrimen inter iugum Domini nostri Iesu Christi, et papatus tyrannidem: sed vestrum est potius inspicere quae sit Domini

1) *Hoc quoque ex gallico versum Beza Epistolis inseruit Genev. p. 340, Laus. p. 648, Hanov. p. 729, Chouet p. 468, Amst. p. 213.*

voluntas, ut illi vos submittatis, quam ut fraena laxetis vestris affectibus. Nam et infidelium olim exemplum hic nobis incutiat pudorem oportet. Utcunque enim illi non eam reverentiam adhibuerint in suis superstitionibus, quae a nobis praestanda est in sacramentis: hoc tamen habuerunt pro confesso, ab illis arcendos esse quicunque aliquo crimine polluti censerentur. Quum vero coena Domini alicui interdicitur, ne se perpetuo excludi existimet, neque coniici in desperationem, sed hoc fieri ut sese deiiciat, utque alii per illum discant. Quum igitur hoc totum Dei verbo praescribatur, petimus a vobis per Dominum, ne vos subiicere pudeat rei de qua compertum habetis quam recta quamque sancta sit. Non est etiam nobis dubium, esse apud vos delectos homines et constitutos ad corrigenda scandala, ad monendos qui peccaverint, atque illos agnoscendos qui sese honeste gerunt. Qui autem ad ea munera vocantur, eam humanitatem, eamque moderationem prae se ferre debent, ne censurae praetextu quis infametur, aut prematur calumniis, falsis delationibus aut suspicionibus. Atque hoc attingimus nominatim, ut ita admittantur quae fient admonitiones, ut is ad quem pertinebunt audiatur etiam si quam excusationem habeat, ne aperiatur fenestra detrahendi et molestia afficiendi innocentes. Sic igitur expediet aliquem pro officio deferri apud seniores, ut delato sese purgare liceat: ac si innocens comperiatur, delator seorsim corrigatur ut minus circumspectus: sin vero malus animus ad delationem calumniosam ipsum impulit, illud esset plane intolerabile. Vestrum est autem orare Dominum, ut quos ad istud munus elegistis, illos spiritu suo regat cum vera prudentia, mansuetudine, zelo, rectitudine. Vos vero ipsos sinite fraenis illis contineri, quibus omnes opus habemus: et quorum est inspicere in alios, primi illi et corrigantur et castigentur.

Inter alia vitia quae multi sibi condonari vellent, unum est: nempe ut liceret ipsis beneficia illa papatus quae vocant retinere, vel de illis negotiari. Quod omnino extra disceptationem damnandum est. Crimen est enim quod christianismo diserte repugnat, si quis se talibus sacrilegiis contaminet. Alterum est non tanti momenti in speciem, offerre nempe infantes ad baptismum papisticum, aut prosequi funera mortuorum. Atqui ubi illi, qui hoc sibi licere aut non imputari volunt, serio se ipsos excusserint, ac Deum iudicem sibi posuerint ante oculos, facile in se ipsos ferent sententiam. Satis enim est notum vobis, quam foedis et detestandis superstitionibus, adeoque meris Satanae ludicris foedatus sit baptismus in papatu, ut quisquis offert illic infantem, polluat ipsum quantum in ipso est, non autem benedictionem Domini ipsi procuret. Participare etiam precibus quae fiunt pro mortuis, hoc non aliud esse potest, quam tantundem derogare unico Christi Domini nostri sacrificio, quando purgatorium solis humanis satisfactionibus nititur. Videte igitur an illud sit excusabile, et an, ubi quis ita scandalizaverit ecclesiam, dissimulari debeat, aut pro levi delicto tolerari: ac non potius eam reprehensionem mereatur, quae illum moneat, ut sit cautior in posterum, cui tale aliquid acciderit. Scimus in quibus versemini angustiis, ac vobis quoque pro caritatis officio condolemus: sed quia nihil iuvaret a nobis absolvi, sinite in vos potius ex Dei verbo ferri sententiam, ut totum istud vestro bono et saluti cedat.

Audimus aliud inter vos disceptari: nempe an liceat cuiquam ingerere sese ad praedicationem eo loci ubi ecclesia reformata exstet, etiamsi ab ecclesia hoc ratum habitum non sit. Atque ut quis ita se gesserit, an etiam liceat ad illum audiendum venire. Hic autem oramus ut diligenter attendatis, utcunque Dominus inter vos corpus aliquod ecclesiae constituerit, inde non sequi, multa non esse toleranda in *ἀταξίᾳ* publica quae istic adhuc viget, quae in ecclesia bene constituta ferenda non essent. Non loquimur de illis actionibus, in quibus peccatur in Deum, quaeque ipsius verbo repugnant. Sed quum miseri papistae sint ut oves dispersae, ubi Dominus excitat certos homines, qui illos ex dissipatione colligant, tantum abest ut talem opem illis oblatam impedire ipsi debeamus, ut potius eo casu nobis usurpandum sit illud Domini, ut habeamus pro nostris tum, qui non sint adversum nos (Luc. 9, 50). Quia hic non agitur de munere pastoris, sed tantum de illius opera, qui ita docet, ut sensim ad Christum adducat qui erant prius dispersi. Non agitur etiam de ordine perpetuo: sed de medio quodam extraordinario, quo Dominus utitur in confusione papatus. Recordamini etiam illius apostoli sententiae, quod qui non sunt ecclesiae domestici, ipsius regulae et statutis non sint subiecti (1. Cor. 5, 12). Observandum denique quod alibi tradit idem apostolus, offerri nempe gaudii materiam, ubi evangelium promovetur, etiamsi hoc per occasionem fiat (Philip. 1, 18). Quamobrem nobis non videtur interdicendum fidelibus ab istorum praedicatione, modo illic exstet proba et pura doctrina: absit autem precatio omnis superstitiosa, aut quaevis alia mixtura. Neque tamen hoc eo pertinet, ut inde occasionem captent subducendi se a coetu ordinario, aut etiam segnius conveniendi ad ordinarium pastorem audiendum. Incitandi sunt potius et confirmandi ad tenendum ordinem, in quem ipsos semel introduxit Dominus. Ac proinde attendite vobis, ne circumveniamini ab illis qui obliqua via tentant abducere oves a grege, ut a pastu ordinario alienas reddant. Interea si qui illos adeunt non curiositate quadam illecti, neque

ut a recta via declinent, tolerandi quidem illi videntur.

Gravius est vero quod quidam adeunt etiam conciones monachorum, qui verbum aliquod veritatis inspergunt suis mendaciis, ut ita gratiam sibi concilient. Quasi vero non ipsi nimis propensi ad vanitatem simus, et ad mendacia ut novi magistri quaerendi sint, qui nos eo inducant. Neque immerito illos punit Dominus, qui talibus mixturis delectantur: ut re ipsa constat illorum plurimos et a veritate deflectere et Satanae imposturis infici. Neque id aliunde est quam ab ipsorum ingratitudine, quando purae doctrinae non acquiescunt, sed vento pasci cupiunt. Iusto vero iudicio Dominus istos inebriari sinit. In genere cavendum vobis, ne sitis ex eorum numero qui semper discunt, ut ait Paulus, et nunquam scientiam veritatis assequuntur (2 Tim. 3, 7). Memores etiam esse vos velimus illius Domini admonitionis, ut caveatis vobis a fermento scribarum et Pharisaeorum: quando ita nobis difficile est qui eo semel aliquando imbuti fuimus, ut eo vere expurgemur, ac nihil ex illa corruptione faecis in nobis haereat. Quid iis igitur fiet, qui inter illos etiam vivere cupiunt, atque ita sponte Deum tentant? Idem existimandum est de toto genere precularum quas horas et patinostras vocant, et caeteris eiusmodi idololatriae instrumentis. Sic enim idola nobis prorsus esse debent exsecrationi, ut ne illorum quidem nomina nobis in ore sint, ut est in Psalmo 16 (v. 4). Cui respondet et illud Ezechielis (36, 32), quod si bene poenitet anteactae vitae, et viarum nostrarum in quibus erravimus, illarum nos etiam non pudere non potest.

Sunt aliae corruptelae, quae eo etiam accedunt. Aleae enim et quas cartas vocant, ut ad superstitiones non pertinuerint, sed aliorum vitiorum fuerint instrumenta, multum quoque damni et malorum passim intulerunt. Ac quod ad istiusmodi lusus attinet, non ita prorsus a nobis damnarentur, si in eorum usu quod licet locum haberet: sed ubinam exstat illa sobrietas? Primum non est aliud uspiam, quod ita homines quasi visco impediat, adeo ut totos eorum sensus occupet, non secus ac fascino correptos. Sed quemadmodum qui illis assueverunt, non ita possunt illis valedicere: ita etiam qui pedem aliquantum retulerit, illa omnia facile fastidiet. Porro qui sese ita iis rebus dedunt, atque ita insanire pergunt, incidunt in multas molestias. Notum est, vix unquam lusus effluere sine blasphemiis, fraudibus, atque excandescentia: quot etiam familiae inde accisae. Nemo enim tenet modum, quin sese exhauriat, aut sensim ipse consumat. Maxime ubi de lucrando agitur, fieri vix potest, quin Deus ipse laedatur aliquo modo. Quare magnopere expedit ab illis esse alienos, quantum fieri potest. Optimum vero abstinere prorsus.

Petimus etiam a vobis ne hoc audire molestum sit, ut quae inter vos sunt ecclesiae, quorum pastores oneribus familiarum numerosiorum premuntur, illis curetis prospectum, et illorum necessitati. Non potest enim qui inopia premitur libero esse animo et quieto, ut sese totum muneri suo impendat, dum familia egens est, neque habet quo subveniat ad manum. Atque omnino quum audimus ex Dei verbo, illos esse nobis alendos qui ecclesiae inserviunt, non est hoc mere restringendum ad ipsorum personas. Nam et ipsi essent inhumani, nisi aeque de suis ac de se ipsis essent solliciti. Praestamus hic quod possumus: sed ea est inopia, cui plane sublevandae impares sumus. Sed quia non dubitamus, quin satis per vos officium sitis facturi, ut non accedat nostrae exhortationis stimulus, satis erit verbo hoc apud vos iudicasse.

Atque ut tandem absolvamus, quia non dubitamus vos impeti quotidie ab hostibus fidei, petimus a vobis ut certetis constanter, neque remittatis quidquam, donec omnes impetus Satanae superaveritis, atque ad beatam metam ex intento cursu perveneritis. Agnoscite vero quae nobis coelitus arma suppeditentur: nempe ut ad eum unum nos recipiamus, qui nos ea gratia dignatur, ut in suum praesidium recipiat, atque ita in patientia possideamus animas nostras. Vi enim pervincere nobis fas non est: et probe nostis quam male succedat, quidquid temere aggredimur sine heri mandato. Dura omnino tentatio et superatu difficilis, dum impios ita videmus saevire adversus innocentes: sed intuendum est ad quid vocati simus. Et quando ita fert voluntas Domini ut affligamur, idque pro causa tanti momenti, ne alienum a nobis videatur. Enitamur potius discere ea ratione quam isti caducae vitae praeferenda sit Dei gloria et quam illi debemus obedientia, ipsumque Christi regnum, et spes illa vitae aeternae. Hic igitur ut et in genere illud quod scriptura docet in usu habete, ut vobis renunciando sacrificium sitis boni odoris Domino. Precamur Dominum, vobis primum impendio a nobis salutatis, ut vos respiciat atque asserat ab omnibus adversariis, suo praesidio tueatur, regat spiritu, atque omni bono cumulatos reddat.

AD TRIA QUAEDAM CAPITA. [1]

Diligentior fuissem in respondendo, dilectissime frater, nisi me retinuisset illa difficultas, quae cum eo mihi coniuncta visa est quod tuis literis a me

1) *Epp. et Resp. ed. Genev. p.* 346, *Laus. p.* 474, *Hanov. p.* 531, *Chouet p.* 475, *Amst. p.* 217. *Archetypum gallicum non exstat.*

requiris. Quaeris igitur, ecquid liceat ministris ex sua pecunia fructum aliquem stipulari et percipere. Si praecise non licere dixero, durior quam par sit iudicari poterit mea responsio, et adversus quam non desint quae etiam regerantur. Quare illud non licere, ipse quidem affirmare non ausim. Iam vero ubi expendo quam hoc obnoxium sit calumniis et scandalis, et quam plerique latissime extendant quod sub moderata conditione usurpari poterat, ut modum hac in re legitimum excedere sibi permittant, multo lubentius subsisterem, quam ut pleno responso hoc semel expediendum censerem. Consultissimum esset nempe, ab eiusmodi contractibus et redituum captationibus abstinere. Neque enim frustra ita de se testatur Ieremias (15, 10): Non foeneravi eis, neque ipsi foenerati sunt mihi, omnes maledicunt mihi. Quare quum ab eiusmodi quaestu sese continere potest minister verbi recte sibi consulit: et tamen quando quaestus ille tolerabilior est, quam si ipse per se negotiaretur, aut aliquam artem faceret quae ipsum a munere suo avocaret, non video cur factum in genere damnationem mereatur. Interea hanc moderationem adhiberi velim, ne videlicet certum reditum vel summam sibi praecise pendi stipuletur: sed ut pecuniam ita apud probum virum collocet, ut in illius fide ac probitate acquiescat: ac proinde contentus sit aequo et honesto fructu pecuniae, pro ratione benedictionis Dei erga ipsum pecuniae exercitorem.

Quod ad iurisiurandi exactionem in Consistorio attinet, agendum est prudenter, ut detractionibus et susurris malorum obviam eatur. Expediet igitur quum opus erit, adiurare qui vocati erunt, atque illos veluti ad Dei tribunal sistere, quando ille ipse in tali coetu praesidet: abstinendum est vero sedulo ab omni agendi ratione quae iurisdictionis speciem habeat, aut aliquid etiam ab illa non diversum.

Ad ultimum vero non video quid difficultatis subsit, quin admittantur ad Consistorium, qui iurisdictioni ordinariae et civili praesunt, modo ne intersint illic nomine et respectu suae illius iurisdictionis, sed ut discrimen observetur semper inter munera illa duo plane distincta, civile nempe et ecclesiasticum. Alioquin nulla ratio sinit excludi illos qui magistratum gerunt ab inspectione et regimine spirituali. Summa est, ut quum idonei homines ad illud munus electi erunt, videant ipsi ne cum gladii potestate confundant quod ab illa sui natura distinctum manere debet. Sic visum est respondere ad tua postulata, quod et fratres approbarunt quibuscum de istis nominatim contuli, ne ex meo unius sensu ista prodiisse viderentur. Bene vale. 10. Ianuarii 1560.

AD CERTA QUAEDAM CAPITA.[1])

Dilectissime frater, quia accidit ut plurimum ut in pecunia foenori locanda incidant multa praeter ius et aequum, satis tutum non est si ad tuam quaestionem simpliciter respondeam: quis nempe modus legitimi fructus pecuniae statuendus sit. Fiet enim nonnunquam ut vel minimus fructus ex pecunia percipi non possit sine Dei offensione, et proximi iniuria. Quare me excusatum apud te velim, si nihil hic certum, ut exspectas, praescripsero. Est quidem in hac civitate certus legibus modus constitutus. Sed non inde consequitur ad eum etiam modum fructum pecuniae exigere creditori bona conscientia licere a paupere, unde ille aliquo modo opprimatur. Accedit et illud quod me retinet ne plenius tibi respondeam, quod sciam te hoc a me rogare ea de causa tantum, ut alium quendam redarguas qui omnia hac in parte sibi permittit me in consilium non adhibito: quem etiam fortasse ne audire quidem dignaretur. Illi igitur pro me respondeat regula illa iuris ipsius naturalis, quam Dominus Iesus Christus partem summae legis et prophetarum statuit: ne videlicet faciamus alteri, quod factum non vellemus nobis.

Quod ad viduam attinet, si poterit secum liberos abducere, nihil illi pretiosius illorum animabus esse debet. Quare si illi manum porrexerit Dominus, ut ex eo luto aut abysso potius emergat, parum humane, ne dicam christiane fecerit, si illos a tergo reliquerit. Sed quia mihi non liquet quae sit aetas et quae voluntas ac rationes ad illud conficiendum apposite, illi ea sigillatim expendenda relinquo. Quidquid sit, non potest sponte illos ita relinquere, quin perpetuum inde moerorem sibi conciliaturam noverit. Maior est in nupta difficultas. Ut enim illa a viro secedat, nisi vi quadam maiore et ad extremum eo redacta, si illam nomine religionis aut alia occasione intolerandum in modum habeat, autor esse non possum. Neque modum illum intolerandum definio, quum domi durius etiam tractari contigerit. Omnem enim tolerantiam exhibuerit oportet, antequam ad illud remedium confugiat. Si vero ab idololatria tuta esse non potest nisi cum aperto vitae periculo, adeoque vir illi instet ut eam persequatur ipsemet, licebit tum illi fuga sibi consulere: non animo divertendi a viro et illius deserendi, utcunque se illi durum et intolerabilem exhibuerit: sed tantum ut evitet apertum periculum. Ac tantisper fieri poterit fa-

---

1) *Ex gallico versum Beza inseruit Tomo Epp. ed. Genev. p.* 354, *Laus. p.* 370, *Hanov. p.* 414, *Chouet p.* 487, *Amst.* 222.

ciente Domino, ut cor illud adeo efferatum viri mitescat et componatur: in ullius vero mortalis gratiam in Deum peccare nefas est. Te vero qui ita es de aliis sollicitus, tanto magis cogitaturum spero de tuo ipsius officio erga magnum illum patrem coelestem, a quo donatus es luce evangelii filii ipsius in qua nobis reposita est salus. Ac si hactenus bene coepisti, tanto magis in posterum enitendum est tibi, atque indies modis omnibus serio proficiendum. Quumque istic tot corruptelae vigeant, cave existimes aliter officio te fungi posse, quam ut ipse studeas unice ut Dei nomen glorificetur, et ipsius cultus et honor inter tuos ut par est vigeat. Faxit Dominus, ut quod a te peto illius nomine, ipse etiam meis tibi precibus exoratus re ipsa praestet. 28. April. 1556.

APOLOGIA

ILLUSTRIS D. IACOBI A BURGUNDIA

FALLESII BREDANIQUE DOMINI

QUA APUD IMPERATORIAM MAIESTATEM INUSTAS SIBI CRIMINATIONES DILUIT

FIDEIQUE SUAE CONFESSIONEM EDIT.

Iesaie 59.

Concidit veritas: et qui recessit a malo praedae patuit.

Si mihi optio daretur, Caesar, mallem equidem, et me et meam operam impendere iis, quae tuae maiestati grata esse queant, obsequiis, quam te audiendis hisce meis excusationibus occupare: quas nunc propono, ut me ab eo quod falso est obiectum, crimine liberem. Quanquam non unum sit aliquod huius generis crimen. Audio enim adversarios onerasse me omnibus iis quas et comminisci et fingere potuerunt calumniis. Quod si illis est liberum ita me calumniari: certe potestas mihi dari debet propugnandae saltem meae innocentiae. Est illud quidem bonis et malis commune, ut accusationibus obnoxii sint. Itaque, secundum eas ferre sententiam, non audito reo, causaque non perspecta, non posset non iniquum esse iudicium: simulque aperta fuerit via, qua vel optimi quique, statim opprimi possent. Quis enim tam innocens, cui desit accusator? Caeterum prudentia et aequitas tua, Caesar, faciunt, ut certo sperem non reiectum iri iustam hanc meam et supplicem petitionem: nempe, ut a tua maiestate venia mihi detur, si me molestum esse tibi cogant adversarii, et audientia causae nostrae non negetur. [pag. 4] Equidem scio, nil nunc me pati, quod non ab initio perpessi sint, quotquot Deum purius colere voluerunt. Ac ne longius exempla petantur: ex quo evangelium patefactum est, fuit ea perpetua quasi omnium Christianorum conditio, ut omnium calumniis patuerint. Ut iam (quod sine multis verbis commemorari non posset, et alioqui ex historiis nemini non perspectum esse potest) nil dicam de atrocibus illis criminibus, quibus indigne fuerunt gravati: ut summo apud omnes principes ordinesque odio, summaque infamia flagrarent. Illud palam est, Satanam mendaciis et calumniis non minus concucisse [1]) christianam religionem, quam vi et crudelitate. Quod si quando alias impiorum hominum audacia eo evasit, ut minime puduerit falsum dicere adversus cultores domini: nunc certe et impudentissime et confidentissime id faciunt. De ethnicis non loquor, qui palam adversantur ecclesiae et religioni christianae. De iis loquor, qui sese cum ea consentire profitentur. Quanquam nec illud novum sit. Ut enim olim prophetae et apostoli nullas experti linguas magis virulentas quam hypocritarum suae nationis, qui quum gloriarentur populi Dei nomine, [pag. 5] ferre tamen non poterant doctrinam veram, qua peccati et erroris arguerentur: sic quoque nunc qui adversus Christianos gravissimo odio, vel rabie potius ardent, ii sunt, qui quum simulent aliquem cum ecclesia consensum, manifestos tamen abusus et verbo Dei plane repugnantes, volunt tueri: propterea que ferre nequeunt, ut ulla reformationis mentio fiat. Itaque, si quis ea pietate et zelo esse videatur, ut in meliorem statum restitui velit quod vitiatum est: mox ab iis tantum non discerpitur, multo certe atrocius, quam si multorum criminum capitalium reus esset. Neque vero, ut paulo ante dixi, hos homines pudet, vel improbissime quidvis fingere, quod ne ullo quidem colore tegere possint, modo quo iure, qua iniuria, innocentem opprimant. Possem huius generis plurima, quae plus satis vulgata sunt, exempla commemorare. Sed si tua maiestas, Caesar, intelligere voluerit et dispicere, quid in hac mea causa verum sit: quum ex uno facile omnes discere poterit, tum exemplum, quod multorum loco sit, in ea deprehendere.

Equidem quod ad me attinet, aequo animo ferre debeo, si id nunc patiar, quod omnes olim tum prophetae tum apostoli perpessi sunt. Neque enim par est, meliori ut sim conditione. [pag. 6] Sed illud tamen me praecipue consolatur, quod filium Dei, Dominum et redemptorem nostrum, quasi ducem praeeuntem hic quoque sequar. Nimis enim tener fuero si in huius comitatu esse unus recusem. Nam et monentem apostolum audio, in hac nobis vita progrediendum esse, modo per nomen bonum, modo per infamiam. Occurrit praeterea Mosis exemplum, ut non exhorream opprobria populi Dei. Inprimis exhortationem illam audio, ut ducem nostrum imitemur, ad ignominiam usque crucis. Pos-

1) *Sic typis expressum. Vide an legendum sit:* concussisse.

tremo illam, quae promissa est, compensationem intueor: nos enim illo ad nihilum tantum non redigi oportere, ut quum dies venerit, in regnum Dei patris tanto altius erigamur. Novum itaque mihi esse non debet, si coram hominibus deprimar, atque etiam, quum opus fuerit, plane deiiciar, quum ea simul meo animo insideat consolatio, esse illud mihi apud Deum et eius angelos gloriae, atque honori. Et sane, non ita tenuiter in Dei verbo profeci, quin illud vere sentiam quid sibi velit, quantumque valeat, quod eius filius pronunciavit: Beatos fore nos, quum propter nomen suum vulgo male audiemus. Aequo itaque animo feram quod Dominus statuit, nec aliquo privilegio eximi peto [pag. 7] eorum conditione, quorum alioqui in numero censeri, longe abest quin dignus sim.

Sed si tuae maiestati placuerit, Caesar, aequis auribus audire, quae me causae cogant, hanc, quam nunc tibi exhibeo, excusationem conscribere: spero tibi probatum iri meum hoc patefaciendae tibi innocentiae meae studium. Primum enim si te mihi offensum esse intellexero, mei officii est, quoad potero, rationem tibi reddere eorum quibus oneror criminum. Nam quum natura ipsa me tibi obstrictum genuerit, ut qui sub tua ditione natus sum: tu eam obligationem magis etiam auxisti tua erga me benevolentia, qui me a puero in aula tua educasti. Velim itaque tibi persuadeas, Caesar, dare me velle operam, ut tuam maiestatem, quod quidem in me fuerit, hac maxime ratione habeam propitiam, ne officio meo desim. Quanquam et alioqui ultro animus meus eo inclinet. Nam etsi mihi male conscius non sim, grave tamen mihi est, benevolentia tua excidisse. Neque sane id alia de causa, quam quod tuae maiestati, quantum in me est, gratus esse cupiam.

Est et alia, Caesar, quae me dissimulare non patitur, ratio. Nobis enim a Domino praecipitur, ut os obstruamus calumniatoribus, [pag. 8] honeste nos gerentes, non modo coram Deo, sed et coram hominibus. Et quanquam primum illud fieri debeat honesta et irreprehensibili vita, in qua nullam inveniant de nobis maledicendi occasionem, qui eam quaerunt: tamen quum id praestare studuimus, si ea nihilominus sit adversariorum impudentia, ut non erubescant falsis calumniis nos impetere, operae pretium est interdum, eiusmodi libidinem cohiberi, ne alioqui, propter nos, male nomen Domini audiat. Non sane quod nominis tantum nostri et honoris asserendi causa, de calumniatoribus reprimendis solliciti esse debeamus: sed ubi quae nobis obiiciunt crimina, Dei nomen attingunt, et in eum veluti redundant, non modo non tacere debemus, sed constanter reclamare. Nam et alioqui ex nostra dissimulatione aliud malum sequeretur. Multi enim boni viri, hac occasione turbati, a recto itinere abduci possent. Cuius generis scandala vult imprimis Dominus nos amoliri. Itaque coram eo crudelis iudicari possim, si quis silentii mei culpa in offensionem aliquam incideret.

Postrema causa, quae me movet, ut horum sycophantarum audaciam compescam, haec est: ne in posterum idem audeant adversus [pag. 9] alios. Solent enim illi nostra patientia audaciores fieri. Si de mea re tantum ageretur: facile conquiescerem, et malum benignitate vincere praeoptarem: quin etiam exemplo Christi, quod Iesaias proponit, plane obmutescerem. Sed quum aliis damnosam fore video meam patientiam: non possum non hoc periculo moveri, ut, quantum possim, ei occurram. Nam hoc est mendacii proprium, ut si toleretur, magis invalescat: si refellatur, statim concidat. Neque vero tali me dignor honore, ut gloriosum aliquod post mortem testimonium appetam, quod mei nominis quasi monumentum in hoc mundo supersit. Utinam potius apud homines oblivione sepultum sit nomen meum: id vero quod unum laude dignum est, in iusto pretio habeatur. Sed illud mihi curae est, ne meo vitio perniciosum aliquod exemplum in me statuatur, quod bonis viris deinceps obsit, quibus homines malevoli calumnias struere vellent. Quasi impune liceat eos traducere, qui patienter iniurias tolerant. Quod nisi mea me conscientia cogeret tueri Christi causam, in asserenda evangelii ipsius veritate: meo deinde erga tuam maiestatem officio satisfacere: tum omnem, quae ex me nasci posset, offensionem amoliri: postremo [pag. 10] insolentiam maledicorum reprimere: nil mihi sane, Caesar, antiquius esset, quam innocentiam meam Domino, qui innocentiae iustus est patronus et vindex, commendare: meaeque conscientiae testimonio contentum esse potius, quam tuam maiestatem nunc mea defensione occuparo. Sed quum perspicue ostendisse mihi videar, etiam si velim, non esse id mihi integrum: spero tuam maiestatem ea erga me fore aequitate, ut et aliquam audientiam mihi tribuat, et de eo quod liquide intellexerit, sententiam ferat. Atque adeo tua interest, Caesar, verum in talibus causis tibi patefieri, ne quibus patet ad aures tuas aditus familiaritate tua impune, dum omnes tacent, abutantur.

Caeterum ut ad ipsam causam aggrediar, quam coram te agere, Caesar, instituo, adversarii me accusant haereseos: quae religioni christianae adversetur, eoque nomine cessisse patria ut poenam quam meritus essem, effugerem. Sed prius quam ad praecipuum causae statum descendam, respondendum mihi est quibusdam calumniis quas iidem illi, ut mihi invidiam et odium conflarent, vulgo sparsere. Non tam fortasse apud te, Caesar, quem quidem ita fallere non possunt, quam apud alios bonos viros, qui neque me norunt, neque rationem

[pag. 11] exactae meae vitae satis perspectam habent. Illud tamen spargitur, quasi tua maiestas idem de me suspicaretur. Suntque ii autores, quorum alioqui dignitatem haec calumnia minime decet: et quos cur habeam tam adversarios non satis intelligo. Nisi si illud, quod scriptum est, implere in me cupiant: Odio me habuerunt gratis.

Primum crimen, quo me onerant, tam futile est ac frivolum, ut nisi ista autoritate et confidentia ab iis diceretur, ullam eius facere mentionem nollem. Nunc vero si tacuero, eorum oratio non nihili esse videbitur. Iactant dilapidasse me meas facultates; ut quum dignitatem meam amplius tueri non possem, necesse mihi fuerit omnia pro derelicto habere, et non minus bonis, quam patria cedere: ne id fecisse videar religionis ergo. Si id diceretur in re praesenti: nulla mihi opus esset confutatione, ad coarguendam talem impudentiam. Sed procul facile audent mali homines haec fingere, quibus infamem me reddant, priusquam quid verum sit cognosci queat. Caeterum gratias ago Domino meo: nec esse me talem helluonem, vel huius generis (ut ita dicam) barathrum, cui satiando tam copiosi proventus non sufficerent: nec unquam fuisse tam profusae [pag. 12] ostentationis quin facile sumptus sustinuerim. Quanquam et si supra vires patrimonii fuissem sumptuosus: quis credat maluisse ultro bonis omnibus cedere, quum sumptum minuere? atque ut me aliqua forte desperatio praecipitem egisset, saltem quod reliquum erat, ut me in alia regione sustentarem, vendidissem. Nam quae tandem illa astutia fuerit, ita patria cedere quod sumptus nonnihil contrahere puderet: interim vero plurima, quibus alibi sit opus, bona derelinquere? Atque adeo quos reliqui annuos proventus, alendae honeste familiae fuisse pares testimonio est sollicita eorum cupiditas, qui illis ad se trahendis inhiarunt. Si quibus hypothecis nonnullae ex possessionibus implicitae erant: nisi obstitisset mea absentia: facilis erat explicandi ratio. Sed gratias ago Deo meo, Caesar, te ipsum testem mihi locupletem esse, quam vana sit haec, qua me adversarii infamant, calumnia. Certe si de sumptibus tantum ageretur, nil mihi facilius erat quam sumptuose vel in aula tua vivere, et multo quidem magis quam natura mea ferat. Neque enim, vel tenues, vel accisae opes fuerunt eius familiae, in qua natus sum nec ego tam malo tuitus sum patrimonium a progenitoribus relictum, ut infami cessione, vel ignominiosa [pag. 13] fuga inopiae pudorem discutere necesse habuerim. Imo vero non ignoras, Caesar, ultro me ab eo munere quod detuleras praeclarum, excusari voluisse. Nulla quidem tuae maiestati obsequendi recusatione, sed ingenua simplicitate, quod eo defungi, sicut optassem, minime poteram. An id est hominis, cui desit quo se alat? Sed ineptus fuerim, si hic pluribus te morer, Caesar, coram quo nullam huius rei mentionem facere opus fuerat, nisi ut te verecunde monerem, quam fidem mereantur tam effrontes calumniatores.

Eiusdem generis est, quod iactarunt, consensisse me, vel certo favisse Anabaptistis. Autores huius calumniae suis nominibus non notabo. Nam et mihi molestum est, quod se ita ipsi infament, ac omnem in posterum fidem suam apud bonos viros elevent. Sed tamen usitatum est hoc illis stratagema, Anabaptistas vocare quotquot non consentiunt vulgaribus corruptelis. Ut iam principum aures ad hanc cantilenam occalluisse putem. Quo fit, ut longiori responsione non indigeat. Sed illud nimirum est: nil de nobis dici tam absurdum posse, quod non fidem inveniat, etsi ne ullam quidem prae se ferat veri speciem, nisi nos respondeamus. Hic enim [pag. 14] si uno verbo totam meam defensionem conclusero, iniuriam mihi ab iis fieri, qui illud obiiciant, quod ne per somnium quidem unquam cogitavi, peracta breviter causa fuerit. Omnino enim eorum probare est, quod obiiciunt: certumque est accusationem, quae sua probatione destituitur, pro mera haberi calumnia. Iam vero quae tandem indicia adversum me proferre possunt, quae vel tenuem coniecturam ingerant: certe nihil est quod reformidem. Sed si iis tantum ultro indulgetur, ut nuda eorum accusatio fidem habeat, nisi contrarium ipse probem: saltem vel id mihi tribuatur, ut hac conditione audiar.

Primum igitur dico, nullum unquam mihi verbum excidisse, quod ullam huiusce criminis suspicionem praebuerit. Et sane tam vana et inepta esse audio Anabaptistarum deliria, ut non nisi omnium literarum rudes plane homines circumveniant. Caeterum quo me beneficio Dominus affecit, adeo non sum alienus a literis, quin et legere possim, et aliquid iudicare. Sicuti et a puero haec me studia semper oblectarunt: et hoc quoque nomine aliqua mihi intercessit necessitudo cum doctis viris et literatis. Sic itaque omnis a me aditus Anabaptistis obstructus erat, ut etiam si aspirarent, [pag. 15] frustra id ab iis factum esset. Certe ab eorum haeresi sic perpetuo abhorrui, ut quoties mentio eius aliqua facta est, quid sentirem, minime dissimulaverim. Cuius rei nec paucos, nec leves testes, qui meis sermonibus interfuerunt, commemorare possum. Atque adeo, quum minime ignorarem, magna astutia eos irrepere in animos simpliciorum hominum, sedulo curavi ut haec pestis, quam perniciosissimam iudicabam, prorsus a tota domo mea et familia arceretur. Rogentur ipsi Anabaptistae, an me in suorum numero habeant. Cuperent certe ita esse, et libenter gloriarentur, si ita esset. Sed nunquam me suum esse ipsi fatebuntur. Ac nescio sane an qui me hoc nomine infamant, eadem con-

stantia, si meo loco fuissem, iis reclamassent. Ad haec perpetuo mihi intercessit amicitia et familiaritas cum iis, qui huic haeresi sunt infestissimi. Eaque fuit vitae meae ratio, ut non minus ii, quam Anabaptistae ipsi, facile quid senserim intelligere statim potuerint. Quanquam non depellendae huius suspicionis, cuius nulla mihi obversabatur cogitatio, causa sic vixerim. Sed quod conscientia mea dictabat, ingenue sequebar.

Sed quid multis opus est? sciunt ipsi accusatores, [pag. 16] nullum huius generis crimen in me haerere, ut me sua voce condemnare non possint, quin arcano conscientiae suae sensu absolvant. Certe ne coniecturam ullam quidem proferent, qua suam calumniam tegant. Praeterea patet quod dixi, veterem vulgatamque iam esse hanc paroemiam, ut Anabaptistas appellent, quotquot christianae religionis corruptelas nunc velint corrigi quos adeo certum est Anabaptistarum sectae non esse affines, ut nulli magis sint alieni. Itaque satis mihi erit, tuae maiestati et obiter et breviter exposuisse, hac quoque in re voluisse adversarios infamia me premere, cuius nullam causam plane habuerint. Unde magis intelligas, quam sit de reliquis necesse quibus me gravant criminibus et prudenter et mature dispicere: quo magis et [1]) aequo et vero sententia feratur.

Discussis duabus illis calumniis, dicam nunc, Caesar, de summo illo ex [1]) praecipuo huius causae capite, cuius nomine audio tuam maiestatem alienato esse erga me animo. Ut autem facilius ac dilucidius rem totam expediam, in tria capita dividenda est oratio. Primum erit de anteacta mea vita, quum in patria viverem. Secundum de causa et ordine discessus mei et de iis, in quae me recepi, locis. [pag. 17] Tertium de religione, quam et amplexus sum, et nunc quoque retineo.

Si de mea vita, Caesar, inquiris diligenter, non aliter reperies quam me fideliter sincereque officio perfunctum esse, quod principi meo debui. Ac certe coram Deo testari et possum, et audeo, non minus puram, quam ingenuam fuisse hanc meam erga te affectionem. Quod ad homines attinet, iustum eius testimonium habent ex ipsa vita. Nullius unquam tumultus autor fui: nulla unquam a me tibi molestia contigit: nihil unquam delatum, quod te offenderet. Sed modeste non minus quam quiete, sub tuo imperio vixi. Et nunc quoque, licet adversarii tuam maiestatem a me nonnihil alienarint, non desino eodem esse animo. Neque quidquam est magis molestum ac grave, quam te propius non cognoscere, et qualis sit ille meus erga tuam maiestatem affectus, et quae huius causae veritas. Quibus cognitis, facile te mox fore placatum confiderem.

1) *Latet in his duobus locis error. Priore loco legendum videtur:* ex aequo, *postea vero:* et praecipuo.

Caeterum si, dum tibi obsequutus sum, simul etiam curae mihi fuit, sicuti debebat, Dei cultus: ideoque vitam meam ad praescriptum verbi eius componere studui, pro eius, quam mihi patefecerat, veritatis notitia: non existimo, Caesar, id fore mihi coram [pag. 18] tua maiestate crimini: praesertim quum nihil attentarim adversus tua edicta, sed ita perpetuo vixerim, ut nullius vel scandali vel perniciosi exempli autor unquam fuerim.

Nam quod aiunt evocasse me quendam concionatorem, eique comites dedisse, in eo mihi faciunt iniuriam. Neque enim unquam sollicitavi, vel autor fui, vel etiam conscius ut veniret. Sicut nec ullum a me habuisse comitatum, palam fiet. Si fecissem, quae ratio esset excusandi facti mei, viderem: sed testis est mihi Dominus, nihili esse quod iactatur: ut si de eo penitus inquirere placeat, tanto clarior futura sit mea purgatio. Quid multis? Quum in patria essem, Caesar, eam egi vitam, quae nec ullius erga te vel rebellionis, vel perfidiae, nec alicuius erga quempiam iniuriae, ullius denique criminis notari possit. Imo vero, quum tuo beneficio in tua aula versarer: indicabas vitam meam magis esse religiosi alicuius monachi, quam aulici. Tantum abest ut iudicari possim, impure vel dissolute vixisse. Caeterum si in vulgari caeremoniarum observatione, quae hodie abusu nescio quo regnum obtinent, non omnibus satisfacere potuerim: causa certe non est, cur ideo condemner, re alioqui tota non perspecta. Quanquam nil unquam [pag. 19] innovarim, vel turbarim: sed ea modestia semper conatus sum conscientiae meae respondere, ut interim politiam non convellerem. De religione mea dicam postea. Sic itaque existimo, toto illo vitae meae tempore nil fecisse, quod crimini verti posset, vel querimoniae locum dare debeat.

Alterum accusationis meae caput est de meo discessu: in quo plane me purgare non possum, Caesar, quin et tuae maiestati repetam, quod alioqui non ignorat, et reliqua commemorem, quae nondum fortasse intellexit. Quum uxorem ducere haberem in animo (quanquam eam ex familia Brederodensi, quae tuae est ditionis et imperii, delegissem: nec ingratum esse potest tuae maiestati hoc coniugium) priusquam tamen hac de re quidquam statuerem, an id tua mihi maiestas permitteret, sciscitatus sum, ut qui nil plane aggredi vellem, quod non prius certus essem tibi gratum fore. Contracto matrimonio, quod aliquanto tempore vixerim eo quem mihi dederat affinitas loco: id opinor, Caesar, tua maiestas, aut novum, aut insolens non iudicabit, quum et valetudinis meae ratio id postularet. Perpetuo enim morbo detinebar. Praeterea erat id domicilium ex quo uxorem ducere mihi permiseras. Eram enim apud [pag. 20] generosum comitem Guillermum a Neunard, uxoris meae avun-

culum, qui non modo tuae maiestatis imperio paret, sed unus semper fuit ex tibi fidissimis, et obsequentissimis. Quanquam non huic uni loco ita eram affixus, quin frequenter huc vel illuc commearem: quo me vocabant domus nostrae negotia, ac praesertim familiae cum fratribus herciscundae. Quo in negotio expediendo, illustrissima Regina soror tua autoritatem suam interposuit: et simul tui consiliarii suam operam adiunxerunt. Quo factum est, ut transactis rebus omnibus, placideque compositis re ipsa demonstrarim, non tam privatis commodis me voluisse consulere, quam concordiae et paci. Quoties tamen mihi integrum erat, Falesiam meam domum repetebam: in qua lubentius certe agebam, quam alibi precario. Nec sane unquam domicilium aliud sequutus fuissem, si eo loco licuisset quiete vivere. Et quanquam ii, qui mihi facessebant molestiam, infesti erant meo vivendi mori: nihil tamen in eo reperiebant aut dissolutum, aut impurum. Tantum, quia iis superstitionibus abstinerem, quas vulgus ecclesiae caeremonias nuncupat, ego autem cum verbo Dei pugnare noveram: rumor quidam sparsus erat, separatim [pag. 21] habere me meam sectam, et, ut fieri solet, quidam coniiciebant, plura quam fronte profiterer in recessu habere: alii etiam multa adiiciebant mentiendo. Quum his angustiis premerer, ut mihi offendendus esset Deus si hominibus placere vellem: commodissimum visum est, ad tempus secedere: et ab eorum conspectu paulisper me subducere, qui obturbare non desinebant. Quin etiam ex meis cognatis nonnulli tam erant infesti, ut nisi vim vi repulissem, ne domi quidem meae forem securus. Atqui vitam potius profundere, quam ullam, vel tenuissimam eius commotionis speciem edere, multo maluissem.

Dicent fortassis adversarii, non esse verisimile, mihi meos tam fuisse molestos sine causa. Deinde ad tuam maiestatem eo nomine confugiendum, patria cedendum non fuisse. Respondeo: ea tamen causa adversus me commotos esse, quod obedire Deo, quam hominibus mallem. Hic ad tuam certe maiestatem confugiendum erat, si qua mihi spes fuisset impetrandae audientiae. Sed facile coniicere potui, eos qui mihi domi molesti erant, ita praeoccupasse tuum quoque animum falsis delationibus, ut aversis auribus verba facturus essem. Neque praeterea me latebat, quantulum [pag. 22] inventurus essem apud eos aequitatis, quibus in religionis controversiis cognitionem mandare soles. Neque enim accurata inquisitione, vel moderato examine causam expendunt: sed quidquid cum suis deliriis minus congruere vident, mox habent pro damnato. Ita nec veritati nec rationi locum reliquum faciunt. Dabis veniam, Caesar, si quod in hac mea causa verum est, simpliciter sine ulla dissimulatione, et candide sine fuco exponam. Praesertim quum intelligas quo affectu id faciam. Decet certe unumquemque iuxta cognitionis a Domino concessae modum, vitam suam instituere. Nam quo magis bonum ac malum nobis innotuit, tanto minus est excusationis, si hoc non fugimus, illud sectemur. Si dixero edoctum fuisse me verbo Domini, puram non esse religionis formam, quae vulgo hodie est recepta et sanctissima habetur, proptereaque non potuisse eam amplecti, quin Deum offenderem magis quam colerem, peto iterum tua a maiestate, Caesar, ne superbiae ascribatur: neque enim aut oculatum, aut ingeniosum, aut prudentem, aut circumspectum esse me dico super alios. Nihil mihi istorum vel arrogo vel tribuo. Imo vero ingenue agnosco et fateor, eam esse meam imbecillitatem, [pag. 23] ut minime eo evadere potuerim, vel naturali meo ingenio, vel alicunde comparato iudicio. Sed ita visum fuit Deo meo, pro infinita sua bonitate, viam illam, quae alioqui plane ignota mihi erat, commonstrare: non quidem ut doctoris titulum induerem, sed ut obedienter modesteque sequerer quo ducebat. Sic itaque, quod alii ignorantia obvoluti fortasse faciunt bono quodam zelo, facere non potui sine impia pervicacia, ex quo Domini voluntatem cognovi. Res tota in hoc sita est, Caesar, quod Dominus coli vult ea quam verbo suo praescripsit ratione, et graviter vetat hic nos aliquid moliri ex nostro ingenio, vel suis de vero cultu edictis quidquam adiicere. Atqui religionem hodie usitatam homines fere totam commenti sunt, sine ullo verbi Domini suffragio. Imo vero plurima insunt, quae manifeste pugnant cum sancta scriptura, et si quid habeat quod ea niti videatur, ita vitiatum est, ut vix ullam deprehendere similitudinem liceat.

Testor equidem, si mihi integrum fuisset Deum pure colere, et iis quas damnat superstitionibus abstinere sine ullo tumultu, vel scandalo: interimque familiam meam tueri, et recte instituere, simul et obsequium, quod [pag. 24] tuae maiestati debebam, reddere: nil fuisse potius mihi futurum, quam in patria habitare. Nec vereor, ut re tota penitus perspecta, alicuius vanitatis suspecta sit haec mea protestatio. Illud vero si non liceret: saltem hoc summopere optassem, aliquam mihi a tua maiestate audientiam dari, rei toti, qualis qualis est, patefaciendae. Sed quum, sicuti iam a me dictum est, non ignorarem eos, qui mihi domi infesti erant, tuam maiestatem erga me irritasse: malui cedendo excusationes omnes omittere, quam esse tibi molestus. Praeterea eos intelligebam, qui privati sui commodi et ambitionis magis studiosi sunt, quam tuae vel dignitatis vel salutis, totos in eo esse, ut tuam maiestatem inflamment adversus eos, qui crassissimos eorum errores attingere audeant, vel alioqui nutu significent, nolle se illis subscribere.

Quod si mihi aditus patuisset, Caesar, ad cogitationes meas tibi aperiendas, praeclare certe mecum actum putassem: neque id tam privatae meae excusationis causa, quam ut officio erga te meo defungerer. Sentio enim, tam communi subditorum lege, quam peculiari quod tibi dixi sacramento, obligatum esse me, ut si quid scire tua intersit, ne id tibi per me tegatur. Sed quia non abs re verebar, ne, si te monendum [pag. 25] susciperem quam vitiata multis partibus sit religio quae hodie vulgo obtinuit, mihi praeclusa esset via, utcunque perperam obrepsisse, claris argumentis ostenderem, quod adversa iam esses persuasione occupatus: amplexus sum, quod proprium erat, subsidium: ut mea discessione docerem, quam alienissimum me esse ab iis imposturis, quibus intelligo nihil quam iram Domini provocari adversus omnes qui illis communicant. Quanquam itaque, Caesar, discessus te meus, quod nullam eius rationem prius reddiderim, offenderit, spero tamen aliquando boni te consulturum, quod a me factum est. Interim me hoc apud Deum consolatur, ex tua nobilitate primum fuisse me, qui re ipsa magis quam verbo professus sim, alienum animum ab iis habere, quae quum Dei honorem graviter laedant, non possunt tuae maiestati non esse perniciosa. Denique conscientia, quam in hisce rebus sequutus sum, me ab omni culpa vindicat. Et res ipsa, opinione mea, vitio mihi dari non debet.

Superest ut de eo, in quem me recepi, loco verba faciam: et qualem vitam omnibus in locis egerim. Si me in hostilem ditionem contulissem, nonnullius esset maledicentiae locus. Ego vero primum diverti in civitatem tuam Coloniensem, [pag. 26] ubi innocenter et citra cuiusquam offensionem ita vixi, ut iure nemo de me queri possit. Quinimo archiepiscopus princepsque Coloniensis elector, quum vitae ac morum meorum certior esset factus, maiori me humanitate et favore dignatus est, quam ab eo postulare ausus essem: eodemque a se proficiscentem est prosequutus. Qua ex re perspicue intelliges rationem vivendi nostram illic honestissimam fuisse, et ab omni sinistra nota remotam. Spero enim a te, Caesar, non improbatum iri eius in me principis propensum favorem, quasi testem spectatae ab eo integritatis meae. Si de magistratu Coloniensi agatur: spero idem fore, ut existimationem meam suo testimonio non laedat. Inde morbo coactus, Argentoratum profectus sum, civitatem illam tui certe imperii non postremam: ut vereri non debuerim, ne aut novum, aut ingratum id tibi esse posset. Si aut Parisiis agerem, aut Venetiis: non existimarer eo nomine quidquam gravius adversus tuam maiestatem commisisse. Quanto itaque magis mihi permissum erit, in ea civitate habitare, quae tui sit imperii et ditionis?

Atqui, Caesar, hac praecipue ratione senatus ille tuus Machliniensis, et tuo nomine [pag. 27] manum iniecit meis possessionibus, et reum me deinde peragere non dubitavit. Tua vero maiestas iudicare potest, an iusta sit haec causa, cur me tam atrociter persequantur. Scio equidem et alias duas causas congeri, quod scilicet, te adventante, discesserim Colonia, adversus tuum interdictum. Quumque mandasses Argentoratum relinquerem, quod pedem tamen inde non moverim: proptereaque me inobedientiae convictum. Quod ad priorem causam attinet, Caesar, existimo fuisse tibi meis literis satisfactum, quod et aequissima fuerit, quam proposui, excusatio et verissima iudicari possit, si de mei discessus tempore inquiratur. Certe medici, frustra tentatis omnibus aliis remediis, ad balnea me relegarant, quumque intuerentur illam meam imbecillitatem, in quam longo morbo debilitatus incideram, properandum quantum possem consuluerant: habita quoque ratione affecti et propemodum fracti corporis, ut iter eligerem minus asperum, praeceperant. Et sane quum mihi equi aut cursus [1]) decensio non esset tolerabilis, Rhenum conscendi: quia navigatio mollior futura erat. Solvi igitur Colonia, nullo certe consilio vitandae, Caesar, tuae praesentiae: sed coactus gravissima, ut iam dixi, necessitate. Neque vero [pag. 28] tum nota mihi erat tua voluntas. Quum longe progressus essem, et Argentorato iam appropinquarem, tunc primum literas a tua maiestate accipio: quibus iubebas me Coloniae tuum adventum praestolari. Caeterum ut eo redirem, nullo modo facere potui. Sic enim de via lassus, deque longo itinere fractus eram, ut hic lecto affixus multo tempore fuerim, sine ulla fere longioris vitae spe. Certum est itaque, me non potuisse iter bidui conficere, quin mihi capitalis fuisset haec loci mutatio. Sic itaque, Caesar, indicari non possum, tuo mandato non paruisse, quum Colonia discederem. Neque enim illud acceperam: nec, nisi re confecta, quid velles intellexi: quod facile, ubi permiseris, probare mihi promptum erit.

Ut ad secundum caput veniam, misisti ad me, Caesar, nobilem quendam virum tuae curiae, cum litteris et fiduciario mandato. Is a tua maiestate mandatum se habere dixit, ut intelligeret ecquid valerem, cur huc venissem, et quid deinceps facere instituerem: simul etiam me moneret obliquae suspicionis, qua notabar religionis nomine, quo de ea tuae maiestati me purgarem. Verum idem potuit, Caesar, certum ferre testimonium de mea valetudine, qua me tum laborantem vidit, isque unus locuples erit [pag. 29] testis, quod paulo ante dixi, esse verissimum. Si enim tum quoque, quum iam convalescere inciperem, usque adeo tamen infirmus adhuc eram, facile certoque inde coniicere licuit,

1) currus?

quam deiectus fuerim, quum integra esset vis morbi. Nec certe existimo, voluisse te, Caesar, ut certo nihilominus vitae meae periculo discederem Argentorato. Quinimo mihi persuasi, aequo te animo tulisse, quod hic haererem in loco, cui me morbus ita affixerat, ut me nullo modo dare in viam possem. Saltem illud certum et perspicuum est, nulla me vel contemptione vel rebellione laesisse tuam maiestatem: quemadmodum tamen curia tua Machliniensis statuit, quia hinc abscedere differrem, me contumaciae esse damnandum. Certe ubi facultas deest, de voluntate iudicari non potest. Constat autem ab eo tempore, non potuisse me, nisi magno meo malo, ne domo quidem mea pedem movere.

Superest tertium de illa quam imperaras purgatione caput: quod et praecipuum est (ex eo enim omnia reliqua dependent) et postrema pars erit huiusce meae defensionis. Quod ad superiora illa crimina, quorum obiter hactenus mentionem feci, non omnino coram te, Caesar, obiiciuntur. Et certe vaniora [pag. 30] sunt, quam ut speret quisquam iis te fidem habiturum. Sed quae tuam maiestatem adversum me irritare potuit, una est offensa: quod male suspiceris de mea religione. Porro non ignoras, Caesar, me per eundem illum virum, quem miseras, hac quoque in re satisfacere tibi conatum. Misi enim quandam brevem meae fidei confessionem, in qua nihil astute finxi: sed quod animo inclusum habebam, ore sum confessus. Neque tamen pluribus verbis explicui singula capita, quia nec id opus fore putabam. Sed nihil illa continet, quod cum vera doctrina christiana plane non consentiat: ut testis mihi esse possit, illud mihi cordi et curae esse, ut Deum pura simplicitate iuxta eius verbum colam. Atqui curia tua Machliniensis, Caesar, eo nomine pronunciavit, descivisse me a fide christiana. Equidem non ea stulta ambitione ducor, ut literatus videri affectem. Sed non possum tamen non mirari, quid tandem in illa mea confessione, quod ita damnaret, legerit. Nihil enim continet, quod non omnes et prophetae, et apostoli, et martyres semper confessi sint. Nisi si forte illud non ferat, quod errores eos non amplectar, quos omnino reiicere cogor, siquidem Deo reclamare nolim. At quae tandem haec [pag. 31] causa, cur ita graviter damnent repudientque doctrinam, quae mihi cum omnibus piis, et universa Dei ecclesia communis est? Quod ad te attinet, Caesar, equidem spero aequiore animo acceptam esse. Sed quia non omnino hic certus esse possum, hicque mihi statutum est, omnes causae meae partes sine ulla dissimulatione exponere: nec debeo, nec possum, summum hoc praecipuumque caput omittere. Illud vero a te, Caesar, supplex peto, ut quum nihil hic agam malitiose, nihil arroganter, nihil hypocritice: dicentem me ferat et audiat tua maiestas, donec breviter explicuero, quae fuerit hactenus mea religio. Quam etiam retinere spes est, quamdiu Dominus me suo spiritu gubernarit: id quod fore confido non minus in morte quam tota vita.

Scis, Caesar, nullam esse tam levem causam, de qua liceat, nisi cognita et perspecta, pronunciare. Nunc, si quo Dei timore eiusque maiestatis reverentia tangamur, certe causa de qua nunc agitur supra alias digna est, quae et religiose et diligenter expendatur atque excutiatur. Agitur enim de illa Dei doctrina, in qua tam eius honor cultusque situs est quam tota nostra salus: quae sceptrum est spirituale summi illius imperii: quod [pag. 32] pater coelestis Christo Domino nostro contulit, quae fructum mortis ipsius nobis confert: quae vitae nostrae lex est et regula: denique qua omnes aliquando sive principes, sive plebeii, iudicabimur.

Illud quoque a te supplex peto, Caesar, ut memineris unum se nunc tuae maiestati sistere, qui totus tuus est, quique ex nobili ortus familia sic perpetuo vixit, ut de eo vix quisquam iure queri possit. Nunc eo tantum nomine defertur, quod a fide catholica dissentire aiunt. Equidem fateor, grave id et atrox crimen fore. Sed quum iniuria me accusari contendam: permittat mihi tua aequitas, Caesar, ut audiar, donec rem totam penitus perspexeris et prudenter expenderis.

Quia vero id usu venire videmus, ut propter rerum confusionem, qualis nunc est, multa et nova et mala videantur, quae tamen Dei sunt, et ex eius verbo desumpta: illud initio a tua maiestate, Caesar, petere cogor, ut quod tibi omnibusque sani iudicii hominibus compertum est, in memoriam revoces, plurimos in ecclesiam christianam irrepsisse abusus, qui et iram Domini non leviter provocant, ac ut corrigantur necesse est. Abusus dico non modo propter vitia hominum, [pag. 33] sive contaminatam pastorum totiusque cleri vitam: sed maxime propter exitiales superstitiones et errores, quibus infelici populo, atque adeo principibus ipsis imponitur. Constat enim supra quam dici posset, omnia degenerasse, et ab ea quae apostolorum tempore fuit puritate decidisse: multaque praeterea ab annis quadringentis nata esse, quae plane vitiosa sunt: ut de recentioribus nil dicam.

Deinde et illud expendas, Caesar, quam grave fuerit christianae conscientiae, iis quae mala esse noverit, vel assentiri, vel aliquem simulare consensum. Ego certe tanto graviori Dei iudicio premerer, quo magis iam olim discussa fuerat ignorantia. Vix enim annos natus eram quindecim, quum id gustare coepi quod mihi postea Dominus suo beneficio plenius patefecit. Id quidem aliquo tempore veluti sepultum in me esse videbatur. Sed Dominus, pro sua infinita bonitate, passus non est prorsus aboleri. Ut tandem apparuerit, fuisse illud

semen suffocatum, non exstinctum. Sic itaque, quum denuo admonitus et excitatus essem, aut Deo plane repugnandum erat, aut praeferenda cognitio quam mihi infuderat. Nota est, et vulgo quoque trita Domini nostri Iesu Christi sententia, servum eum qui [pag. 34] Domini voluntatem novit, si eam contemnat, duplo puniendum esse. Atque hoc iure communiter inter nos homines utimur. Sic itaque gravius futurum erat meum peccatum, si quid fecissem adversus conscientiae meae iudicium, quam sit eorum quibus oculos nondum aperuit Dominus: nam quae in his est ignorantia, in me fuisset pervicacia. Quae quidem iusta mihi videtur excusatio, cur me ad aliorum regulam non composuerim, quorum diversa erat conditio. Neque vero id a me vel gloriose vel arroganter dici existimari velim. Sed quum mihi Deus verbo suo quidnam esset mei officii praescriberet: qua decuit simplicitate sequutum me scias, Caesar, quo vocabat agebatque conscientia coram Domino: nulla autem temeritate incitatum supra alios assurgere voluisse. Interim nec mihi tantum tribuo, nec iudicio meo tam sum addictus, quin me relicto facile sim accessurus meliora docenti, si quid a Domino adferat. Nam ut christiani hominis est, Dei veritatem constanter amplecti, sic etiam docilem iis se reddere, qui alicuius erroris evidenter eum convincent.

Primum profiteor, sicut a me iam factum est, certa fide amplecti, quidquid sacris literis et apostolorum Symbolo continetur: planeque [pag. 35] alienum esse ab haeresibus, quotquot a veteri ecclesia damnatae sunt. Porro, sacram scripturam sequutus unicum Deum adoro, et honorem illum, quem sibi proprium esse voluit, ad creaturas minime transfero. Ipsum autem colo non ea quam ad meum arbitrium effinxerim, sed quam ille praescripsit, ratione. Agnosco etiam et profiteor autorem eum esse, et fontem omnis bonitatis, sapientiae, virtutis, iustitiae, et si quid praeterea laude dignum sit: eoque nomine omnem illi uni gloriam esse tribuendam. Simul autem in eius cultu, quem non ipsi commenti simus, sed quem ille mandavit, totam hanc vitam esse transigendam, eique veluti uni devovendam. Sed eam tamen esse nostram et pravitatem et ingratitudinem, ut illius obedientiae quam illi debemus loco, toti in eo simus, ut eius voluntati adversemur, idque ex ea naturae nostrae corruptione, quae a primo patre nostro Adam propagata est. Sic enim is, ubi Deum deseruit, simul nos omnes in suam traxit ruinam. Itaque agnosco nos a matris utero, propter peccatum quod circumferimus, reos esse mortis aeternae, ut iure possimus a Domino damnari. Ad haec, adeo perversam vitiosamque esse nostram naturam, ut et caecus sit intellectus, et cor ipsum pravum, [pag. 36] nihil ut a nobis, quod bonum sit, proficisci queat. Nam et si quam boni speciem fortasse praetexuerimus, nihilominus coram Deo mera est abominatio, si in ea haereamus, quam dixi, naturae corruptione.

Sed Deus, pro infinita sua bonitate, nos intuitus, et intelligens deploratum esse hunc morbum, nisi si succurreret ipse, nostri misertus est et opem attulit per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, quem emisit, ut nos redimeret, et quod in Adam ademptum fuerat, restitueret. Itaque agnosco Dominum nostrum Iesum, ut id cuius nomine missus erat, impleret praestaretque, sua morte nos reconciliasse Deo patri suo, et nostra peccata delevisse, ne quid obstaret, quominus illi accepti essemus. Nunc quoque per spiritum sanctum a servitute peccati nos asserere ac liberare, quum veterem in nobis hominem, sive naturae nostrae pravitatem mortificat, ut aliquando renascamur, sicuti ipse nos regenerat. Sic itaque credo, nos, ex mortis aeternae faucibus ereptos, a Domino in gratiam recipi, et iam pro iustis haberi gratuita eius bonitate, nullo autem nostro merito. Atque ea quidem ratione a Domino adoptatis, et in numerum filiorum eius ascitis, spiritum sanctum communicari [pag. 37] per Christum, ut vitam nostram in Dei obsequium componamus. Eam tamen esse nostram imbecillitatem, ut minime officio nostro respondeamus: sed Dominum propter Christum eadem sua gratia supplere, sarcireque quod nobis deest, suaque misericordia condonare: ut nobis perpetuo sit opus remissione peccatorum.

Ergo totam salutis meae fiduciam in Christo colloco, quem scio certum esse veluti pignus et arram paterni erga nos amoris: quo Deus pater nos complectitur: huiusque boni gratiam in solidum uni Christo acceptam fero: ut ne per somnium quidem ausim quidquam mihi adscribere. Credo autem fide nos Christum cum bonis omnibus suis recipere, ubi pleno assensu excepimus quidquid de eo nobis evangelium testatur: atque ea ratione nos in eius salutis, quam evangelium offert, possessionem mitti per fidem.

Interim agnosco fidem hanc cum poenitentia coniunctam esse debere, ut sanctam vitam instituamus recta conscientia dignam: inanem et noxiam esse confidentiam, imo sacrilegio et impia Christi contumelia non carere, si qui licentiae peccandi obtendunt Dei gratiam: quum ad sanctitatem et innocentiam vocati [pag. 38] simus, non ad immunditiem. Sic itaque sentio, nostrae quidem salutis laudem solidam bonitati et misericordiae Dei tribuendam, eaque una nostram fiduciam debere niti: sed tale tantumque bonum nobis non dari, nisi quum ad Dominum convertimur: ut fructus bonorum sanctorumque operum conversione tali dignos edamus. Atque hac quidem fide solum et aeternum

Deum, unicum nempe meum praesidium, invoco, per eius filium, quem nobis mediatorem et patronum dedit. Certusque sum hac ratione mihi ad Dei maiestatem aditum patefieri. Eum autem invoco, tum ut gloriam suam regnumque promoveat petiturus, tum ut peccata mihi remittat, tum etiam ut mihi perpetuo adsit, ad bonum veluti manu ducat, atque [a] malo revocet: postremo ut me totum tuendum suscipiat, et quidquid necessarium est, tam corpori quam animae, suppeditet. Neque tantum mihi privatim haec omnia postulo, sed universis hominibus, eo quem ipse magister docuit ordine.

Quod ad sacramenta attinet, eo apud me loco sunt, quo esse debent apud Christianos. Baptismum agnosco esse certum testimonium, et veluti sigillum nostrae per sanguinem Christi abluitionis simul et regenerationis, per spiritum sanctum: [pag. 39] in eoque nos certiores reddi, de benevolentia Dei et vita aeterna tum nostro, tum liberorum nomine. Agnosco quoque et fateor, in coena Domini sub signis panis et vini vere nos corpus et sanguinem Christi recipere: atque hunc esse recipiendi modum, quod hic in terra locati, fide tamen in coelum conscendimus, ipse vero se nobis arcana spiritus sui virtute communicat, ut animas nostras alat sua substantia quo eius facti participes, et illius corporis membra, omnium quoque bonorum eius participes fiamus. Atque haec quidem duo sacramenta in ecclesia sentio esse administranda per eos, qui ad ministerium ecclesiae vocati sunt et electi, eorumque usum ad omnes, pro cuiusque modo, pertinere.

Porro et illud profiteor, pios omnes religiose tueri debere ecclesiae unitatem, extra quam nulla salus sit, et capitale coram Domino crimen esse, si quis se divellat, et suam sectam instituat. Ut autem unica est ecclesia universalis, quae pios omnes complectitur: sic etiam passim ecclesias particulares, quae illius sint veluti membra, esse distributas, in quarum coetu debeant Christiani Deum invocare, sive fidei testimonium edere, sacramentis uti, sacras conciones [pag. 40] audire. Ac ne quid confuse fiat, pastores gubernando populo praeficiendos esse, huncque ordinem quem Christus instituit turbari non debere. Quare et eos honorandos iudico, et iis esse parendum suum officium vere facientibus. Sic enim ipsi Deo, cuius illi doctrinam proponunt, morem geri. Atque ut fortasse dissolutae sint impuraeque vitae, non esse tamen privati hominis eos statim depellere: sed ea de re suo ordine esse statuendum. Atque, ut honesta aliqua politia conservari possit, opus esse quibusdam legibus ad usum singularum ecclesiarum accommodatis: ac sicut penes ecclesiam est eas condendi autoritas, ita conditis debere omnes parere: modo latae non sint ad conscientias obstringendas, sed ad retinendam tantum politiam, submota omni vel superstitione, vel tyrannide. Sicut et honestas caeremonias, quae ad ordinem conservandum pertinent, et erudiendo populo sint utiles, a singulis esse observandas iudico quo magis composite omnia gerantur. Eas autem caeremonias, quae cum honore Dei, vel eius doctrina pugnant, quales sunt quae manifestam habent idololatriam, omnino abolendas esse.

Haec summa est, Caesar, eius religionis, quam semper amplexus sum, et nunc quoque [pag. 41] retineo, simul etiam coram te profiteor sine ulla dissimulatione. Ac facile quidem tua maiestas iudicare potest, quam simpliciter, minime vero ambitiose id faciam. Sicuti sane et ille unus mihi semper propositus scopus fuit, ut magna simplicitate sequerer, quo timor et reverentia Dei mei me vocabat. Ac nunc quidem cum Paulo vere profiteri possum, eo tantum nomine, quod sperem in Deum viventem, me accusari. Neque enim existimo, superiorem meam confessionem, quum tota pertineat ad gloriam Dei, vel erroris alicuius, vel blasphemiae notari posse.

Porro evidentissimum est, in toto prope christiano orbe, adeoque ubi mihi vivendum erat, huius doctrinae puritatem mire esse adulteratam. Nam et merita humana adversus Christi gratiam illic superbe efferuntur: et gratuita peccatorum remissio satisfactionum figmentis evertitur: et iubetur populus de sua salute perpetuo dubitare, et fides transformatur in opinionem: et loco verae poenitentiae, quae spirituali renovatione constat, tantum commendantur externa nescio quae corporis exercitia. Quum ad Christum recta mitti debeant homines, ut eius ductu ac patrocinio aditum ad patrem habeant: promiscue ad sanctos [pag. 42] ablegantur. Unde fit, quod etiam pridem iactatum est vulgari proverbio, ut inter apostolos non agnoscatur Christus ipse. Praeterea in locum divinae legis ingeruntur stulta hominum commenta: quasi in eorum observatione inclusus Dei cultus foret. Nec auditur illa Christi sententia: frustra se homines fatigare, quum Deum colunt secundum humanas traditiones. Denique tota legitimi cultus vis aboletur, quod Deum externis caeremoniis placari fingunt: ac interea relinquitur ac secure negligitur spiritualis veritas.

Tantundem atque etiam aliquanto plus de sacramentis licet asserere, deque universis actionibus, quae decoro et ordini servire debuerant. Nam quod est in sacramentis praecipuum, ut intelligat populus quid figurent, quid mysterii contineant, quorsum sint instituta, id totum omittitur: ac sepulta intelligentia sacerdos confusum murmur blatterat. Quin etiam nefas esse ducunt significationem et usum toti ecclesiae palam explicare. Ita fit, ut quum manuducere nos ad Christum debeant sacramenta, et admonere, tam peccatorum remissionem et ple-

nam iustitiam quam gratiam regenerationis et omnia salutis adiumenta in ipso solo quaerenda esse: dum silet recti [pag. 43] usus explicatio, non simplex tantum plebecula, sed qui videntur prae aliis acuti et intelligentes, haerent in signis externis quodammodo affixi: certe salutis suae fiduciam illis affigunt. Quae plus quam noxia et mortifera est pestis. Ad haec tam multas nugas Dei institutis permiscuit et assuit hominum audacia, ut nihil purum sit a corruptelis. Imo, quod foedius est, sacrosancta ipsa Dei instituta in fictitios quosdam et extraneos ritus conversa sunt, ut nihil fere genuinum retineant. Rursus plenae sunt caeremoniae crassis superstitionibus et idololatriis, quibus se polluere homini christiano fas non est. In precationibus ac litaniis, quas vocant, passim occurrunt impiae blasphemiae, quas horrori et detestationi esse inter Christianos omnes necesse est.

De obsequio quod tuae maiestati semper exhibui, dixi paulo ante, nunc etiam testor, eo id me fecisse animo, quem Paulus exigit: nempe propter conscientiam, quod intelligerem id tibi deberi: non autem formidine poenae, quae alioqui immineret, atque omnino spontaneam plane fuisse, minime vero coactam meam subiectionem. Nam agnosco principes esse Dei ministros regendis in hoc mundo hominibus: eorumque sanctam et augustam esse [pag. 44] dignitatem, quia dum tam excellens opus Dei faciunt, sint eius veluti vicarii. Habere quoque ab eo ad coercendos improbos et conservandos bonos, ius gladii, quo et uti recte possunt et omnino debent: propterea que iis deberi tributa, vectigalia, et huius generis subsidia, ad sustinendos quos illi nostro nomine faciunt sumptus. Postremo iis nos parere debere, et subiectos esse, quum eos nobis Dominus praefecerit.

Interim tamen si iis superstitionibus, quas conscientia mea non ferebat, quemadmodum et supra Dei verbo repugnare ostendi, abstinuerim, ne contaminarer, proptereaque factum sit, ut quod minime volebam, tuam maiestatem forte offenderim, Caesar: nihilominus tamen cum Daniele profitebor, nihil me commisisse, quod tibi molestum esse debuerit. Ut enim Daniel quum non pareret principis sui edicto, quod ille malorum hominum consilio ediderat, nihilominus officium suum fecit, et obsequium quod illi debebatur reddidit: sic et ego existimo non minus vel officiosum vel morigerum esse me, ut qui nihil in te deliquerim: sed tantum reiecerim, quod Dominus non patiebatur me amplecti. Atque ut hanc meam excusationem accipias, Caesar, vehementer a tua maiestate peto: et eo quidem [pag 45] magis, quod nihil mihi gravius sit tua indignatione. Si mihi conscius essem iniustae alicuius offensionis, equidem me offerrem supplicio, potius quam tali tantoque Ingentis animi moerore oppressus viverem. Sed quum satis constet, nulla iusta causa adversarios tuam erga [me] maiestatem irritasse: quid facere possum, quam ut et a te supplex petam, velis meam innocentiam cognoscere, et Dominum orem, ut affectus erga te meos tibi patefaciat? Eos enim si propius inspexisses, Caesar, facile te placare possent. Saltem intelligeres, nil me unquam optasse, vel nunc etiam optare, quam sub tuo imperio vitam degere in iusto Dei timore: quod si mihi Dominus aliquando tribuerit, ut audita cognitaque causa probes hanc meam excusationem, praeclare admodum mecum actum esse existimabo. Interim tamen en me reficiet maxima consolatio, rectam hic esse meam puramque coram Deo et eius angelis conscientiam: idque etiam hominibus manifestum fore, si perspecta fuerit aliquando compertaque veritas.

Jacobus a Burgundia Lectori.

Iam biennium fere praeteriit, ex quo apologiam hanc meam conscripseram, eo quidem consilio, ut Caesareae maiestati oblata, me purgaret a calumniis ac vindicaret, quas homines malevoli vel potius Christi sanaeque doctrinae hostes de me sparserant. Sed multa inter id tempus acciderunt, quae hactenus fuerunt obstaculo, quominus e manibus meis exiret. Toto enim anni decursu, gravi et continuo morbo vexatus fui ut de ineunda ratione cogitare non licuerit. Tunc quoque aut paulo post dissipatus fuit rumor, Caesarem Argentorato,[1] *ubi manebam, iter facturum esse. Haec mihi perquam opportuna fuisset facultas, me et conscriptam a me defensionem eius maiestati offerendi. Verum quum haec spes me frustrata esset, quia alio deflexerat: dedi operam, quoad in me fuit, ut Ratisbonae illi offerretur. Atque hac de re legatos principum protestantium, misso illuc nuncio rogavi: qui has partes suscipere non recusassent, nisi iam aliqua suspicio oriri coepisset istorum motuum, qui postea sequuti sunt. Interea exspectabam, dum componerentur controversiae, ac imperii ordines cum capite in gratiam redirent. Quae etiam optima fuisset opportunitas conciliandi mihi ad Caesaream maiestatem aditus. Sed videmus ut adhuc malum duret, magno piorum omnium moerore ac gemitu: quibus*

1) Argentoratum?

cordi est christiana religio. Itaque mihi praeclusa est via purgandae apud Caesarem ipsum et asserendae meae innocentiae. Atqui interim apud multos, quibus veritas comperta non est, sinistra opinione laboro ac si non defuisset curiae Machliniensi iusta causa cur ita in me saeviret. Qua in re non modo iniuste mea existimatio laeditur: verum, si taceam, offendiculi materiam praebeo infirmis conscientiis: quin etiam impiorum ludibrio exponetur Dei veritas, nomenque eius sacrosanctum male audiet. Haec praecipua est ratio, quae me impulit, vel potius coegit ad hanc editionem. Testor enim, non tam privatam mei rationem habuisse me in capiendo hoc consilio, quam publicae aedificationis: si qui tamen legere quod a me publicatur non abnuent. Quod si hac occasione pervenire in manus Caesaris posset, esset cur mihi uberius gratularer, Deoque gratias agerem. Utcunque tamen succedet, aliquantulum conquiescam in officii mei conscientia. Calendis Martii 1548.

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.

CORPUS

REFORMATORUM.

VOLUMINIS XXXVIII. PARS POSTERIOR.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMINIS X. PARS POSTERIOR.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1872.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMINIS X. PARS POSTERIOR.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1872.

THESAURUS
EPISTOLICUS CALVINIANUS

SIVE

COLLECTIO AMPLISSIMA

EPISTOLARUM TAM AB IO. CALVINO QUAM AD EUM

SCRIPTARUM

QUAS MAXIMA EX PARTE E CODICIBUS MANUSCRIPTIS ERUTAS

ADDITISQUE PROLEGOMENIS LITERARIIS
ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET HISTORICIS ILLUSTRATAS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS
THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN I.

THESAURI

EPISTOLICI CALVINIANI

TOMUS I.

EPISTOLAE AD ANNOS 1528—1539 PERTINENTES.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE EPISTOLIS CALVINIANIS ANTEHAC EDITIS.

§. I.

DE EDITIONE BEZANA IN GENERE.

Primus Theodorus Beza satis amplam farraginem epistolarum Calvini, ex innumeris quae ipsi ad manum erant delectu facto, prelo subiecit et publici iuris fecit, decennio fere post obitum amici elapso. Cuius collectionis duae exstant recensiones, altera exemplaribus Genevensibus tribus et Amstelodamensi, altera Lausannensi et Hanoviensi repraesentata. De Bezae consilio, subsidiis et methodo ipsum audias candide et luculenter disserentem:

Admonitio ad Lectorem.

Quae in huius operis editione a nobis requiri posse existimavimus, eorum nobis hic reddendam rationem putavimus, quae tum nostri officii esse duceremus, tum ad ipsam operis tractationem comparatiorem lectorem redderent.

Primum igitur, quod ad tempus attinet, ita equidem editionem hanc et seram fatemur et postumam, ut simul affirmare non dubitemus, si quis totius operis, ex numerosis et perquam implicitis chartis extricandi, summam aliquam apud se vel cogitando subduxerit, minus fortasse nostram hac in parte cessationem esse reprehensurum.

Ordinem vero in epistolis collocandis ad annorum indicationem exegimus, bona saltem ex parte: exacte tamen non praestitimus, quod praeter assiduas difficultates e re ipsa nascentes, scriptorum etiam congeries attentionem nostram aliquando fefellerit.

In delectu ipso demum (omnia enim istiusmodi scripta emittere nunc quidem non potuissemus) testamur, inprimis unam publici commodi rationem nobis fuisse propositam: proinde, si quibus nostrum hoc iudicium ubique non satisfaciet, postulamus ut quod noluimus ad cuiusquam probi offensionem referri (absit enim illud a nobis), illud sequius ne accipiant et ex illo potius interpretentur, nempe Opere in tanto fas esse obrepere somnum. *Interiecimus etiam insignium illorum in ecclesia Dei virorum aliquot epistolas, quod ad ipsorum pietatem, eruditionem, zelum pro domo Dei, sanctissimam denique inter se testandam coniunctionem, tanquam illis autoribus propitiis nobis, id fas esse bono publico persuasum haberemus.*

Illud insuper addimus, quod quum plerasque amicorum Calvini ad ipsum eruditas literas, ac non perinde Calvini ipsius ἀμοιβαίας nancisceremur, non ante edendas a nobis illas iudicasse, quam aliunde istas Calvini quae desiderantur (quod ab ipsis lectoribus benigne postulamus, si quas nobis conferre poterunt, uti nos hoc a multis quod sine ipsorum incommodo ac dispendio fiat, lubenter exspectabimus) adiungere ac reponere possemus. Atque huius rei argumento hic agnoscimus, ne dimidiam quidem partem istorum quae nunc exeunt Calvini scriptorum salvam futuram penes nos fuisse, nisi vel aliunde remissa vel ex ipsis αὐτογράφοις descripta quam plurima habuissemus: uti ad eam rem unius praecipue Caroli Ionvilaei studiosissimi istarum rerum custodis fidem, diligentiam, operam denique et operosam et sumptuosam nobis appositissimam fuisse profitemur. Et tamen quum ita se res habuerit, inde ex parte factum admonemus, ut non pauca errata inter excudendum ac dispungendum oculos et mentem effugerint, quae saltem ad calcem libri tanto exactius connotanda studuimus.

Alterum etiam adiiciendum putavimus, venisse nobis in mentem nempe, fieri posse ut quaedam ex illis quae hic reperiuntur, apud nonnullos fortasse manu scripta non perinde exstent, sive apices singuli, sive dictiones, ac fortassis etiam sententiae aliquae conferantur, tum quod bonam hic fidem et certam diligentiam praestari a nobis satis esse duxerimus, tum etiam quod nonnulla subinde πρόχειρα, aut mere familiaria, aut denique minus ad rem ipsam pertinentia quum occurrerent, expungenda sine ulla fraude iudicaremus, ne quid videlicet a vere seriis lectorem intentum revocaret.

Postremo quum non pauca ex gallicis istius argumenti et exempli scriptis occurrerent nobis, quae cum nonnullo lectorum usu adiungi latinis natis, si et ipsa latina facta essent, videremus (dum et ipsorum gallicorum et gallicae latinorum translationis edendae occasio sese deinceps offerret), ad certum usque numerum nunc quidem gallica latine exprimenda curavimus: in quibus bonam etiam fidem praestitam testamur, reliqua autem quae in translationis exactiori opera desiderarentur, benigne condonari postulamus. Translationes ipsas porro hac ad marginem nota: Ex gallico, designari voluimus.

Ad haec nonnulla liceat annotare. Et quidem, quantum ad seriem epistolarum constituendam, se annorum rationem, bona saltem ex parte, observasse affirmat, attamen exacte id praestare non potuisse fatetur propter magnam schedarum congeriem et difficultates e re ipsa nascentes. Quae quid sibi velint ex accuratiore operis recensione a nobis instituta paucis edoceri te patiaris. Librum attentius pertractanti mox constabit, in tres partes eum dispesci posse, quibus distinctis, quo modo editor suscepto munere defunctus sit, facile cuique patebit. Ac primum quidem ex copiis suis eas selegit epistolas, quae ipsi omnino eius momenti esse videbantur ut oblivioni ereptae virorum doctorum amicorumque usui inservirent. Has quasi primitias sedulo ad annorum, non vero ad mensium, ordinem disposuit, ita ut rarissime hunc interturbatum deprehenderis, et nusquam graviter. Ad quam primam seriem pertinent ducentae nonaginta et quatuor, nullis tamen numeris adscriptis insignitae, quarum prima ad annum 1533 pertinet, ultima ad Farellum valedictoria ipso autoris mense emortuali scripta fuit. Cui primae seriei pag. 276 seqq. ed. 1575 subiunctae sunt appendicis loco paucissima alia non unius generis documenta, praemisso titulo: *Sex epistolae quae sequuntur suo loco inter excudendum non occurrerunt.* Verum praeter sex istas epistolas adsunt etiam quatuor scripta publica principum Germanorum ad regem Galliae (1541) et ad legatos pontificios (1561) data, et legatorum ad eosdem principes orationes. Novum titulum prae se fert pagina 286: *Quae deinceps sequuntur theologica fere sunt et ad responsa magis pertinent.* De his vide quae supra monuimus in Prolegomenis ad partem primam huius voluminis pag. xi. Memineris, inter nonaginta quinque chartas hac sub rubrica comprehensas, non nisi quadraginta et quod excurrit reperiri, quas aliqua specie consilia potius aut tractatiunculas dicere possis quam meras epistolas familiares: ita ut haec ultima libri sectio maiore ex parte supplementum sive auctarium primae sistat,

eo magis hoc nomine appellanda, quo minus temporum ratio in singulis describendis habita est, imo, ut quaeque scheda in editoris manum inciderit quam prelo non indignam indicaret, sine mora caeteris addita fuisse videtur. Habes igitur in toto volumine trecenta nonaginta et novem documenta, scilicet 299 Calvini autoris, octoginta et octo epistolas aliorum ad eundem datas, duodecim denique extera.

Et haec quidem de ordine epistolarum in hac editione principe. Multo maioris momenti esset, si de editoris fide in transscribendis autographis citra omnem suspicionem constaret. Ipse autem fatetur, fieri posse ut quaedam a se typis mandata apud eos qui authentica exemplaria in manibus habeant, non perinde exstare reperiantur, sive apices singulos, sive dictiones, ac fortassis etiam sententias aliquas conferri contigerit: addit se satis bonam fidem et diligentiam praestitam duxisse, vel expunctis nonnullis quae πρόσκαιρα tantum, aut mere familiaria viderentur, aut denique minus ad rem ipsam pertinere. Quibus bene perpensis summo viro iniuriam vix fecerit aliquis, dubiis de integritate, quam dicunt critici, epistolarum calvinianarum ab eo editarum motis. Sed quousque in singulis licentia ista mutandi et demendi, quam sibi iure quodam sumpsisse putabat, abusus fuerit, hoc difficillimum est dictu. Nam ex quadringentis schedis eius thesauro insertis, non nisi sexaginta et octo hodie manu scriptas et authenticas exstare videmus (Gothae quatuor, Neocomi sex, Sangallis unam, caeteras Genevae): reliquae omnes perierunt, probabiliter a Beza typographo traditae. Iam collatione instituta, quatenus talium subsidiorum ope fieri potuit, sane hinc inde in impressis lacunas deprehendimus satis insignes, rarius quas dixeris textus emendationes tales quas silentio praeterire non potuissemus, saepius falsas lectiones et nomina propria virorum suppressa, in quorum locum simpliciter litera N. successit, si quid non sine offensione hominum evulgari posse videretur. Omnes etiam epistolarum inscriptiones omissae sunt. Ex quibus facile conieceris quam multa hic criticorum curas sollicitare possent, et textum denuo edendum notis marginalibus onerare, nisi subsidiis ad emendandum et supplendum paene omnibus destituti essemus.

§. II.
EDITIO PRINCEPS GENEVAE 1575.

Caeteris pro tempore neglectis ad editionis principis externam formam paucis describendam transimus. Titulus est:

IOANNIS | CALVINI | EPISTOLAE ET | RESPONSA. | *QVIBVS INTERIECTAE* | sunt insignium in Ecclesia Dei virorum | aliquot etiam Epistolae. | EIVSDEM I. CALVINI | VITA A THEODORO BEZA | GENEVENSIS ECCLESIAE | Ministro accurate descripta. | *INDEX RERVM INSIGNIORVM.* | Omnia nunc primum in lucem edita. | (*Emblema*) | *GENEVAE,* | Apud Petrum Santandreanum. | *M. D. LXXV.*

Emblema Santandreani illud est quod in Prolegomenis Tom. V. p. 19 tibi ad oculum depinximus. Forma libri est maxima. Folia liminaria quatuor praeter titulum exhibent dedicationem Friderico Electori Palatino inscriptam, tum Admonitionem ad lectorem supra tecum communicatam, porro delectum formularum viginti et septem ex variis variorum epistolis (Calvini tredecim, amicorum singulis) petitarum, quibus in parte chartae exteriore nomina virorum ad quos scribebant honorifice salutantur (*Adressformeln*); quae cum in finem hoc loco praemittuntur, ne lector quod in corpore voluminis ei negatur omnino desideraret. Agmen claudit index epistolarum quae non sunt ipsius Calvini, verum aliorum autorum, quorum numerus est triginta et sex.

Sequitur vita Calvini latine a Beza conscripta, ternionibus duobus cum dimidio absoluta, sive foliis quindecim non numeratis: ad cuius calcem denique folio ultimo exhibetur Catalogus librorum a

Calvino conscriptorum. Opus epistolicum ipsum constat ternionibus 35 (A—Z, AA—MM) sive paginis numeratis 411 praeter indices. Notandum tamen numeros paginarum incipere a quinta, ex quo colliges ea omnia quae titulum et dedicationem sequuntur post absolutum demum opus epistolicum typis mandata fuisse. Medio loco inter indicem epistolarum Calvini et indicem rerum, in nostro quidem exemplari, inserta legitur epistola quaedam ad Vitum Theodorum, quam omissam dicit typographus suo loco, et qua addita quarta epistolarum centuria iam completa est. Caeterum haec editio princeps mendis operarum scatet plurimis, quorum nonnulla ad calcem voluminis corriguntur.

Ne quid in bibliotheca nostra calviniana desideres, quod olim in ea fuit, addimus hoc loco Bezae dedicationem tomo epistolarum praemissam.

Illustrissimo et potentissimo Principi ac Domino, D. Friderico Comiti Palatino ad Rhenum, Bavariae Duci, sacri Romani imperii Electori primario, gratiam et pacem a Domino.

Migraturus ad Dominum Iohannes Calvinus, quum de commodis ecclesiae ne tum quidem cogitare desineret, sua mihi κειμήλια, id est, schedarum ingentem acervum commendavit, ut si quid in iis invenissem quo possent adiuvari ecclesiae, id quoque in lucem ederetur. Cogitanti autem hac de re mihi eaque omnia pervolutanti multiplices obstiterunt difficultates, quominus id tam cito praestaretur quam ego volui, et fortassis etiam oportuit. Praeterquam enim quod evolvendis tot schedis aliorum etiam opera fuit adhibenda, et multum in eo temporis ponendum, eae consequutae sunt in hac civitate calamitates, pestis videlicet aliquot annos continuata, et tumultus illi ingentes in contiguo nobis regno excitati, quae et me et illos institutum opus saepissime abrumpere coegerunt. Magna quoque nobis in epistolarum delectu difficultas, maligna praesertim ac perversa huius saeculi hominum ingenia reputantibus oborta est, dum horum scriptorum editionem sic temperare studemus ut, quoad eius fieri poterit, sine cuiusquam offensione quam plurimis prosit. Multa quippe familiariter inter amicos dici scribique consueverunt, praesertim ab ingenui spiritus hominibus, qualis fuit Calvinus si quisquam nostris temporibus alius, quae minime expediat emanare. Et habenda quoque nobis fuit non modo personarum verum etiam temporum et locorum ratio. Itaque ex plurimis non ita multa tandem edidimus, eaque expunctis interdum nominibus, ne cui praeberemus expostulandi argumentum. Qua in re, etsi testari de nostra diligentia bonaque fide merito possumus, tamen non temere metuimus ut ne sic quidem omnium iudiciis perinde satisfecerimus. Fuerit enim hoc, praesertim in opere tam vario et tanta sententiarum multis de rebus varietate, non modo perdifficile, verum etiam ἀδύνατον. Omnibus quidem certe prodesse studuimus, et futurum speramus ut illis quidem qui nullum ad haec legenda praeiudicium attulerint, neque ex eorum genere fuerint quibus vere dicit Comicus nihil quidquam esse iniustius, nostrum saltem institutum probetur: improbos autem calumniatores aut apertos veritatis hostes non est profecto cur vel tantillum moremur.

Caeterum, illustrissime Princeps, dum apud me ipsum reputarem quanti Celsitudinem tuam Calvinus ipse fecerit, venit et illud in mentem, si hanc tibi ultimam ipsius scriptorum partem consecrarem, hoc ipsum facturum me quod ille, si superstes esset, facturus erat. Fuit enim hoc illi in more positum, et quidem, ut aiebat, apostoli exemplo, ut quos videbat dignos esse quorum virtutes reliqui sibi proponerent imitandas, eos libenter operum saltem suorum initiis nominatim appellaret. Sed et illud vicissim ausim mihi singulari Celsitudinis tuae humanitate fretus polliceri, fore ut qua benevolentia Calvinum ipsum vivum tanquam excellentem servum Dei complexus es, eadem quoque scriptum istud utilissima nostris futurisque temporibus multa complectens, perinde atque autoris ipsius manu oblatum accipias. Quod quidem a Celsitudine tua vehementer etiam atque etiam peto. Bene vale. Dominus Iesus Celsitudinem tuam heroicis omnibus donis magis ac magis locupletet, et singulari suarum ecclesiarum bono quam diutissime conservet. Genevae, Calend. Februariis anno temporis ultimi MDLXXV.

Celsitudini tuae addictissimus

Theodorus Beza.

§. III.

EDITIO ALTERA. GENEVAE 1576.

Exstat altera editio Genevensis anni sequentis 1576 praecedenti simillima, vel potius maxima ex parte ab ea non discernenda. Eius ratio haec est. Ex quatuor foliis liminaribus non nisi primum quod titulum exhibet, et quartum, denuo prelo subiecta sunt, secundum vero et tertium cum dedicatione ad Palatinum et Admonitione ad lectorem simpliciter ex priore editione servatae. Et in quarto formulae illae inscriptionum non mutatae, quanquam novis operarum curis opus fuerit; verum loco indicis epistolarum quae non ipsius Calvini erant, hic multo locupletior exhibetur omnium quotquot in toto volumine exstant, secundum ordinem alphabeticum virorum ad quos vel a quibus datae sunt digestus, ita ut ille alter index quem ad calcem operis prius editi adiectum vidimus, utpote iam supervacaneus, suo loco cedere potuerit. Titulus est:

IOANNIS | CALVINI | EPISTOLAE ET | RESPONSA. | *QVIBVS INTERIECTAE SVNT* | *insignium in Ecclesia Dei virorum aliquot etiam Epistolae.* | EDITIO SECVNDA, | EPISTOLIS ET RESPONSIS NON PAVCIS, | iisque grauissimis, ab ipso Collectore aucta. | *I. CALVINI VITA A THEODORO BEZA* | *Genevensis Ecclesiae Ministro accuratè descripta.* | (*Emblema*) | *GENEVAE*, | Apud Petrum Santandreanum, | *M. D. LXXVI.*

Emblema hic multo maioris formae quam in prima editione. Caetera omnia, scilicet Vita Calvini cum suis appendicibus, adeoque totum epistolarum volumen usque ad pag. 410 s. penultimam minime novae editionis sunt, sed ipsissimam priorem tibi pro nova venditant. Aliquatenus tamen, quae titulus nimis magno hiatu promittit, finis operis praestare voluisse videtur. Adduntur enim folia novem (pag. 411—428) auctarium sedecim epistolarum, quarum undecim Calvini sunt, exhibentia, ita ut qui iam olim in pagina 411 legebatur textus, nempe clausula Confessionis quam ultimo loco Beza posuerat, hic sola mutatis formis expressa sit. Reliqua vero non mutata: quid quod indicem rerum qui solus adest, omisso indice epistolarum et epistola illa ad Vitum Theodorum, sequitur ipsa erratorum tabula primae editioni subiecta, quorum ne unum quidem emendatum est in hac falso secunda dicta, quod tibi omne dubium, si quod forte remanserit, de ratione quae inter utramque intercedit adimet.

§. IV.

EDITIO TERTIA. GENEVAE 1617.

Alterum editionis principis apographon est Genevense anni 1617, quod ad eam Operum Calvini collectionem pertinet de qua olim in Prolegomenis Tomi nostri primi pag. xi diximus. Titulus est:

IOANNIS | CALVINI | EPISTOLAE ET | RESPONSA. | *QVIBVS INTERIECTAE SVNT* | *insignium in Ecclesia Dei virorum aliquot etiam Epistolae.* | *INDICES RERVM INSIGNIORVM.* | Tomi Sexti: Pars altera | (*Emblema anchorae cum serpente*) | *GENEVAE*, | Apud Iohannem Vignon, Petrum et | Iacobum Chouët. | *M. DC. XVII.*

Forma est maxima. Folia liminaria quatuor ut in prioribus. Terniones viginti sex (AAA—ZZZ, AAAA—CCCC) columnae numeratae 598, quum tantum esse deberent 592. Scilicet bis numeratae sunt 195 et 196, 563 et 564; praetereuntur 551—560. Ternio BBBB non nisi quatuor foliorum est et pro 543—546 iterum legitur 519—522. Ab hoc uno disce caetera. Tres ultimae paginae vacuae.

Editionem anni 1576 presse sequitur in omnibus, si unum locum exceperis, ubi nonnullae epis-

tolae alio ordine veniunt quam antea, scilicet quae fuerant centesima vigesima quinta et sequentes iam sic dispositae leguntur: 125, 128, 127, 129—132, 126, 133 etc. Quod qua de causa factum sit ne coniiciendo quidem assequimur, quum ita ratio temporum non accuratius servata sit, quam quae olim Bezae paulo negligentius in hac parte procedenti placuerat.

§. V.

EDITIO AMSTELODAMENSIS 1671.

In editione Operum calvinianorum Amstelodamensi, de qua in praefatione Tomi primi plura diximus, epistolae ultimum locum obtinent, scilicet Voluminis IX. partem posteriorem. Titulum accuratius describere, ut alias solemus, hic non attinet. Quadringentae et quindecim epistolae eodem ordine hic veniunt atque in editione anni 1576 paginis 268, binis columnis expressae. Pag. 170 vero, inter Ep. 288 et 289, quae leguntur in Genevensi pag. 271 seq. in Lausannensi et Hanoviensi Num. 338 et 339, inserta est quaedam Ep. Calvini ad Colonium d. d. 10. Iunii 1562 quae in nulla alia editione obvia est et quam unde habuerint Batavi nescimus, quum etiam in bibliothecis a nobis exploratis vestigia eius frustra quaesierimus. Caeterum haec editio Genevensi multo emendatior.

§. VI.

EDITIO LAUSANNENSIS 1576.

IOANNIS CALVINI | VIGILANTISSIMI PASTO- | RIS, ET FIDELISS. DOCTO- | ris Ecclesiae Genevensis, | (*flosculus*) | *EPISTOLARUM ET RESPONSO-* | *rum Editio secunda, quae tum infinitis mendis est repurgata prae-* | *ter eas quas in calce operis nominatim excusabat editio prior: tum* | *singulas Epistolas offert temporis ordine digestas, prout de die et* | *anno, vel ex subscriptione authoris constabat, vel ex idoneis conie-* | *cturis diligenti cura potuit elici. Imo et quaedam praetermissa, suis locis restituit.* | | INTERIECTAE SVNT ETIAM IN- | SIGNIVM IN ECCLESIA DEI | virorum aliquot etiam | Epistolae. | EIVSDEM I. CALVINI | VITA A THEODORO BEZA | GENEVENSIS ECCLESIAE | Ministro accuratè | descripta. | * . * | *INDEX RERVM INSIGNIORUM.* | | *LAVSANNAE,* | Excudebat Franciscus le Preux Illustriss. D. Bernensium | Typographus. | CIƆ. IƆ. LXXVI.

Forma octonaria minor. Dedicationem, admonitionem ad lectorem, vitam Calvini caeteraque Genevensis editionis additamenta praeliminaria exhibent quaterniones primi quatuor (A—D), quorum tamen tres ultimae paginae vacuae sunt. De nomine editoris altissimum silentium, quem tamen Nicol. Colladonum fuisse nonnulli suspicati sunt. Consilium eius titulus aperte declarat, neque quidquam promittit quod non praestiterit, uno excepto. Vere mendis repurgata est haec nova editio, et epistolas singulas temporis ordine digestas offert, saltem quatenus diebus et consulibus non ubique appositis post obitum Calvini definiri poterat. Quod tamen non ita accipiendum ac si iam per omnia in Lausannensi ordine acquiescere posses. Ideo etiam in praefatione ea omissa sunt quibus Beza ordinem non ubique accurate observatum excusaverat. Cave etiam titulo fidem habeas nimia canenti de quibusdam epistolis antea omissis, nunc autem suo loco restitutis. Tales minime adsunt: imo in hac Lausannensi editione, ad priorem Genevensem conformata, omnes illae desiderantur quas in altera a. 1576 primum suis copiis addidit Beza. Desunt etiam duae Confessiones quas hic epistolis subiunxerat ultimo loco. Deest quoque epistola quaedam Grynaei ad Calvinum quae in editionibus Genevensibus prima fuerat et antiquissima in auctario Consiliis theologicis subiecto, nescio quo casu omissa. Deest porro Calvini illa ad Vitum Theodorum data quam typographus Genevensis mediam inter indices posuerat.

Epistolae ipsae continentur quaternionibus quadraginta quatuor cum dimidio (a—z, A—Y) paginis numeratis 693, reliquis indici rerum simpliciter ex editione Genevensi repetito commodatis. Singulae epistolae numeris margini adscriptis insignitae sunt, ita ut quot toto volumine exstent facile primo obtutu appareat. Sunt illae 397. Quem numerum si cum eo conferas quem supra in editione principe, nostrae archetypo, exhiberi diximus, errorem in computando latere forte suspiceris, quum demtis quatuor illis schedis quas hic desiderari significavimus tantum 396 esse deberent. Sed diversitas ex eo pendet quod quae Confessioni de eucharistia a. 1537 editae (num. 348) adiecta fuit subscriptio Argentoratensium, eaque paucis versibus absoluta (Opp. Vol. IX. pag. 711) hic velut peculiaris epistola sub num. 349 in censum venit.

Ipse liber parum spectabilis. Typi graciles sed minuti. Attamen hoc etiam nomine multo praestantior est Hanoviensi ad quam iam transimus.

§. VII.

EDITIO HANOVIENSIS.

Editio Hanoviensis per omnia Lausannensis merum apographon est, forma paulo maiori expressum, typis cursivis satis deformibus, charta germanica plus quam incana. Titulus est:

IOAN. CALVINI | VIGILANTISSIMI PA- | STORIS, ET FIDELISSIMI | Doctoris Ecclesiae Geneuensis, | EPISTOLAE et RESPONSA. | *Qvibvs interiectae sunt etiam insignium in ecclesia* | *Dei virorum aliquot* Epistolae. | Eivsdem Ioan. Calvini vita a Theod. Beza | Geneuensis Ecclesiae ministro, accuratè descripta. | *EDITIO TERTIA.* | *Nunc infinitis mendis repurgata, praeter eas quas in calce operis* | *nominatim excusabat editio prior, tum singulas Epistolas offert* | *temporis ordine digestas, prout de die et anno, vel ex subscriptio-* | *ne auctoris constabat, vel ex idoneis coniecturis diligenti cura* | *potuit elici. Imo et quaedam praetermissa, suis locis restituit.* | Cum Indice rerum et verborum copiosissimo. | (*Emblema*) | HANOVIAE | Apud Guilielmum Antonium. | M. D. XCVII.

Emblema repraesentat rupem praefractam in cuius vertice aquila pullos suos nutrire videtur, dum a radice móntis miles per aspera ad alta concitato gressu ascendit. Quae quid sibi velint tibi tuaeque sagacitati extricanda relinquimus. Praefationes et indices praeliminares cum Vita Calvini absolvuntur quaternionibus tribus cum dimidio (a—d), Epistolae cum indice rerum quinquaginta et dimidio (A—Z, Aa—Zz, Aaa—Eee), paginis numeratis 804, in quarum cifris tamen varie peccatum est. Omnia, ut iam monuimus, ex Lausannensi adeo serviliter descripta sunt ut exempli gratia in fronte indicis typographus lectori significet, se libenter novum contexendum curaturum fuisse si satis otii dedissent proxime instantes Francofordienses nundinae, quod ipsum amplius viginti annis antea prior editor in sui excusationem scripserat.

§. VIII.

SUPPLEMENTA GOTHANA.

De ordine, quem nobis in disponendis epistolis tenendum praescripsimus, paucis te certiorem facere possumus, vel potius omnino tacere. Neminem enim putamus esse qui aliam quam temporum rationem habendam fuisse, aut haberi posse praetenderit. Quae et Bonneto placuit et Herminjardo: quam etiam Lausannensis editor suo exemplo suaque industria commendavit, quamvis non per omnia felici stilo usus, adeoque ipse Beza princeps sequuturus erat, nisi festinantius ad prelum accessisset, antequam copias suas omnibus numeris absolutas ad manus habuerit, quas deinde convenienter ac libere distribueret. Sunt tamen non paucae schedae in quibus autorum raptim scribentium et de posterorum commodo minime cogitantium negligentia editoribus non leve negotium facessit, omissa scilicet vel omni temporis vel saltem anni mentione. In his suo loco restituendis et vindicandis iam alii plus minus feliciter desudarunt. Inter caeteros commendamus industriam et sagacitatem viri cuiusdam doctissimi Genevensis qui plurimis huius generis epistolis notas suas adscripsit quibus sedulo excussis argumentis tempora, quantum fieri poterat, accuratius definire praesumebat. Exstant scilicet inter calvinianos codices Genevae asservatos, praeter eos quibus autographa continentur, etiam recentiorum exemplarium volumina, fortasse in eorum usum transscripta qui veteri literaturae minus assueti tamen Calvini reliquiis frui gestiebant. Atque haec apographa eo quo diximus modo passim illustrata sunt. De origine et autoritate illorum annotationum quaerentibus nomen Turretini scriptoris ex traditione bibliothecariorum, ut videtur, designatum est; sed an alterutrius duumvirorum celeberrimorum opera sic nobis uti contingeret, Francisci patris an Ioannis Alphonsi filii, de quibus potissimum cogitabamus, id Genevae compertum non habuimus. Iam vero ex libro infra laudando, Senebierii catalogo MSS. Genevensium p. 290 didicimus, neutri istorum illam acceptam referri, sed Samueli Turretino Michaelis filio qui saeculo XVII. vergente academico munere fungebatur. Etiam Bonnetus et Herminjardus hoc nomine laudandi, qui multum curae talibus studiis impenderunt: verum quum illi, Turretinum dicimus et Bonnetum, fere nonnisi de ipsius Calvini epistolis verba faciant, hic vero recentissimus editor grande suum et splendidum opus vix inchoaverit, quantum quidem ad tempora calviniana pertinet, multa nobis etiam pervestiganda restiterunt, multa dubia solvenda, obscura et incerta elucidanda. In quibus, quamvis assidui et indefessi exploratores, omne nos punctum tulisse minime gloriari possumus, et satis magnam copiam schedarum, omni artis criticae acumine pro modulo nostro frustra adhibito, seponere debuimus, quas quo potissimum loco collocaremus certis argumentis non potuimus diiudicare. Iam quo modo has nobis placuerit disponere, accipe, benevole Lector. Si aliqua probabili coniectura annus definiri posse videretur quo epistola scripta

fuerit, ab ipso autore non definitus expressis verbis, ad finem eius anni, in appendicem quandam, eam retulimus. Sin minus, ad calcem totius operis thesauri epistolici relegavimus, ubi tandem totam hanc residuam farraginem invenies. Quod tamen non nisi tum fecimus quum omnia nos deficerent auxilia, et res ad liquidum perduci omnino non posset. Multo saepius accidit ut mensis saltem nomine apposito et diei numero, quae nonnullorum fere constans consuetudo fuit, ipsi autores nostras in his studiis partes faciliores redderent.

Unicuique epistolae praemittimus breve argumentum cuius ope lectores facilius et uno quasi obtutu quid in singulis tractetur perspicere poterunt. In quo exarando eo semper sermone usi sumus quo quaeque epistola conscripta erat. Nunquam vero has ἀνακεφαλαιώσεις maiorem in molem excrescere sinemus. Quod alibi factum observavimus, etiam gallico sermone adhibito, fortassis in eum finem ut iis qui latine non callerent quasi translatione proposita succurreretur. Nos ab huiusmodi labore, utpote inopportuno et ut ita dicamus supererogatorio, abstinuimus, minime dubitantes quin ii qui talibus studiis incumbunt satis docti habendi sint ut subsidiis meris tironibus adcommodatis carere possint. Verum aliud quoddam adiumentum lectionis cursim et subitario modo instituendae iam a pluribus olim editoribus excogitatum nos quoque recepimus, omnibus virorum nominibus propriis, quae passim in textu occurrunt, ita expressis et typorum forma insignitis ut statim lectoris oculi in iis haererent.

Argumentum illud ubique sequetur notitia fontium ex quibus singulae epistolae petitae sunt, sive hodieque manu scriptae exstent, sive tantum typis expressae, sive denique ab aliis iam vulgatae a nobis ad fidem codicum denuo recensitae prodeant. Tales notitias apud plurimos eorum, qui ante nos similibus studiis incubuerunt, vel minus accurate conscriptas vel omnino neglectas reperies; neminem autem qui ita concinnaverit, ut totum apparatum criticum et literarium, in singulis passim satis locupletem, curiosis offerrent. Qui fortassis ad ipsam lectionem firmandam, ubi archetypa prostant, minus videbitur necessarius; certe ad commendandam editorum sedulitatem, adeoque textus ex collatione plurium exemplarium, ubi difficilior lectu erat, constituti, fidem stabiliendam non parum idoneus erit.

Annotationes textui subiciemus criticas ubi insignem aliquam inter diversa exemplaria deprehenderimus lectionis varietatem, vel inter editum et manu scriptum, quod in Bezanis libris maxime contingere memineris, vel denique inter authenticum latinum ineditum et versionem cuius hucusque solius copia studiosis fuit. His omnibus tamen rarius nos institisse animadvertes, quum plurimos librariorum errores, ex veteris literaturae insolentia natos, ubicunque vera scripturae forma citra dubium ex autographis constitui poterat, simpliciter silentio sepelire maluerimus, quam declamando levem gloriam affectare. Saepius autem, imo saepissime, incides in eas annotationes, quibus ex historia rerum gestarum petitis ipsa autorum dicta illustrare conati sumus, haud raro tecte et obscurius scribentium, quippe qui de rebus et sibi et amicis apprime notis loquentes minus facile post tantum temporum intervallum intelligantur. Verum in his quoque aliquatenus stilo temperandum duximus, ne in commentarii perpetui molem excrescerent. Multa praeterea sunt quae hodie vel doctissimos fugiant, neque quantumvis pertinaci indagantium cura elucidari queant. Tu igitur nolis mirari, vel adeo vitio nobis vertere, sicubi non omni ex parte tibi satisfecerimus in singulis enucleandis. Etenim vel in clarissimorum virorum vita sunt quae ignorari possint absque ullo damno, et quum non in tironum usum hunc thesaurum epistolicum edamus, plurima vel leviter attigisse vel tuae ipsius sagacitati permisisse non erit quod deprecemur. Talem quidem annotationum omnis generis amplitudinem qualem Herminjardus, vir summus, ex suis stupendae doctrinae cornucopiis passim depromsit, hic et exhibere noluimus, et, ut libere dicamus, si vel animus fuisset, at fortasse vires defuissent. Indices vero copiosissimi et quales in Calvinum nunquam adhuc editi sunt, item Annales maxima cum sedulitate tam ex ipsis his epistolis quam ex aliis authen-

ticis documentis, ut Senatus, Consistorii et Ministerii Genevensis commentariis, derivati, quae in annotationibus forte desideraveris aliquatenus supplebunt. Etiam hae annotationes ubique, quoad sermonem, suo quaeque textui aptandae erant.

Habes, benevole lector, quae tibi in hac operis nostri parte offerimus et promittimus, quibus ut tibi satisfiat unice in votis est. Nam quibus curis et laboribus per integrum decennium in hoc thesauro condendo distenti fuerimus, id animo concipere nequit nisi qui simile aliquid molitus est. Non solum enim per longiora uniuscuiusque anni spatia quotcunque aliis negotiis subripere poteramus dies, huic maxime reservabamus, sed etiam quod alii professores academici, post peracta utriusque semestris pensa, gratum feriarum tempus vel dulci otio vel montibus et maribus dare solent attritas vires refecturi, hoc nos quanquam ἤδη γηράσκοντες, ubi vitae summa brevis spem nos vetabat inchoare longam, pulveri bibliothecarum alioquin tam amoenae Helvetiae excutiendo dicavimus: et dum tu forte, in illo terrarum angulo praeter omnes tibi ridente, liquidum fulgentis Lemani aequor emensus, vividi riparum viroris aspectu fruebaris, nos a primo mane ad seram vesperam veterum spinosae literaturae incumbentes, ab Alpium maiestate quamvis cupidos oculos avertebamus, perinde ac si ad naturae nitorem non minus hebetes et obtusi fuissemus quam homines saeculi decimi sexti fuisse videntur, neque horum importunae controversiae et dudum sepultae irae eae erant quae nos quasi compensatione facta exhilararent. Scilicet severiore vultu inter sorores Clio venire solet, neque festivo hilarive cultu coli vult: verum si qua praesentibus denegat gaudia cultoribus, his cumulatius olim suum honorem aequa iudex posteritas rependet.

CAPUT III.

APPARATUS MANU SCRIPTUS.

Plurimas adeoque innumeras virorum saeculi decimi sexti clarorum epistolas autographas hodieque superesse inter omnes constat. Etiam earum quae Calvinum, eius amicos et collegas caeterosque qui cum eo aliquam habuerunt consuetudinem, autores agnoscunt, satis amplam copiam faciunt quaerentibus bibliothecae helveticae fere omnes et nonnullae externae. Quanquam si ex ipsis quae exstant vestigia omnium relegeris quae ut olim revera scriptae allegantur, facile efficies maximam partem interiisse. Quod ad Nostrum attinet, quandoque literas foras mittendas amanuensibus dictabat, saepissime vero sua manu exarabat, vel simpliciter et illico tabellariis tradendas, vel antequam abirent describendas, ut etiam apud ipsum domi servarentur. Inter amanuenses notissimi sunt Io. Budaeus magni Budaei filius, Nicolaus Gallasius (des Gallars, Seigneur de Saules) Parisiensis, cuius nomen in thesauro nostro non semel obvium habebis, et Car. Ionvillaeus Carnutensis qui etiam epistolarum magistri, fortassis in suum usum, haud exilem farraginem in speciale volumen congessit. De hoc et reliquis vide Iul. Bonnet, *Récits du seizième siècle* 1864 p. 101 seqq. et Haagios fratres in *la France protestante* suis locis. Neque praetereundus Franc. Balduinus de cuius fatis et fide conferre poteris quae retulimus in Prolegomenis Vol. IX. p. 43.

Calvini literatura neque nitida neque distincta est, imo primum inspicienti horrida et difficilis lectu apparet: simul autem paululum legendae assueveris, nuspiam serio aut diutius te detinebit, maxime ob tersam et pellucidam sermonis latini concinnitatem. Gallica sane, quorum tamen rariora exstant autographa, haud ita cursim leges. Multo magis tibi facesset negotium Farelli stilus et calamus, cuius etiam

atramentum flavescens et characteres minutissimi oculos lectoris fatigant. Vireti et Bezae, Myconii et Halleri epistolae et nonnullorum aliorum ex Calvini familiaribus lectu facillimae sunt: quid quod pulcre scriptas dixeris comparatione cum reliquis facta. Sed Bullingerus et Bucerus, utpote omnium maxime πολύγραφοι, ita pingunt ut, si verum est quod vulgo circumfertur proverbium, simul doctissimos fuisse iudicaris. Grynaeus denique et Zanchus in eo fuisse videntur ut, quod ait ille, scriberent quasi mentem declarare nollent.

§. I.

CODICES GENEVENSES.

Merito sane recensionem subsidiorum nostrorum ab eo loco incipiemus, in quo et ditissimas rerum copias reperimus et diutissime describendis epistolis aliisque documentis operam impendimus. Genevae fuimus primum anno 1862, et sequentium quoque quatuor annorum ferias autumnales fere totas huic operi dicavimus, vix tandem et inter multos sudores ad finem perducto. Ita factum est ut in nobilissima illa civitate non solum a viris doctis tabulariorum publicorum praefectis, verum etiam a professoribus academicis, ministris ecclesiarum aliisque honestis viris summa cum humanitate excepti, tandem ipsi nobis eorum cives evasisse videremur, et quanquam longi laboris taedio defatigati aegre tamen iis valedixerimus. Quibus fida mente obstricti cupide hanc occasionem arripimus gratum animum publice testandi, sic debito officio neque prima vice defungentes, neque ultima defuncturi. Et quum non omnium nomina huic tabulae inscribere possimus, at certe eos non praeteribimus quibuscum fere quotidiano commercio familiarius usi sumus: in bibliotheca civica Franciscum Gas et Stephanum Patru, in archivis publicis Adolphum Grivel et Theophilum Heyer, in conclavi venerabilis ministerii Andream Archinard, quorum duo postremi iam ad altiora evecti maximum sui desiderium apud bonos omnes reliquerunt.

Quibus praemissis iam ad singula transeuntes, primo loco codices bibliothecae accuratius recensebimus, deinde archivorum documenta et ministerii commentarios paucis attingemus.

1. *Codices bibliothecae civicae.*

A. Cod. 106, foliorum 234 continet epistolas 204, ex quibus 198 ipsius Calvini sunt, quatuor ad ipsum datae, duae denique aliorum ad alios. Centum septuaginta et octo sunt autographae, caeterae aliena manu exaratae, quarum fere dimidia pars nobis pro authenticis venire debet antiquioribus exemplaribus deperditis. Colligatae fuerunt viro aliquo non indocto superattendente, qui ad rationem temporum eas disposuit, ita ut pluribus die et consule suo destitutis quantum potuit ex coniectura aptum locum assignaret. Praemissis decem schedulis Calvini in Gallia adhuc commorantis, ex codice Bernensi descriptis, incipit series a mense Februario 1537 et progreditur ad Decembrem 1548. Gallicae adsunt duae a Bonneto editae, latinarum undeviginti Beza, novem P. Henry typis mandavit: reliquae nunc primum evulgantur.

B. Cod. 107ᵃ, foliorum 378, continet epistolas 357, omnes calvinianas, exceptis quatuor. Centum sexaginta et tres sunt autographae, aut saltem, quod rarius occurrit, subscriptionem autoris exhibent authenticam. Inter caeteras fere septuaginta manu Caroli Ionvillaei, amanuensis Calvini, nitidissima exaratae sunt. Codex hic sine dubio ab eodem viro docto constitutus est qui et praecedentem adornavit. Insunt enim 1° epistolae latinae 286 ab anno 1549 ad 1564 pertinentes, ordine chronologico ut priores dispositae, 2° aliae viginti octo absque die et consule, 3° gallicae 43 ex quibus paucissimae ipsius Calvini manum produnt, neque magis anni et diei accuratam notitiam exhibent. Gallicas tantum non omnes

Bonnetus edidit, latinarum duodeviginti in Bezanis exstant, quindecim apud Henryum et Baumium; caeterae ineditae.

C. Cod. 107, foliorum 179, praeter duas ad calcem reiectas multo recentiores continet 110 epistolas, scilicet latinas duas, quarum altera non Calvini est sed ad ipsum scripta, caeteras omnes gallicas et calvinianas. Harum septem bis in hoc volumine occurrunt, verum hic semel tantum in censum veniunt. Latinae sunt autographae, ex gallicis septem; Ionvillaei viginti et novem. Sequuntur fere ordinem temporum (1545—1564) rarissime turbatum, et si quid videmus hic liber praecedentis quasi appendicem sistit, ita ut illic praemissis gallicis epistolis incertorum annorum, iam accurate definitae eiusdem generis subiiciantur. Caeterum, etsi pauciores ipsius autoris manu exaratae sunt, codex hic maxime respiciendis adnumerandus est. Quae enim alibi etiam exstant earundem exemplaria recentioris aetatis industriae debentur (Codd. 107 b. 108, 109, 111, 115 a. 116, 119); quid quod duodecim documenta hic habes, quae a reliquis libris omnibus absunt. Latinae solae ineditae.

D. Cod. 194, foliorum 82. De hoc codice iam diximus supra in Prolegomenis partis primae huius voluminis pag. XII, tum etiam hoc ipso loco Cap. I. §. IX. Continet epistolas maximam partem autographas Calvini ad Falesium eiusque uxorem, omnes gallice scriptas et iam bis editas, numero quinquaginta et duas, ex quibus septem in hoc ipso codice a recentiore manu iterum descriptae occurrunt. Accedunt ad idem commercium pertinentes tres, Calvini ad Polanum, Gallasii et Balduini ad Falesium, quarum duae priores latinae sunt. Praeterea in medio volumine exstant, nescio quo casu hoc potissimum loco insertae, duae aliae latinae, altera Calvini ad Lutherum saepius alibi descripta, altera Melanthonis ad Calvinum.

E. Cod. 111, foliorum 276. Est volumen prius collectionis peculiaris saeculo decimo septimo, ut videtur, institutae, quae tamen nullas epistolas autographas continet. Calvinianae adsunt 281 et quatuor alienae, viginti et una gallicae caeterae omnes latinae, praeterea septem bis descriptae. Sequuntur fere ordinem temporum ab initio ad a. 1553 ita ut pleraeque ex duobus codicibus supra recensitis A et B desumptae sint, pauciores ex aliis libris (C. K. S.), nonnullae etiam ex Archivis tam Genevensibus quam Turicensibus. Unam tantum ex hoc unico fonte edendam deprehendimus. Librarius qui hunc codicem exaravit non semper felici manu usus est: habet hinc inde lectiones dubias aut pravas in locis lectu difficilioribus, quod ideo notandum quia ex eius apographis fluxerunt Bernensia, ex Bernensibus Simleriana, ex uno alterove hoc secundario fonte textus passim a recentioribus editi, v. g. Henryi, Hundeshagenii, aliorum. Nihilominus codex hic, ut et proxime recensendus, minime spernendus est eo nomine quod Sam. Turretinus cuius industriae debetur, ut iam supra monuimus, annotationes criticas adiecit ad eas epistolas quibus accuratior natalium significatio ab autore addita non erat. De hoc vero iam supra Cap. II.

F. Cod. 108, foliorum 206. Tomus alter eiusdem collectionis. Calvinianae adsunt 148 latinae et 37 gallicae, praeterea Farelli quatuor. Tres bis descriptae. Pertinent ad annos 1554 ad 1564, ad calcem reiectis iis de quarum natalibus non constabat, cum nonnullis suo loco praetermissis. Fere omnes desumptae sunt ex Cod. B., pauciores ex Cod. C., paucissimae ex aliis fontibus modo memoratis; ex Cod. A nulla. Sex reperimus ex hoc unico fonte repetendas, antiquioribus exemplaribus deperditis: autographon enim in hoc codice habetur nullum. Caeterum de eo valent quae de praecedente declaravimus.

G. Cod. 107 b. foliorum 101. Etiam hic habes recentiora exemplaria 85 epistolarum, ex quibus viginti octo gallicae ex parte a calligrapho perpulcre sed mendose descriptae sunt. Pertinent fere omnes ad annos 1558 et sequentes, et sicut praecedentes ex iisdem libris B et C depromptae sunt. Unicam aliquam alibi non reperimus.

H. Cod. 115ᵃ· foliorum 67. Viginti octo epistolae Calvini gallicae calligraphi manu scriptae ut illae quas continet Cod. G. satis recenti aetate. Pertinent ad annos 1561 et sequentes et plerumque ad Cod. C.

J. Cod. 111ᵇ· Continet 1° septemdecim epistolas Calvini ad Bullingerum (1554—1558) ex Archivis Turicensibus a recentiore quodam librario descriptas, 2° septuaginta quinque Bezae, partim ad eundem, partim demum post eius obitum ad varios datas, et ex eodem thesauro depromptas.

K. Cod. 111ᵃ· foliorum 241 continet plures collectiones et necessario et facile distinguendas. 1°. Fol. 1—39 centum et duodeviginti Calvini ad Viretum, manu Ionvillaei nitide scriptas, quarum authentica exemplaria fere omnia (scil. 89) in codice A exstant, nonnulla etiam, sed paucissima in Cod. B et Gothae, unum Genevae sub vitro; viginti denique et duarum antiquiora his Ionvillaeanis alibi non occurrunt. 2° Fol. 40—52 octo variorum autographas ad Viretum et Farellum, Calviniana aetate superiores, et unam Farelli ad Calvinum. 3° Fol. 53—200 centum triginta et septem autographas Vireti ad Calvinum quarum series chronologica bis decurrit ab anno fere 1540 incipiens; inseruntur praeterea suo loco duae Myconii et Sulzeri ad Farellum, eaeque non autographae quidem sed nobis pro primariis recensendae. 4°. Fol. 201—241. Agmen claudunt praeter unam autographam Libertoti ad Farellum, triginta et octo eadem illa manu scriptae cui etiam Codd. E et F debentur, scilicet decem Calvini ad Bezam et alios quosdam datae, caeterae fere omnes Bullingeri ad Calvinum. Repetitae sunt maxime ex Codd. B et O, nonnullae etiam ex Codd. P et R, una tantum aliqua alibi non reperta est.

L. Cod. 109, foliorum 225. Continet praeter nonnullas a nostris rebus alienas centum quadraginta et septem variorum epistolas ad Calvinum, ex quibus 25 gallico sermone scriptae sunt, duae tantum non autographae quarum authentica exemplaria exstant in Cod. B et Bernae. Dispositae veniunt ad rationem temporum, incertis pro more ad calcem relegatis, et ut plurimum eorum sunt quorum pauciores, imo singulae tantum exstant. Inseruntur praeterea passim septem aliae ipsius Calvini apographae, quatuor scilicet gallicae ex Cod. C repetitae, tres latinae. Ex his una ex gallico conversa est, alterius authenticum Parisiis exstat, tertiam hinc describere oportuit, antiquiore exemplari deficiente. Caeterum non est quod te moneamus, harum chartarum, ut et earum quas praebebunt sequentes codices, vix unam aut alteram typis expressam esse.

M. Cod. 110, foliorum 199. Continet 122 variorum epistolas autographas, duabus exceptis omnes ad Calvinum datas, et sic dispositas, ut quae eiusdem autoris sunt uno in loco iunctim exhibeantur. Sic, ut frequentiores et celebriores tantum nominemus, habes hic plures Acanthii, Balduini, Blaureri, Capitonis, Capnii, Diazii, Garnerii, Holbraci, Lismanini, Macarii, Molinaei, Myconii, Pacei, Pellicani, Tossani caett.

N. Cod. 112, foliorum 240. Continet 146 epistolas variorum, omnes praeter quatuor ad Calvinum datas et autographas, eodemque modo quem supra significavimus dispositas. In quibus una tantum gallico sermone conscripta est, tres editae reperiuntur. Autorum nomina inter plures commendamus tibi haec: Alexandrum, Dathaenum, Dryandrum, Gallasium, Grynaeum, Hedionem, Hubertum, Lascum, Libertetum, Macarium (qui se hic ψευδωνύμως Rachamum dicit), Morellanum, Ochinum, Polanum, Sinapium, Socinum, Sulzerum, Utenhovium, Vermilium.

O. Cod. 114, foliorum 138. Continet 96 epistolas, ex quibus decem Bullingeri ad Bezam calviniana aetate recentiores sunt. Caeterae omnes sunt latinae et autographae, et praeter tres ad Calvinum datae, editae quatuor. Autores pauciores quam in prioribus voluminibus, scilicet Bullingerus, Hallerus, Hotomannus, Olevianus, Perucellus, Zerkintes.

P. Cod. 115, foliorum 150. Continet epistolas 127, praeter unam omnes ad nostras res perti-

nentes. Sunt nonnullae Baduelli, praesertim vero plurimae Farelli et Vireti. Ex tota serie hac praestantissima maximique momenti una tantum non autographa, una iam edita, tres non ad ipsum Calvinum datae, latinae omnes.

Q. Cod. 116, foliorum 133. Continet epistolas 129 eadem manu descriptas cui etiam Codd. E et F debentur. Omnes fere Farelli et Vireti sunt ex Codd. P et K repetitae, sex tantum ex B, C et T, duarum denique antiquiora exemplaria neque Genevae neque alibi reperire contigit. Calvini adsunt gallicae quatuor, quatuor aliae ab aliis ad Viretum et Farellum datae.

R. Cod. 113, foliorum 140. Continet praeter duodeviginti a nostris rebus alienas octoginta epistolas, omnes una excepta autographas, Calvini duas, caeteras ad eundem variorum. Tres sunt gallicae, una italica, quinque iam editae. Supplementum dixeris Codd. M, N, O, P, quum neque ad rationem temporum, neque alio certo ordine dispositae veniant, et singulorum autorum, ut plurimum minus clarorum, pauciores imo singulae exhibeantur. Occurrunt inter caeteros plures Angli aliique exteri.

S. Cod. 196, foliorum 250. Continet epistolas 183 ex quibus hic 151 in censum veniunt. Centum et viginti sunt autographae, plurimae ex Gallia ad Calvinum missae, tam a privatis hominibus quam nomine ecclesiarum scriptae, et maximam partem ad solum annum 1561 pertinentes, quo pace tandem feliciter restituta ubique coetus evangelicorum sibi ministros a Genevensibus mittendos quaerebant. In summa gallicae adsunt 89. Calvini ipsius 30, fere omnes ad Viretum datae et cum nonnullis aliis ex Codd. A, B, E, F descriptae, tum etiam ex Codice Zofingensi ut videtur; quinque alibi non reperimus. Ex autographis sex iam editae sunt.

T. Cod. 145, pauciores continet epistolas stricte sic dictas sive ad familiares datas; sed publica potius documenta varii generis tum etiam consilia, confessiones, aliaque plura quae nos tomo IX ad calcem opusculorum inseruimus, quaeque hic sigillatim enumerare non attinet: alia in exemplaribus autographis et authenticis, alia a coaevis descripta. In his quae nondum edidimus eminent praesertim libelli plures in causa Caroli a. 1537, et Trollieti a. 1552 editi, quae implent ultra quinquaginta folia, a principio. In summa fere septuaginta hic exstant scripta minoris ambitus, quorum circiter dimidia pars gallico stilo exarata est. Inde a fol. 179 ad 240 sequuntur alia paulo recentiora ad res anglicas et belgicas pertinentia quae obiter memorasse sufficiet.

U. Cod. 117. Theodori Bezae epistolae autographae 123, ex quibus 48 ad Calvinum datae et in nostrum thesaurum recipiendae, maxime anno 1561 ex itinere gallico et colloquio Possiacensi missae sunt et fere omnes a Baumio ad calcem Vitae autoris editae. Nonnullis etiam recentiora apographa iuncta reperiuntur. Caeterae post Calvini excessum demum scriptae fuerunt.

V. Cod. 118. Epistolae autographae 118 Bezae ad Bullingerum, et quinquaginta variorum ad Bezam. Ex prioribus perpaucas aliquas utpote a rebus nostris minus alienas vel transscripsimus vel excerpsimus.

W. Cod. 119. Calvini epistolae quinque, Bezae septuaginta et tres a calligrapho saeculi superioris eleganter et mendose descriptae, pleraeque ex codice. U et J, sive ex exemplaribus turicensibus, nonnullae etiam ex B et C. Ad collationem nullius momenti fuere.

X. Cod. 120. Bullingeri 149 ad Bezam, una ad Calvinum, omnes autographae, ex quibus paucissimae non omnino negligendae videbantur.

Y. Z. Codd. 197 et 197ª. continent epistolas circa 260 ad ministrorum Genevensium collegium maxime ex Gallia missas, vel saltem ad aliquem ex eorum numero, easque autographas. Nonnullae etiam adsunt ab ipsis Genevensibus scriptae eaeque fortasse Calvino autori, etsi non manui tribuendae. In tota hac farragine vix quindecim reperimus quas nostras facere non abs re visum est.

De codicibus bibliothecae Genevensis manu scriptis singularem librum edidit J. Senebier, V. D. M. et bibliothecae praefectus: *Catalogue raisonné des MSS. conservés dans la bibliothèque de la Ville et République de Genève.* 1779, ubi pag. 249 seqq. et 457 seqq. epistolarum calvinianarum volumina recenset. Opus est exilis doctrinae et dubiae fidei, tum etiam hactenus imperfectum quod plures codices quos nos manibus tractavimus silentio praeterit, quos tamen tum temporis in tabulario nondum exstitisse vix crediderimus. Quali rei literariae scientia instructus ad catalogum suum conscribendum accesserit ex iis colliges quae p. 290 leguntur: *J'observerai ici, à l'égard des lettres de Calvin, qu'elles seroient autant d'énigmes pour ceux qui ne sauroient pas l'histoire du temps. Car afin d'être plus court ou peut-être plus secret (!), C. n'emploie jamais (?) que les noms de batême de ceux dont il parle, et la plupart des dates sont tirées des choses mêmes dont il est fait mention dans la lettre. Je dois encore dire que le plus grand nombre des lettres de ce grand homme avoient été transcrites par M. Samuel Turretini, que j'ai profité de ces copies qui sont très-fidèles, et que je n'aurois jamais entrepris de les parcourir toutes, s'il m'avoit fallu les lire dans la mauvaise écriture de notre célèbre Théologien.*

Praeter hos codices in eadem bibliotheca etiam fasciculum documentorum non colligatorum exploravimus numero 197^as insignitum, in quo circa triginta reperta sunt ad res Calvinianas pertinentia maxime publica scripta et quidem maximam partem gallica et authentica.

2. Documenta in archivis civitatis et ministerii asservata.

Ex his non ita multa, praesertim si ad eorum copiam exigere velis quae modo recensuimus, ad augendum nostrum thesaurum epistolicum nacti sumus. Nihilominus quam his tabulariis pervestigandis impendimus curam, eius nequaquam nos poenitet. In commentariis tam senatus quam consistorii plurimas quidem easque haud spernendas notitias hausimus quibus ad illustrandam Calvini vitam uti potuimus, et speciatim ad ipsas epistolas, ubi obscurius ad res gestas alludebant, passim explanandas. Verum horum studiorum fructum tum maxime, si Deo tibique placuerit, degustabis, quando annales quos meditamur ex undique congesta materia concinnandos aggrediemur et tecum communicabimus. Interea iam aliqua ex parte tibi delibandum praebuimus editis ex illo fonte famosissimarum causarum Bolseci et Serveti actis integris, plenius et perfectius quam antea unquam fuerunt. Ex eodem tamen etiam ipsi epistolarum seriei, cuius tibi iam primitias offerimus, aliquod auctarium et ornamentum accedit. Nam et in archivis civicis plures excussimus literarum fasciculos, ex ingenti numero eorum qui nomine Schedarum historicarum *(Pièces historiques)* veniunt, scilicet non familiares sed publicas potius continentium, caeterisque omnino addendas, et in tabulario venerabilis ministerii duo perlegimus et excerpsimus volumina maximae formae et amplitudinis *(Vénérable Compagnie* A et B) quibus non tam actorum reverendi coetus continua relatio continetur, quam collectio documentorum passim ex eius gremio editorum, in quo quanti ponderis Nostri fuerit autoritas, et quatenus omnia ad eius nutum gesta fuerint, nemo est qui nesciat.

§. II.

CODICES TURICENSES.

In his recensendis non opus est ut eundem teneamus modum quo circa Genevenses codices usi sumus. Sunt hic quidem multo plures in quibus pervestigandis desudavimus, sed in singulis, si numerum documentorum spectes quae in unoquoque continentur, pauciora tantum invenimus quae in adversaria nostra referre oportuerit. Turicum enim eo saeculo, saltem quoad negotia ecclesiastica, totius Hel-

vetiae quasi centrum erat, quo non solum vicinorum et sociorum res convergebant, quatenus communi consilio tractandae erant, verum etiam exterorum, maxime Germanorum: habebatque suum antistitem Henricum Bullingerum virum praestantissimum et impigerrimum, quem plurimi undique terrarum ob diligentiam prudentiamque consultum adire consueverant. Eius ergo potissimum et collegarum industriae, atque etiam autoritati magistratus civitatis, immensa congeries epistolarum debetur in illa urbe ad hunc diem asservatarum, quae patrum memoriae atque gloriae curiosos et allicere et terrere valent. De quibus nunc quantum expediet trademus, plura proponendi officio aliis relicto.

Incipiemus autem ab ea collectione quae quidem omnium recentissima est et authentica exemplaria fere nulla continet, quam tamen viri docti saepius solam exploraverunt, utpote locupletissimam lectuque facillimam, et quae nobis quoquo, etsi alia de causa, utilissima fuit. Hoc est amplissimum et celeberrimum Io. Iac. Simleri opus, theologi Turicensis, qui non ignobilis inter suos nominis haeres saeculo superiore quotcunque poterat decimi sexti epistolas vel ipse descripsit vel per alios descriptas sibi comparavit, easque secundum ordinem temporum dispositas in ducenta fere volumina maximae formae redegit, multis doctisque annotationibus marginalibus argumento singularum passim illustrato et indicato fonte unde repetitas acceperat. Quem thesaurum quum iam antea inter alios labores fidum et divitem cognossemus, denuo atque etiam maiore cum sedulitate eo uti decrevimus, simul ac prima vice Genevam advecti incumbentem ibi nobis molem stupentes conspeximus, ad quam occupandam plurium annorum spatium vix sufficere posse videbamus. Itaque virum honestissimum, bibliothecae civicae Turicensis praefectum nostrumque optimum fautorem, D. Iacobum Hornerum, et per eum ipsos civitatis consules adiimus, rogantes ut Simleriana volumina nobis per vices Argentoratum mitterentur, quo commodius, et minoribus impensis quam si usque in diversoriis publicis vivere oportuisset, quae nostra referrent describeremus, descripta postea facilius et celerius cum ipsis autographis, suo quaeque loco conferremus. Sic sensim septuaginta sex volumina excussimus, nempe a trigesimo quinto ad centesimum decimum, et horis subsecivis plurimas schedas nostras fecimus, quibus alioqui partim ob lectionis difficultatem partim ob breviora quae in archivis et bibliothecis otia exteris conceduntur, multo maius temporis spatium impendere opus fuisset, quam quod collatio illa critica et non raro necessaria exegit. Simlerus enim, cui suas laudes nequaquam denegare volumus, fere in iis tantum operis sui partibus iustae docti iudicis legi satisfecisse videtur, in quibus ad urbis et ecclesiae patriae tabularia recurrendum erat. In his enim, sicut etiam in Sangallensibus libris tractandis, summa cura et diligentia usum deprehendimus, non item in caeteris quae aliunde erant repetendae. Sic Genevensium codicum (tum temporis, ut videtur, exteris denegatorum) ne unum quidem inspexit, neque aliis inspiciendum demandavit, sed satis habuit Bernensia apographa, suspecta illa et non semper e primariis fontibus derivata iterum cum suis mendis describere. Etiam Neocomenses non ipse tractavit, sed ex schedis Ruchatii, spectatissimi sane scriptoris sed tamen secundarii, hausit quae ex illis deprompta recepit. Plurima etiam a variis amicis sibi missa, aut ab amanuensibus parata, quum ipse recognitione instituta probare non potuerit, dubia manent quanquam ex priscis exemplaribus derivata. Caeterum notandum est, Turicenses codices omnes in utroque tabulario Simleri aetate aliis siglis insignitos fuisse quam quibus hodie designantur, ita ut nos, ne qua confusio oriatur, duplici modo definitos allegare constituerimus.

Exstant praeterea in eadem bibliotheca civica circiter quinquaginta alia volumina, tam autographorum quam recentiorum exemplarium, quae apud Simlerum plerumque sub nomine celeberrimi I. H. Hottingeri veniunt, suis propriis numeris peculiarem seriem constituentia, nunc vero inter plurimos alios manu scriptos codices siglo F tom. 36 et seqq. notata. In his etsi rarius in epistolas incidimus vel alibi non repertas, vel etiam omnino ad nostras res pertinentes, erant tamen nonnulli tomi aliis hoc

nomine locupletiores, inter quos prae caeteris eminent Simleri Tom. III. (hodie F. 38), V. (40) XI. XII. (46, 47) XXIII. (58) XXVII. (62) XLV. XLVI. (80, 81). Obiter tantum commemoramus aliud volumen B. 217 quod apographa schedarum Neocomensium continet.

Multo maioris momenti et operosioris studii erant qui nunc in Archivis reipublicae asservantur codices documentorum manu scriptorum saeculi decimi sexti, ex quibus ii maxime curiosius examinandi erant qui Simleri aetate in peculiari ecclesiae chartophylacio reconditi erant, hodie novis numeris distincti in publico tabulario aliis varii generis et argumenti iuncti prostant. Cuius custos primarius H. Hotz liberaliter nobis aditum ad divitias suae curae creditas concessit, et vir optimus H. Friederich, instituti secretarius, in cuius diaeta integrum fere mensem Septembrem a. 1868 transegimus, doctrina, consilio, commercii suavitate, laboris taedium quantum in ipso erat nobis minuebat. Ultra centum volumina evolventibus dimidia fere pars optabilem plenamque chartarum messem suppeditavit nostris copiis addendarum, in quibus prae caeteris saepe nominata reperies ea quae apud Simlerum B. tom. I—X. XIX. XXIV—XXXVIII. XLI—XLVII. C. I—IV. XXII. D. II. dicuntur, nunc secundum pluteos *(Gestelle)* in quibus secundum novum ordinem disposita sunt: VI. vol. 105—117, 129—132, 153—171, 176, 177. VIII. vol. 40, 43—45. Nonnulli sunt inter hos codices, iique plerumque maioris molis, quos fere totos describere oportuisset, ita ut esset quod nobis de anteactis laboribus, nempe de apographis pridem ex Simlerianis factis, non parum gratularemur. Rarissime accidit ut quae Simlero autore in uno alterove volumine quaerebamus cum nostris apographis conferenda, in Archivis non inveniremus.

§. III.

CODICES BERNENSES.

Hic quoque duo diversa tabularia in censum veniunt, Bibliotheca civica cuius codices nobis denuo excutiendos commodavit C. L. I. de Steiger, et Archiva reipublicae quibus praefectus est Maur. de Stürler. Qui duumviri clarissimi omni qua potuerunt benevolentia et urbanitate studia adiuverunt nostra operique prospexerunt, quapropter etiam eorum nec non honestissimi Lanzii secretarii comitatem et officia alta mente reposita publice testari nobis et sacrum et iucundum est.

In recensendis codicibus bibliothecae Bernensis breviores esse possumus, quum iam saeculo superiore Sinnerus amplissimum accuratissimumque eorum catalogum ediderit, supra iam laudatum. Paucis igitur eos indicabimus ex quibus nostras copias augere debuimus.

I. Primum inter omnes curiose perlegimus illum qui numero 450 signatus est et quem Sinnerus T. III. p. 220 fusius describit. Foliorum est circiter trecentorum variae formae plerumque tamen minoris, continetque farraginem indicum notarum et epistolarum collectarum a Francisco et Petro Daniel, Francisci illius filiis qui quondam Aureliae Calvino nostro amicitiae vinculo obstrictus fuit. Inest inter alia fol. 114—151 fasciculus peculiaris epistolarum numero nonaginta septem quas propria manu ex schedis patris aut familiae chartulario descripsit Petrus ille qui etiam edito Servii in Virgilium commentario inter eruditos clarum nomen adeptus est. Habentur hic nonnullae inter calvinianas omnium antiquissimae, quarumque authentica exemplaria non exstant, ad Danielem patrem et ad Nicolaum Du Chemin, item Danielis ad utrumque. Sunt illae in serie caeterarum 7—14, 17, 60—63, 65—69, in summa duodeviginti. Accedit N. 83 epistola ultima Calvini ad Farellum saepius a pluribus descripta et iam a Beza evulgata.

II. Codex 141 formae maximae. Collectio epistolarum, magna ex parte autographarum quae olim Iac. Bongarsii fuit, et quarum seriem Sinnerus T. III. p. 80 omnibus numeris absolutam suppeditat.

Quarum summa est 330. Sed paucissimis exceptis nostra non referunt. Nam calvinianae nonnisi duodecim adsunt, in quibus sex ex Cod. 450 repetitae, una aliunde sumpta, quatuor apographae quidem sed alibi non occurrentes, una denique autographa eaque prae caeteris commendanda eo nomine quod ipsa antiquissimum stili proprii autoris monumentum est quod hodie reperiatur. Est Sinneri N. 43. Nam alia quaedam quam idem sub N. 237 recenset Calvini ad Danielem, ea ipsa quae prima est inter olim a Beza editas, hodie in codice non exstat et citra dubium haud ita pridem furto sublata est.

III. Cod. A. 30 (Sinner. III. 258). Inter 230 epistolas fere omnes autographas unam tantum Calvini ad Musculum vidimus.

IV. Cod. A. 46 (Sinner. III. 164). Epistolarum a variis ecclesiae reformatae doctoribus scriptarum collectio. Insunt plurimae Bezae, sed recentiores. Prima omnium est Calvini ad Protectorem Angliae saepius in codicibus occurrens, et vix hoc loco speciatim notanda.

V. Codex inter MSS. hist. Helvet. III. 34 formae max. In hoc volumine inter plurima documenta sex Calvini epistolae reperiuntur ex quibus tres autographae; praeterea sex alia autographa ad res calvinianas pertinentia; denique quinque librariorum industria partim ex archivis turicensibus partim ex archetypo nunc deperdito repetitae. Pertinent omnes ad causas publice tractatas, Bolseci videlicet, Consensumve Tigurinum, aut Lausannensium cum Bernensibus disceptationes.

VI. MSS. theol. Cod. 122 non nisi apographa continet. Hic habes, quantum ad nostra attinet, triplicem documentorum seriem. 1° (fol. 1 seqq.) plura de Stancaro et controversiis eo autore in Polonia ortis a. 1560. 2° (fol. 49 seqq.) Martyris, Sturmii et Bezae relationes de rebus gallicis a. 1561 gestis. 3° (fol. 98 seqq.) nonnulla Val. Gentilis scripta.

In Archivis civitatis duobus chartarum generibus curas nostras impendimus. Primum evolvenda erant acta senatus et documenta publica, ubi praeter libros diurnos s. manuales plurima suppeditarunt thesauro nostro addenda Instructionum et Missivorum quae dicuntur collectiones, maxime tria volumina eius seriei quae inscribitur *Welsch Missiven-Buch* scil. B. 1537—42; C. 1543—53; D. 1554—68. Altera vero ex parte non praeterire debuimus eam Epistolarum farraginem cuius fama nuper per virorum doctorum nostrae aetatis studia, Hundeshagenii, Trechselii, aliorum, latius percrebuit, sicut iam olim Simlerus innumeras schedas inde repetitas, imo quantum vidimus ad unam omnes suas fecit. Mox tamen manifestum nobis fuit hanc collectionem nulli nobis usui esse, et in posterum citra damnum negligi posse. Ne tamen quid nimium dicere videamur incuriosius intuiti, accipe quid rei sit. Duo sunt volumina formae quaternariae, numeris VI. et VII. signata quorum prius fere sexcentas, posterius trecentas et quinquaginta epistolas continet, ex quibus autem satis multae bis aut ter occurrunt. Qui eas collegit ordinem temporum sequi voluisse videtur, quem tamen non ubique neque accurate observatum deprehendimus. Praeterea accidit, nescio quo casu, ut antiquiores usque ad a. 1549 volumine VII., recentiores inde ab a. 1550 VI. contineantur. Omnes vero, quod declarasse unice refert, mera sunt apographa et quidem ut plurimum Genevensium exemplarium, rarissime Turicensium. Quid quod plerumque earum epistolarum quarum iam Genevae plura exstabant exemplaria, nempe praeter authenticum recentius aliquod a Turretino videlicet descriptum, Bernense ex hoc non ex archetypo derivatum vidimus. Nonnulla ab eodem illo librario exarata sunt cuius industriae debenter Codices Genevenses E et F. Quae quum ita sint non erit qui vitio nobis vertat, si textum Bernensem nos in singulis non accuratius inspexisse neque cum caeteris exemplaribus per omnia contulisse confitemur.

Denique tertium aliquem codicem eiusdem conditionis et autoritatis commemorabimus a viris doctis ut videtur neglectum. Ad calcem Vitae cuiusdam Farelli manu scriptae, de qua mox in codicibus

Neocomensibus plura dicemus, appendix habetur quadraginta et octo epistolarum, a recentiore manu item ex Genevensibus exemplaribus descriptarum, in quibus octo latinae Bezae ad Calvinum, quadraginta gallicae Calvini ad diversos.

Bernam vero recordari non possumus nisi optimi simul meminerimus viri F. Guil. Kampschulte, in archivis illis quondam collaboratoris nostri diligentissimi et inter eos qui de vita Calvini scripserunt facile principis. Cui ut attritam valetudinem instauret propitium numen, viresque suppeditet ad absolvendum opus suum praestantissimum enixe precamur.

§. IV.

MANUSCRIPTA NEOCOMENSIA.

Neocomi, quod nomen scriptores nostri sacrorum instauratores clarissimae urbi Neuchatel indiderunt, praeter bibliothecam civicam maiorem, alia quaedam exstat quae Pastorum dicitur, eaque non tam copia librorum insignis quam satis ampla collectione epistolarum saeculi XVI. manu scriptarum. Sunt hae Farelli reliquiae, viri inter omnes Calvino proximi, si fata utriusque familiaritatemque respicias qua intima et inconcussa solaque morte diremta alter alteri coniunctus erat. Ipse Farellus enim non solum quas accipiebat sedulo asservare consueverat, verum etiam, ut videtur, earum exemplaria quas ad amicos mittebat. Quod idem passim in Calvinianis observavimus. Ab hoc thesauro olim studia nostra archivalia auspicati sumus, incaute a difficillima laboris parte exorsi. Farello enim scribendi methodus fuerat perquam lecturis molestus, literatura exilis, charta flavescens, atramentum mox amissa omni nigredine infidum, ita ut saepius vitro microscopico nisi armatis oculis, ut dicunt, quae nudos fugiebant quasi spectra ex orco evocare debuerimus. Qua etiam de causa post aliquot annos, quum iam in legendis veteribus manuscriptis ex diuturno usu maiorem essemus nacti facilitatem, denuo eandem adiimus bibliothecam, easdem schedas iteratis curis tractaturi. Utraque occasione eius praefectum D. Coelestinum Du Bois, professorem theologiae, humanissimum experti sumus fautorem ac patronum. Qui indefessa sollicitudine et inexhausta liberalitate quotidie nobis certum epistolarum numerum concredidit in diversorio nostro examinandarum, quum in ipsis aedibus publicis pro loci angustiis id commode fieri non potuerit, quae deinde sequenti die eo reportabamus cum aliis permutandas.

In his Neocomensibus manuscriptis duo tantum compacta habuimus volumina epistolarum aliorumque documentorum, alterum 211 alterum 215 foliorum. Caeterae omnes non inter se colligatae asservantur, sed separatim singulae, et quidem olim satis promiscue et inordinate: nunc vero cura et studio Viri clarissimi modo laudati in certos fasciculos distributae sunt et praeterea secundum temporis rationem suis numeris distinctae. Ita perlegimus 114 epistolas Farelli, plerumque ad Calvinum et Libertetum datas, 126 Vireti ad Farellum, 52 Liberteti, Tossani fere centum, plurimas Buceri, Capitonis, Grynaei, aliorum, sed non nisi undecim Calvini, quem exiguum numerum sane mireris. Caeterum has reliquias tantum esse amplioris collectionis quae olim exstiterit, non sine causa nobis videmur suspicari.

Adest enim in eadem bibliotheca Codex MS. saec. XVII. continens Oliv. Perroti Vitam Farelli ex ipsis illis documentis epistolaribus Neocomensibus ita concinnatam ut occasione omnium et singulorum quae narrantur factorum testes laudentur eae chartae ex quibus autor quae refert se depromsisse affirmat, nonnunquam etiam longiora transscribit excerpta. Sic haec tota elucubratio quodammodo indicis vice esse potest earum quae eius aetate Neocomi supererant. Quare nos diligenter eam relegimus, quas ibi allegatas reperimus epistolas in ipso chartulario quaesituri; verum satis magnum numerum ex eo inde tempore quo scripsit ille deperditum fuisse cognovimus. Apographa huius operis Bernae et Turici vidimus.

§. V.

SANGALLENSIA. BASILEENSIA. ZOFINGENSIA.

Caetera Helvetiae tabularia, in quibus explorandis eo maiore sedulitate usi sumus quo rariores fructus laborum inde colligere nobis contigit, hoc loco raptim percurrisse sufficiet. Sic, ne temere illud dictum reputes, bis fuimus Sangallis, bis Basileae, altera vice circumspicientes numquid inter priora studia minus exercitatos fugerit.

Bibliotheca civica Sangallensis, quondam a clar. viro Ioachimo Vadiano reipublicae consule condita, cuius nomen et laudes etiam in hoc nostro thesauro calviniano non semel tibi occurrent, inter alia possidet satis insignem collectionem epistolarum a viris doctis saeculi XVI. maxime ad ipsum Vadianum datarum. Distributae sunt eae in duodecim volumina maioris formae duplici modo numerata, scilicet et per se speciatim Tom. I—XII., et cum aliis eiusdem bibliothecae manuscriptis Vol. 30—41. Ex singulis fere aliquot schedas nostras fecimus, praesertim vero ex Tom. IV—VIII. et XII plures. Praefectum huius instituti, virum summe venerabilem Iacobum Wartmann humanissimum et officiosissimum experti sumus adiutorem, eique grato manemus obstricti animo.

Basileae primum in Archivis Antistitii plurimos documentorum evolvimus fasciculos, quorum liberum usum liberaliter nobis concessit vir doctissimus Samuel Preiswerk b. m. nuper ecclesiae patriae antistes. Sed curae et diligentiae quaerentium minime respondit eventus, et nisi limites nobis paulo extentiores constituissemus in colligendis historiae calvinianae fontibus, ne rara quidem, verum omnino nulla tabularii huius, alioquin minime spernendi, vestigia in thesauro nostro relegeres. Pauciora suppeditabant Archiva civitatis.

Magis prospera fortuna usi sumus, non tamen splendida, in bibliotheca publica eiusdem urbis, quam primum olim superattendente Frid. Dor. Gerlach V. D. pervestigavimus, recentius iterum clar. Guilelmo Vischero duce quo nunc custode floret. Qui nobis summo studio eximiaque comitate exceptis ad copias suae curae creditas viam quam potuit expeditissimam aperire sollicitus, si non amplam messem in horrea nostra condendam, at certissimam persuasionem procuravit nullas in hoc quidem agro derelictas esse spicas quibus collectis alii post nos gloriarentur. Calviniana proprie sic dicta, ipsius Calvini dicimus epistolas, Basilea non possidet, quod sane incuriae coaetaneorum tribuendum. Adsunt tamen plura volumina et fasciculi autographorum saeculi XVI. ex quibus nonnulla in nostrum usum expiscari contigit quibus aegre caruissemus, maxime quaedam Castellionis reliquiae.

Denique non praetereunda est bibliotheca in aedibus curialibus ad S. Leonhardi deposita et nomina duumvirorum Freyi et Grynaei, Basileae quondam luminum, posteritati commendans. Habet et haec aliquot volumina manu scriptorum. Quam tamen non pro lucro inde parto hic producimus, quippe quod omnino nullum fuerit, sed ut hac occasione debitas grates publice persolvamus viro summo veterique et probato amico Car. Rud. Hagenbachio, de historia ecclesiastica etiam illius saeculi et docte conscribenda et vel minus doctis accommodanda meritissimo. Qui quum videret nos frustra pulverem sacri sui conclavis aspirasse, hoc damnum insigni dono compensari voluit. Possidebat ipse editionem illam Institutionis quam Rihelius Argentoratensis Gallis destinatam a. 1539 sub nomine ALCVINI excuderat (Prolegg. T. I. p. 33) cuiusque vix unum aut alterum exemplar aetatem tulisse videtur. Hoc *κειμήλιον* incomparabili munificentia nobis in sui memoriam tradidit, exoptatissimum sane et vel inter rarissima eminens, verum quo ut datoris recordaremur usque devinctissimis opus non erat.

Postremo loco inter bibliothecas helveticas, in quibus copias nostras adaugere potuimus, etiam

Zofingensem tibi sistimus. Ibi exstat certus aliquis codex N. 14 designatus, duo volumina complectens, in quo fere 360 epistolae maxime ad Wolfgangum Musculum datae asservantur. Iam Simlerus plurimas hinc in suam collectionem retulit: nos singulis diligenter inspectis in summa fere duodecim aut quindecim retinuimus inter quas tres fuere Calvini. Res non multi sudoris fuit, quum vir honestissimus ei bibliothecae praefectus, Car. Schauenberg, dioeceseos diaconus, paratissima omnia nobis accommodasset, et satis otii supererat ut et loci amoenitate et hospitali amicorum commercio frueremur.

§. VI.

CODICES PARISIENSES.

Parisiis in ditissima illa bibliotheca quae olim sub nomine regiae inclaruit, deinceps pro variis mutationibus rei publicae nunc imperialis nunc nationalis dicta est, plures exstant codices eo magis notatu digni quod quae iis continentur epistolae, etsi rarius autographae sunt, plerumque tamen alibi non reperiuntur, ideoque nobis authenticorum exemplarium loco haberi debent. Unde et quo iure Lutetiam singuli pervenerint, vel in manus eorum a quibus postrema vice redempti sunt, nescimus. Ecce eorum notitiam.

A. *Collection Dupuy* Vol. 268. Titulus promittit Epistolas theologorum quorundam protestantium ad Io. Calvinum et Th. Bezam. Atque ad hunc datae adsunt plurimae, item nonnullae ad Is. Casaubonum. In fronte tamen codicis leguntur viginti et una Melanchthonis, Sulzeri, Gallasii, Sturmii, Martyris, aliorum ad Calvinum autographae praeterque hunc locum alibi non occurrentes; tum etiam quinque documenta caeteroquin satis nota ad negotium de Consensu Tigurino pertinentia quae iam exhibuimus Tomo VII.

B. *Collection Dupuy* Vol. 102. Cuius voluminis inscriptio haec est: *Lettres de J. Calvin tant originales que copies. Lettres de divers docteurs audit Calvin.* Summa omnium est centum et quadraginta, scil. 39 gallicae et 101 latinae. Autographae sunt duae Calvini ad Farellum et Martyrem, et duodeviginti aliorum ad Calvinum. Caeterae omnes a recentiore quodam viro docto descriptae et ut plurimum uno tenore, non sigillatim, per quosdam fasciculos collectae et colligatae. Unde illas habuerit ipso tacente haud facile aliquis dicat: ultra centum in hoc numero reperiuntur quas alibi non vidimus, gallicae Calvini sedecim, aliorum novem, latinae triginta et una Calvini, et quadraginta octo aliorum.

C. *Fonds français* 2391 olim 8069 *Baluze.* Epistolae mutuae Calvini et Ludovici du Tillet, post huius reditum in Galliam et ad sacra patria scriptae, ternae utriusque, gallicae et apographae tantum, sed alibi non exstantes. Praefatiuncula praemittitur haec:

S'ensuivent aucunes epistres de deux ieunes hommes francois qui s'estoient retirez de leur pais en Alemaigne, et y avoient habité quelque temps es pais qui ont reiecté l'obeissance du Pape de Rome, iusques a ce que l'un d'eulx, s'estant separé de l'autre pour habiter quelque temps en autre contree d'Alemaigne non toutesfois de diverse secte, finablement s'en retourna en France: l'autre demourant en Alemaigne, en une ville ou il avoit prins charge de prescher: de laquelle quelque temps apres il fut deschassé. Lesquelles epistres furent escriptes de l'un a l'autre, premierement sur le faict du retour de l'un en France, et puis sur le faict du deschassement de l'autre hors la ville ou il avoit esté receu prescheur.

Editae sunt ab Alexandro Crottet de quo vide supra pag. XVII. et a Iulio Bonnet. Hunc solum codicem nobis Argentorati tractandum permiserunt bibliothecae Parisiensis praefecti, caeteris intra sua pomoeria evolvendis et describendis multum temporis et plus aeris impendere coacti fuimus. In eodem codice exstat praeterea Buceri cum Tilleto commercium epistolicum de rebus fidei.

D. *Fonds français* 3193, olim 8702 *Béthune*, sub titulo *Mémoires du règne de Charles IX.* Insunt fol. 76 seq. duae epistolae Calvini ad Admiralem de Coligny, a Bonneto editae, autographae.

E. *Fonds latin* 8585 sub titulo: *Gallorum praestantium epistolae*, habet inter alias unam Calvini ad Abbatem quendam, olim iam a Beza editam. Legitur in codice fol 76.

F. *Fonds latin* 8586 sub titulo: *Recueil de lettres écrites à MM. Hotoman et par eux*, fol. 180 etiam unam Calvini, et ipsam in Hotmannianis supra laudatis editam.

§. VII.

CODICES GOTHANI.

In bibliotheca ducali Gothana servantur duo maximi voluminis codices qui satis amplam nobis messem epistolarum in horrea nostra referendam suppeditavere. Alter 807 foliorum in catalogo MSS. N. 404 insignitus, in toto 336 continet documenta, alter N. 405, foliorum 708 quadringenta triginta et duo. In quibus tamen plurima obveniunt, scilicet ultra quingenta et quadraginta, quae utpote a nostris aliena neglexImus. Sunt maxime Bezae et amicorum epistolae mutuae, post excessum demum Calvini scriptae, iisque saeculi illius vergentis historiarum scriptores multo cum fructu uti poterunt. Ipsius Calvini non nisi triginta septem hic exstant, sed paucis exceptis autographae; ad eundem a variis datae, itemque fere omnes propriis autorum manibus scriptae, circiter centum et sexaginta. Caeteras numero pauciores et tricenarium vix excedentes, quanquam Calvini nomen neque primo neque secundo loco prae se ferunt, tamen ut eius res et conamina illustrantes praeterire noluimus.

Ex his duobus codicibus primus superiore saeculo Chr. Sig. Liebe, nostris temporibus Car. Theoph. Bretschneider nonnulla quae ad Calvini maxime res pertinebant publici iuris fecerunt. De utriusque studiis supra satis dictum. Ex Cod. 404 nos ipsi iam alio loco legum civilium a Calvino conscriptarum fragmenta post Bretschneiderum edidimus, vide supra Vol. X. Part. I. pag. 126 seqq. Caeterum impressas omnes cum archetypis authenticis diligentissime collatas a nobis esse, non est quod pluribus moneamus.

Rarissime quae his codicibus continentur etiam alibi occurrunt. Duas schedas reperimus quoque in Bernensibus, et ex his a Simlero descriptas; duarum aliarum apographa exhibet Codex Genevensis 111 a., quatuor edidit Beza.

De codicibus ipsis in bibliothecam Gothanam saeculo superiore a V. Clar. Ern. Sal. Cypriano illatis adeas Liebii praefationem. Qui tamen eorum fata non omni ex parte illustrare valuit. Constat tamen virum nobilem Geo. Sigism. a Zastrisell Moravum Bezae octogenarii bibliothecam pretio soluto redemisse, cui hic illam epistolarum farraginem addidisse videtur. Mox inter belli tricenarii turbas dispersis aut deletis caeteris libris hae pretiosissimae reliquiae tandem sedem quietam invenerunt.

Studia nostra in his libris Gothanis excutiendis ponenda humanissime adiuvit vir praestantissimus bibliothecae ducali et archivis praefectus A. Beck, qui intercedente Carolo Schwarzio celeberrimo concionatore Gothano et ecclesiae praesule, eos anno 1865 Argentoratum missos in nostro ipsorum museo per otium retractari concessit, postquam iam aliquot annis antea Gothae, Pertschio V. D. ministrante acceptos, unus nostrum raptim perlegit eorumque titulos singulos in adversaria retulit. Quibus optimis laboris nostri fautoribus, sicut olim privatim, nunc publice debitas grates libentissime, etsi paulo tardius quam cupiebamus, persolvimus.

§. VIII.

CODICES ARGENTORATENSES.

In hac nostra urbe, quae plus semel Calvino hospite et per integrum triennium cive vel inter paucos eminente gloriari potuit, plurima commercii eius cum collegis et amicis epistolici vestigia in tabulariis publicis relegi debere facile sibi aliquis persuadebit. Quam tamen persuasionem, etsi non omnibus numeris vanam dixerimus, cave ultra quam verum est vagari sinas. In Archivis civitatis, ubi eas quaerebamus chartas quas inter Argentoratensem et Genevensem senatum, de Calvino huic restituendo ultro citroque missas sciebamus, omnino nullum exstat eius generis scriptum, adeoque ne minima quidem schedula cui Nostri nomen adhaereat. In Bibliotheca nunc deleta unus asservabatur codex epistolarum Ulstetterianus dictus a pristino collectore, ex quo una tantummodo pagina recipienda fuit.

Plura tamen et non spernenda suppeditabant Archiva capituli Thomani, cui et nos ipsi adscripti sumus Seminarii protestantium professores. Hic inter alia evolvenda erant novem formae maximae volumina epistolas variorum maxime ad Conradum Hubertum Buceri collegam datas continentia, et secundum ordinem alphabeticum quem dicunt dispositas. Inter quas et quatuor Calvini autographae sunt et nonnullae aliorum quae in censum nobis veniebant. His addenda erant tria volumina epistolarum Buceri ad diversos, plerumque ipsius manu scriptarum. Quae tamen potius adversaria, sive vernaculo sermone minutas dixeris, nempe raptim in chartam coniectas primas epistolarum formas, et per se difficillimas lectu, insuper etiam multis lituris foedatas et additamentis marginalibus oneratas. Spicilegium in hoc paulo incultiore agro faciendum sane maiorem messoribus creavit molestiam, non tamen operas debita mercede fraudavit. Denique ibidem in scriniis separatim et non colligata asservantur aliae quaedam epistolae a nostris castris non alienae, et ea ipsa documenta quae frustra in Archivis civicis quaesieramus, ita ut, quum plura iure exspectare potuisses, tamen de nimia patrum nostrorum negligentia queri non debeas.

§. IX.

RELIQUA PASSIM OBVIA.

Paucis reliqua absolvemus. In bibliotheca civica Rehdigeriana Vratislaviensi in variis codicibus, maxime in eo qui signatur III. B. partim descripsimus, partim contulimus cum impressis, quindecim epistolas variorum ad Calvinum et unam Calvini ad Vermilium. Neque hic praeterire debemus tabularii illius praefectum V. D. Pfeifferum, et Clar. I. F. A. Gillet, quem supra laudavimus vitae Cratonis scriptorem, qui duumviri iam antequam appelleremus studiis nostris opitulati id egerunt ut hoc laboris nostri pensum nullo negotio expedire possemus. Hic maxime, quamvis absens ab urbe, tam accurate nobis ubi singula exstant quae nostra nosse referebat, scilicet ab ipso diligenter olim excussa et tractata, indice scripto indicavit, ut eius potius quam nostrum in hac parte impensa fuerit opera.

In bibliotheca civica Bremensi vir humanissimus I. G. Kohl, peregrinationibus per totum fere orbem confectis et iucunde simul et docte enarratis clarus, satis spectabilem seriem voluminum nobis exhibuit, quibus epistolae variorum illius aetatis scriptorum continentur. Verum sedulo omnibus evolutis unam tantum schedam, eamque satis dubiam, reperimus inter calvinianas reponendam. (Opp. T. X. p. I. pag. 156.)

Unam quoque epistolam Calvini Hamburgi, unam item Erlangae in bibliothecis publicis asservatas nostras fecimus, ministrantibus illic Isslero, hic Did. Kerlero VV. DD. Duas ex Monachio mittendas, unam aut alteram ex Francofordia adhuc exspectamus. Quae museum britannicum Londini paucissima suppeditabat, clarissimus et amicissimus Ern. Henke, professor Marburgensis in itinere excepta

nobiscum communicavit. Cantabrigiae nonnulla huc pertinentia exstare ex Anglorum libris editis didicimus, in quibus tamen subsistere nolentes novam investigationem et si opus fuerit collationem faciendam curabimus.

Denique etiam in Polonia et Lithuania quasdam fortasse Nostri epistolas delitescere suspicati, viros doctos academiae Petropolitanae per clar. amicum, Carolum Frommann, ecclesiae Lutheranae in imperio russico summum episcopum adiimus, sperantes fore ut hac via certiora edoceamur. Verum haec percontatio irrita fuit neque sciscitantibus quidquam vel lucis vel incitamenti allatum est.

§. X.
DESIDERATA.

Iam tu ne credas, benevole Lector, tanta in evolvendis innumeris codicibus et conquirendis undique documentis adhibita diligentia id effectum esse, ut tibi Calviniana omnia quae hodieque supersunt in hoc nostro thesauro coacervata offerre possimus, neque fieri posse ut posthac aliquis felix repertor eundem supplementis augeat, nostram vero, si qua fuerit, laudem gloriosus minuat. Tantum abest ut huic vanae fiduciae indulgeamus, ut potius ultro et libere confiteamur, eiusmodi auctaria exspectanda esse, non quidem multas pro sua quodque parte in medium prolatura reliquias, sed raras aliquas schedulas, quasi rorationem guttatim ex suis fontibus delapsam, exhibitura.

Sunt enim non pauca nobilium familiarum chartularia in quibus scripta illius aetatis reperiri posse vero haud absimile videtur, quibus tamen pervestigandis et recensendis non ea hucusque dicata est cura, ut quid in quoque loco aut quaerendum aut publicae utilitati commodandum sit vulgo cognoscatur. Sic, ut hoc uno exemplo utamur, Iulius Bonnet, saepius a nobis et laudatus et laudandus, ex bibliotheca Tronchiniana in vico Lavigny prope Genevam, ad quam aditus nobis non patuit, nonnulla edidit gallica quae iam ab ipso mutuari debuimus, alia etiam, nisi fallimur, latina editurus erat. Sunt autem et alii multi per omnes terras, maxime vero in Britannia et Gallia, homines *βιβλιομανῶν* nomine haud immerito appellati, in specie autographorum collectores, qui si quae clarorum virorum chartae subinde venales prostant, quod etiam in calvinianis plus semel nostra memoria accidisse constat, multo aere redemptas in sua scrinia referant ibique sepultas iacere sinant, ita ut nemo mortalium, cuius inspicere eas interesset, ne exsistere quidem resciscat, eaeque non nisi casu fortuito et post longa temporum intervalla e carceribus suis emittantur. Talia iam maiores nostri experti, quantum in ipsis erat operam dabant ne situ perirent quae passim detegebantur. Nostram vero aetatem, in rerum gestarum monumentis sedulo relegendis tam laudabili industria uti solitam, minime vituperandam dixeris, si indigne tulerit quod quae doctiores avide ambiunt ab indoctis invidiose abscondantur, vel etiam invidiosius petentibus denegentur. Atque ne iniquius quam par est de hoc genere queri videamur, quid nobis ipsis contigerit accipe. Quum primum Gallis publice consilium nostrum de edendis Calvini operibus nunciatum fuerit, literae ad nos perlatae sunt inter multas alias etiam Henrici Sarrau cuiusdam Burdigalensis, qui se epistolas antiquas circiter viginti autographas possidere significavit, quarum catalogus quindecim ad Calvinum datas, et has quidem omnes alibi non exstantes promittebat. Nos tam bonam fortunam ne ignavia dimitteremus, statim rescripsimus rogantes ut nobis inspiciendas et describendas ad aliquot dies concederet. Quem tamen nos stuporem perculisse putas accepto responso: neque foras traditum iri, neque ipso praesente amanuensi tractandas, sed emi posse sexies mille libris gallicis! Pro quibus mox recusantibus novum pretium fecit trium millium, insigni usus indulgentia. Verum et hanc pactionem fortunatioribus cedere coacti honestissimo viro nihil amplius respondimus, satis habentes titulos eius suis locis recensuisse, in perpetuam rei memoriam.

MDXXVIII.

1.

BUCERUS FARELLO.

Noviodunensis iuvenis ob persequutionem Aurelia profugus Argentorati linguarum studii causa moratur. Bucerus de suo in Ioannem commentario Farelli iudicium audire cupit. Lutherus grande volumen contra Zwinglianos edidit. In Germania bellum paratur. Varia de amicis.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. Fascic. epp. divers. N. 4. — Buceri manus alioquin lectu difficillima, hic passim vix dignoscenda, quum atramentum prae madore fere evanuerit. Textum restauramus pro virili, literis cursivis exprimentes quae oculis se subduxerunt sed ex singulis quibusdam lineis aut literis coniectura restitui posse videbantur. Hermj. II. 131.)

G. Farello Christi praeconi ferventissimo.

Gratia et pax. *Simon* morbum uxoris *hactenus* caussatus est, et certe gravius illa *decumbit quam* ut ille deserere eam potuerit. D . . . .[1]) revaluit, tentabit si vectur*is queat* . . . .[2]) Habeo hic Noviodunensem iuvenem,[3]) qui oborta persequutione Aureliae, ubi literis operam dabat, huc migravit. Is Aureliae esse narrat qui idoneus esset. De eo scribemus *Peregrino*.[4]) *Tosanus*[5]) Parisiis agit et de eo *Peregrino* nunc agenti in sancto Germano en Laye[6]) scribemus. Caeterum scito hic nihil esse Gallorum. Noviodunensis linguas statuit discere, quarum adhuc praesertim graecae et ebraicae prorsus rudis[7]) est. Iohannem meum[8]) tibi puto allatum in quo de baptismo disputavi. Quaeso, lecta ea disputatione rescribas tuam sententiam. Ut etiam *prologum*[9]) *ubi* tractatum mysterium הָשְׁלוֹשָׁה[10]) ab initio. *Valla mallet* qualitates dicere quam personas, ego *dum recte perpendo* personarum *vocabulum aptum* agnosco, quia *eodem*[11]) *alia et* alia persona describitur. Disputationem *item de figuratis*[12]) et typicis expositionibus legas et iudicium tuum de ea scribas. *Lutherus* iterum furiit. Librum 30 quaternionum in nos scripsit in quo omnia *Zwinglii* et ip*sum* anathematisavit. *Oecolampadium* tardum, stultum et indoctum, actumque a Satana calumniatus esse satis habet. Nisi quod indicibilibus sannis hominem iactat. Mei per periphrasin (*meyne*[13]) *Schwermerlin*), non proprio nomine meminit. Non autem libris solum pugnatur, sed et armis. Exercitus testis, nomine Caesaris conscriptus Italiam petit. Interea Hessi nomine alius et maior . . .[14]) timetur ingens rerum permutatio. Vulgus sperat sacrificis malum intentari. Ideo turmatim Hessi castra petunt. Ego, si pugnare velit pro evangelio, male spero: sin aliquid est quo ex officio boni principis ad arma vocetur, melius spero. Patientia scis propagari evangelion, et legitimis populorum principibus ad Dominum conversis, non armis subactis aut ditione pulsis. Sed Dominus viderit cuius haec referant. *Capito* abest Offenburgi ubi de concordia agitur cum Canonicis exsulibus. Si redierit antequam D. *Chunradus* . . . .[15]) abierit, tibi et ipse scribet. Commode tamen ille valet et gravida uxor est. Bene vale. Calendis Maii. Argent.[16])

1\. 1) Nunc quando iamdudum *Hj.*
2) vecturam queat tolerare *Hj.*
3) *Vide in fine.*
4) *Fabro Stapulensi ψευδωνύμῳ.*
5) *Petrus Toussaint.*
6) in s. G. en Laye *ab alia manu insertum.*
7) prorsus rudis. *Haec verba deleta sunt, et alia manus adscripsit:* in quibus nondum plane eruditus est.
8) *Buceri Commentarius in Ev. Ioannis prodiit mense Aprili* 1528.
9) prolusionem *Hj.*
10) *sic!*
11) idem *Hj.*
12) figuris *Hj.*
13) meque *Hj.*
14) conctus dicitur *Hj.*
15) Ioham *Hj.*
16) *Annum facillime definimus* 1528 *ex historia Buceri repetitis argumentis, cf. Baum, Butzer p.* 402 *seqq. Caeterum hanc epistolam, quam tu fortasse hic prodire miraberis, ideo transscribimus, quod in ea iuvenis cuiusdam Noviodunensis mentio fit Argentorati studiis incumbentis, quem nonnulli nostrum Calvinum fuisse suspicati sunt, quamvis neque de persequutione a.* 1528 *Aureliae oborta neque de itinere eius in Germaniam suscepto ante studia in Gallia absoluta alibi quidquam memoriae proditum sit. Vide tamen infra* N. 16 *et omnino Kampschulte, Calvin I.* 231 *et Herminjard, l. l. et II* 451. *Quorum prior de Calvino hic cogitat, posterior potius de Olivetano aut alio quopiam.*

MDXXX.

2.

CALVINUS DANIELI.

Gratias agit amico de variis officiis sibi praestitis, quae singula ita attinguntur ut quid rei sit nunc difficillime effeceris. Vinum Melliani emendum, ut videtur, procurat. Viatoriam vestem sibi commodatam remittit. Odysseam Suqueto pridem traditam reddi cupit.

(Ex collectione Petri Danielis in Bibl. Bernensi civica Cod. misc. 450. N. 8. Exstat praeterea Genevae in Bibl. Cod. 106, fol. 1 et Cod. 111, fol. 1 verso; item in Archiv. Bern. Epp. VII. p. 190. Edita est ab Herminjardo II, 278 et anglice apud Bonnet-Constable T. I. p. 5.)

Io. Calvinus Francisco Danieli Aurelio S. D. [1]

Quod in rebus nostris procurandis nihil diligentiae reliquum fecisti, debeo gratiam. Cuius referendae occasionem non perdam si quando se nobis dederit. Fiet enim, opinor, ut saltem simile genus officii possim rependere. Neque sic tamen expungetur nomen meum ex tuo calendario: adeo vix est ulla pagina quae me non profiteatur debitorem. Verum si tanti me aestimas, tibi me ipsum pretium facio, ea etiam lege [2]) ut si quid meum est sequatur suum possessorem. Quod superest, scias impudentiae nostrae apertam esse fenestram, dum promptam atque expeditam operam praestitisti, ne posthac simus verecundi petitores. Neque respiciendum, solvendo sim nec ne. Non enim foeneraris beneficia, sed gratuita largiris. Interim tamen penum vino instruendam curabo, si ex commoditate nostra videro futurum, ne quid temere praecipitatum iri videaris. [3]) Forte videar oblique pecuniam exigere: sed nae tu oblique mordax et parum benignus interpres, nisi ut soles lepide iocaris. Virum praestitisti qui te sic constanter gesseris erga supinum illum Maecenatem. [4]) Nunc quoniam non potest mores suos nobis accommodare, sit assentator suus, et pleno seu verius turgido pectore foveat ambitionem. Invideo tibi *Fusium* astrologum. [5]) Viatoriam tuam, [6]) quam ex Lampridio possum itinerariam appellare, et graece ὁδοιπορικήν, tibi remitto. Non addo gratiarum actionem, quia verbis non possum exaequare meritum. Salutabis meo nomine *Melchiorem*, [7]) si nondum discessit, [8]) *Sucque-*

---

2. 1) *Hanc inscriptionem P. Daniel de suo addidisse fatetur, a quo caeteri omnes eam mutuati sunt. — Franciscus Daniel, istius Petri pater, Aurelianensis, Calvini iuridicis studiis operam navantis apud Bituriges atque ut videtur iam in ipsa urbe patria commilito et amicus. Quidquid sit, Andr. Alciatus clarissimus Ictus cuius fama et doctrina utrumque iuvenem alliciebat anno demum* 1529. *Bituriges adiit. Quod Histor. eccl. quae sub Bezae nomine circumfertur T. I. p.* 9 *de Daniele reformatae religioni iam tum addicto dicit, deque Calvino Aureliae purius evangelium praedicante, id cave nimis confidenter accipias.*

2) with the usual legal proviso. *B. C.*

3) *sic! H. legendum proponit:* videatur.

4) Mecoenatem *Codd.*

5) Fusium astrologum *historici nullum laudant. Adami et Niceron habent quendam Leonardum Fuchsium medicum Tubingensem. Herminj. suggerit Laur. Frisium medicum Batavum, apud Metenses degentem, cuius exstitisse dicitur* Tractatus de potestate planetarum. 1528. *Cf. Ioecher.*

6) *In margine legitur:* In Alex. Severo c. 27 paenulis, inquit [*Lampridius*] intra urbem frigoris causa ut senes uterentur permisit, quum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluviae fuisset. Plut. in Arato [21]: *ὁ δὲ Ἐργῖνος ἑπτὰ λαβὼν νεανίσκους ἐσταλμένους ὁδοιπορικῶς*, h. e. viatoria indutos, quo vocabulo utitur Budaeus in quadam epistola. Viatoriam vero vestem hodoeporicam appellat Herodian. lib. 5 [*c.* 8] ubi de Macrini fuga: *ἐσθῆτα ὁδοιπορικὴν λαβών*. Galli appellant robbe courte. — *Ecce genuinam Calvini eruditionem philologicam, cuius fragmentum tantum transscripsit Hmj., Bonnetus vero ne legisse quidem videtur, in cuius editione anglica* viatoria *vertitur:* your road-book.

7) Melchior *Volmar Erythropolitanus (ex oppido Rottweil) postquam inde ab anno* 1521 *Lutetiae liberalibus artibus incubuerat, Aureliae primum, deinde apud Bituriges quo eum a.* 1530 *vergente vocavit Regina Navarrae, literas graecas professus est, eoque magistro usus est Noster, mox et amico.* (*Hist. eccl. I. p.* 10. *Baum, Beza I. p.* 11) *Anno* 1535 *persequutionem fugiens patriam repetiit et Tubingae multos per annos academico munere functus est.*

8) *Epistola ergo eo ipso tempore scripta videri posset, quo*

tum[9]) et *Pigneum*,[10]) nostrum *Curterium*.[11]). Odysseam Homeri quam *Succueto* commodaveram finges a me desiderari, et receptam penes te habebis, nisi tamen *Roussartus*, qui solet tibi meas literas reddere, praeoccupaverit, cui negotium dederam. Vale, amice incomparabilis. Melliani[12]) idus Septembris.[13])

Volmarius Aurelia ad Bituriges migraturus erat, et Daniel ipse adhuc Aureliae fuisse, sed vide not. seq.

9) *Carolus Sucquet, Ictus ex Flandria, cuius in Erasmi Epp. mentio fit, a.* 1529—1530 *Alciati auditor fuit, ut ex iisdem patet. Quem quum C. iam diutius nosset, epistolam hanc ad a.* 1530 *pertinere et Bituriges missam fuisse efficimus.*

10) *Ant. du Pinet, ex oppido Baume les Dames in Burgundia superiore.* (Hmj.)

11) *Vir ignotus. Hmj. nomen proprium esse negat, in quo errasse nobis videtur. Alioqui vocabulum esset a iuvenibus Biturigensibus effictum, nam Du Cange id non habet. Etiam Roussartum ignoramus, quem Bonnetus Ronsardum appellat, nescio quo iure.*

12) *Meillan. vicus prope Saint-Amand (Cher), decem leucis gallicis a Biturigibus situs. Falsissime Bonnet* Meaux *scribit, quam urbem latine Meldos vocabant. Atque in hoc Meaux, Merle d'Aubigné, fabulosus scriptor, Calvinum sibi fingit concessisse ut Briçonnetum episcopum ad verum evangelium converteret, scilicet quia supra de* penu vino instruenda, *imo de* fenestra aperta *scripserat!*

13) *Id est decimo tertio mensis, non sexto ut Anglus habet. Petr. Daniel adscripserat* 1529, *sed patet* 1530 *reponendum.*

MDXXXI.

3.

CALVINUS CONNANO.

Nic. Cheminus a. 1529 Apologiam conscripserat pro Petro Stella prof. iuris Aurelianensi contra Aurel. Albucium quendam Andr. Alciati Icti Mediolanensis prof. iuris ap. Bituriges armigerum, quod tamen opusculum non nisi a. 1531 Parisiis prelo subiectum est. Praefationem scripsit Calvinus Francisco Connano (de Connan) dicatam, Icto coaetaneo et in studiis iuridicis in utraque academia commilitoni, quocum etiam diu commercio epistolico usus fuerat, cuius tamen nulla hodie supersunt vestigia. Plura dat Herminjardus T. II. p. 315 seq.

(Textum epistolae praebet ipse Chemini libellus Parisiis ap. Ger. Morrhium editus 1531 forma quaternaria; ex quo eum descripsit Herminjardus l. l. Nos inter praefationes retulimus supra T. IX. p. 785. Cf. Prolegg. p. LXXII. Incipit ab his verbis: *Ecce tandem exit* . . . et signata est pridie Non. Martias, absque nota anni de quo tamen dubium moveri nequit.)

4.

CALVINUS CHEMINO.

Silentium contra morem diutius protractum et absentiam excusat morbo patris iam in extremo discrimine versantis.

(Ad exemplar manu Danielis scriptum Bibl. Bern. Cod. miscell. 450, fol. 115. Unde fluxerunt apographa caetera: Arch. Bern. Epp. VII. p. 185. Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 1. Cod. 111, fol. 1 et edd. Sinneri T. III. p. 229 et Herminjard T. II. p. 331. — Fragmentum exstat in Henry V. C. Tom. I. p. 86. Versio anglica ap. Constable T. I. p. 1.)

Io. Calvinus Nicolao Chemino S. D. [1])

Ut res rationesque nostrae [2]) habuerint nondum tibi compertum esse arbitror. Quo nomine suspectam esse tibi fidem meam, vel illud argumento est quod hactenus nosti hominem in literis missitandis plus satis officiosum ne dicam importunum. Neque sic tamen [3]) illa periclitatur ut purgationis locum non habeat. Sic enim mecum reputo non potuisse labefactari uno temporis articulo omnem exstimationem quam de me longa consuetudine diuturnoque usu conceperas. Et tu ea natus es dexteritate quae nihil impotenter praeiudicare [4]) soleat. Quae res mihi fiduciam iniicit, posse recolligi gratiam si quae [5]) effusa fuerit. Tu nunc quae ad causam pertinent paucis accipe. Quod tibi promiseram discedens, me brevi adfuturum, [6]) ea me exspectatio diutius suspensum habuit. Nam dum reditum ad vos meditor, patris morbus attulit causam remorae: sed quum medici spem facerent posse redire in prosperam valetudinem, nihil aliud visum est quam tui desiderium, quod me antea graviter affecerat, aliquot dierum intervallo acui. Interim dies de die trahitur, donec eo ventum est ut nulla spes vitae sit reliqua, certum mortis periculum. Utcunque res ceciderit ad vos revisam. [7]) Saluta Franciscum *Danielem*, *Philippum*, [8]) et totum

---

4. 1) *De Nic. Du Chemin Aurelianensi Icto vide ep. praecedentem et Prolegg. t. V. p. 39. Il tenoit escoliers en pension, teste Hist. eccl. I. p. 9, inter alios Hangestum illum cui C. postea librum suum de Senecae Clementia dicavit, fortasse et ipsum Calvinum. Nostro maior fuisse videtur.*

2) meae *G.*

3) tum *S.*

4) periudicare *G.*

5) *sic.*

6) *scil. a Biturigibus Noviodunum petiturum.*

7) *Sic legitur in omnibus apographis. Daniel ipse superscripsit:* revertar. *Fortasse simpliciter* ad *delevisse sufficeret.*

8) Philippus Lauraeus, bibliopola Aurelianensis. *Da-*

domus tuae contubernium. Iam dedisti nomen inter rei literariae professores:[9]) vide ne posthac desidem te faciat tuus pudor. Vale, mi *Chemine*, amice mi mea vita carior. Novioduni prid. idus Maias.[10])

5.

CALVINUS DANIELI.

Non multum post adventum in Urbem Danieli de eius sorore scribit mox inter moniales recipienda et voti nuncupandi diem cupidius exspectante, quacum de re tam seria in ipsa conventuali domo contulerat. Tum de hospitio deligendo nonnulla addit, quod quidem iam ab amicis oblatum fuerat sed minus commodum, utpote longius a Danesii schola dissitum, cui potissimum operam dare ipse decreverat.

(Ex apographo Petri Danielis in bibl. Bern. civica Cod. misc. 450, fol. 116. Exstant alia ibid. in Archivis Epp. VII. p. 186 et in bibl. Genev. Cod. 106, fol. 2 et 111, fol. 1. Ediderunt Sinner. III. 231. Herminjard II. 346 et anglice Bonnet-Constable I. p. 3.)

Io. Calvinus Francisco Danieli S. D.[1])

Postridie quam huc appulimus lassus de itinere pedem extrahere domo non potui. Proximos quatuor dies, quum me aegre adhuc sustinerem, totos fere consumpsi salutandis amicis. Die dominico contuli me ad monasterium cum *Coppo*,[2]) qui se mihi comitem dederat, ut secundum vestram sententiam diem constituerem cum monialibus, quo soror tua voti se damnaret. Responsum est mihi eam cum aliquot aequalibus obtinuisse ex solenni more a sororum collegio voti nuncupandi potestatem. In iis est filia nummularii cuiusdam Aureliani qui magister artis est fratri tuo. Interim dum ille verba ea de re faciebat cum abatissa, tentavi sororis tuae animum, num iugum illud molliter exciperet nunc,[3]) fracta potius quam inflexa cervice. Hortatus sum etiam atque etiam ut libere apud me deponeret quidquid secum agitaret. Nihil unquam vidi promptius aut paratius, ut cuius desiderio nihil satis subitum dari possit. Diceres eam ludere cum pupis quoties audit voti nomen. Nolui eam deducere a sententia, quia non eius rei ergo venissem, sed paucis admonui ne suis se viribus efferret, ne quid sibi de se temere promitteret,[4]) sed omnia reponeret in Dei virtute, in quo sumus et vivimus. Inter haec colloquia abatissa locum mihi dedit sui conveniendi. Quum urgerem ut diem praescriberet, permisit mihi delectum, verum adiecta conditione ut *Pylades*[5]) adesset, quem habebitis Aureliae intra octo dies. Ita, quum certius transigi non posset, detulimus arbitrium *Pyladi*. Vos nunc ut videbitur commodum eo[6]) agite, quoniam vobis hic usui esse non possum. De rebus meis sic habe: mihi adhuc non esse statum hospitium, quum tamen et multa ad manum essent si voluissem conducere, et ab amicis deferentur[7]) si voluissem uti eorum beneficio. *Coiffartii* nostri pater eo mihi vultu domum suam obtulit, ut diceres nihil magis appetere quam me adiungi filio. *Coiffartius* etiam ipse multis precibus iisque non frigidis saepe institit ut me haberet contubernalem. Nihil unquam magis obviis[8]) ulnis amplexus sum quam hanc amici voluntatem. Cuius consuetudo quantum placeat et proficiat, testis esse potes. Et statim manum dedissem nisi animus esset hoc anno *Danesio*[9]) operam dare cuius

---

niel in margine. Quem Herminjardus Du Laurier *nominat. Bonnet:* Ph. Laurent, librarian of the library at Orleans (?)

9) *Alludit ad diatriben Chemini recens editam cuius praefationem a Calvino scriptam habuisti Tom. IX. p. 785. Perperam versionis anglicae autor haec sic intellexit ut Calvinum introducat quaerentem, num Cheminus iam locum inter professores literarum sibi vindicarit?*

10) *Daniel adscripsit annum* 1528, *quem tamen in codice Genev.* 106 *recentior manus cancellavit. Recentiores eundem plerumque receperunt, verum Herminjardus bene monuit Cheminum, quo tempore scripta est haec epistola, iam diutius Calvini familiaritate usum fuisse; et Nostrum, in dedicatione ep. secundae ad Corinthios Wolmario inscripta, se morte patris a studio literarum graecarum, quibus apud Bituriges operam navabat, revocatum fuisse, quod anno* 1528 *minime fieri potuit, quum demum sequenti eo se contulerit. Cf. etiam not. praeced. — Cod. Genev.* 111 *habet:* pridie nonas, *et Henry:* 6. maii. *Caeterum de anno ambigi potest. Nos quidem hanc ep. ad a.* 1531 *retulimus, doctissimum Herminjardum sequuti, Calvini patrem hoc ipso mense Maio mortuum sistentem, alioquin in a.* 1530 *facile subsistere aliquis posset.*

5. 1) *Additum a Petro Daniele.*

2) *Guilielmi Copi Basileensis medici Regis quatuor fuere filii Lucas, Ioannes canonicus Cleriacensis, Nicolaus medicus et a.* 1533 *rector universitatis (de quo vide T. IX. p.* 873 *et Prolegg. p.* 73), *denique Michael qui postea fuit V. D. M. Genevae. Hic de Nicolao loqui videtur. Qui doctrina pollens et gratia aulica, factus est prof. philosophiae in Collegio S. Barbarae. Soror Regis Margarita eum tanti fecit ut libellum suum:* le miroir de l'ame pecheresse, *eius censurae subiectum absque eius approbatione in publicum prodire noluerit. (Athenae Raur. App. p.* 30.)

3) *sic codd. H. emendavit* num, *sine necessitate. Antea iam S. sic legerat.*

4) permitteret *S.*

5) *Bonnet pseudonymum suspicatur, contradicente Herm. Nos rem in medio relinquendam censemus.*

6) *Cod.* 111: cum eo, *quod* 106 *in margine probat.*

7) offerrentur 111.

8) *Sic Cod. Bern. in margine. In textu habet:* ab iis, *assentiente* Gen. 106 ambabus 111. *Sinnerus* ab iis *retinet,* ulnis *omittit spatio vacuo relicto.*

9) *Petrus Danesius inde ab a.* 1530 *prof. litt. graecarum*

schola a *Coiffartii* domo longo intervallo dissita est. Salutant te omnes amici qui hic sunt, praesertim *Coiffartius* et *Viermaeus* [10]) cum quo equum ascendo. Saluta matrem, uxorem, sororem *Franciscam*. Vale. Habeo literas inchoatas ad canonicum, [11]) quas statim a reditu absolvam, et si quid est in mora dispendii sarciam. Parisiis 5 Calend. Iulias. [12])

6.

DANIEL CALVINO.

Excusat diuturnum silentium, tum familiae curam, tum absentiam praetexens. Invitat Calvinum ut se episcopo suo commendet per amicos a quo ecclesiastica aliqua dignitate ornetur.

(Ex apographo Petri Danielis. Bibl. Bern. Cod. 450, fol. 127 verso. — Herminjard II. 383.)

Franciscus Daniel Io. Calvino S.

Si quod tibi decedens pollicitus sum tardiuscule quam par sit exsequor, forsitan negligentiae vel ingratitudinis suspectus tibi sum, veluti immemor tui nostraeque mutuae illius et veteris amicitiae desertor. Verum suspicione hac facile me liberatum iri spero, si me paucis audieris. Eorum quae tibi coram dixi memineris. Nunc totus tibi sum. Siquidem a duodecim diebus aut circiter apud matrem habito, familiae curam gerens, ubi ex statu libero iamiam liber factus sum. De rebus nostris quid ad te scribam nihil certe habeo. Scis nos episcopum nationis tuae habere, cuius adventum quotidie exspectamus. [1]) Vellem tuorum amicorum opera te illi ita commendatum esse, ut officialis dignitate aut aliqua alia te ornaret. Ego vacationibus peregre cum socero sum profectus, ubi iudicandae uniuscuiusque rei auspicia habet. Statim post reditum accepi a canonico te Chalioteum [2]) esse. Nihilo secius tamen ad te scripsissem, sed non erat Parisiis cui literas ad te darem. Tu velim quid agas, quo modo valeas, ubi sis, ad nos quam primum mittas: neque committam posthac ut me accusare de epistolarum negligentia possis, dummodo in tanto otio [3]) par mihi esse velis. Vale. Aureliae 6. Calend. Ianuar. 1531. [4])

7.

DANIEL CHEMINO.

Rogat ut Calvinum salutet, cuius ad ipsum Cheminum datam epistolam post huius discessum ab Aurelia allatam interea reserarit, eaque perlecta instantem communis amici adventum magno cum gaudio se didicisse testatur.

(Ex apographo Petri Danielis. Bibl. Bern. Cod. 450, fol. 127 verso.)

Franciscus Daniel Nicolao Chemino S. [1])

Quum me prope incredibili quadam humanitate tua, maximisque beneficiis veluti sarcina graviore obrueris, nullumque adhuc meum in te officium exstaret, gaudebam impendio vel tandem obiectam mihi qualemcunque opportunitatem, qua possem, si non referre, certe propensam promptamque animi voluntatem quali officiolo meo declarare. Nunc autem quia aliter successit gaudeo. Fortasse enim molestam sarcinam tuis humeris excussisti. Restat ne quid agas, aut *Stellae* quod in rem tuam non sit promittas. [2]) Videre enim mihi videor, quam animus tuus praestigiis quibusdam aucupetur. Quare tibi consulo. Id tametsi pro tua prudentia latere te non possit, operae pretium tamen duxi, pro ami-

---

in Collegio regio, antea Io. Lascaris et Guil. Budaei discipulus. Factus est postea episcopus Vauriensis et evangelicorum persequutor (Hist. eccl. I. p. 3, 47, 852.)

10) *De neutro habemus quid dicamus.*

11) *Vide supra Not.* 2.

12) *Petr. Daniel adscripsit* 1529, *in quo evidenter erravit. Nam aestate eius anni, vel etiam paulo serius ad continuanda studia iuridica Bituriges se contulit Calvinus. Patre mortuo illis studiis valedixit, et Parisios petiit, animo ad alia converso.*

6. 1) *Quid hoc sibi velit, non facile assequaris. Anno* 1531 *novus episcopus Aurelianensis nullus creatus est, multo minus Picardus aliquis. Aut in anni nota latet error, aut Herminjardi coniecturam amplectaris necesse est, qui de Hangestio Noviodunensi cogitat, tunc recens promoto, sed adhuc in itinere versante et fortasse Aureliam transeunte.*

2) *Fortasse Calvinus Parisiis in suburbio Chaillot degebat.*

3) *Scilicet, quae Herminjardi sententia est, lectionibus publicis ob pestem Lutetiae grassantem tum temporis interruptis.*

4) *I. e.* 27. *Decembris* 1531, *non* 1530, *quum eo tempore Galli annum civilem d.* 25. *Martii auspicarentur.*

7. 1) *Lutetiae versanti ut ex sequentibus patet.*

2) *Petrus Stella Ictus Aurelianensis a.* 1532 *ineunte Parisios concessit sellam curulem in parlamento occupaturus. Caeterum quid h. l. autor sibi velit, nos quidem perspectum non habemus.*

citiae nostrae necessitudine te paucis admonere, ne te auferant aliorum consilia. Sed quid ago? Nemo certe est qui tibi sapientius suadere possit te ipso, nunquam labere,[3]) si te audies. Interim apud *Calvinum* epistolae vice fungeris, illique nos commendatiores facias, rogo, ac persuadeas, me illum non minus flagranter amare quam quum et ille me fraterna quadam pietate complecteretur et ego illum supra modum tum mirarer tum amarem. Illius ad te literas audacter nimis referam,[4]) quibus perlectis, dii boni, quam iucunda fuit audax illa resignatio, quia illum brevi hic adfuturum cognoverim. Vale. Aureliae, 3. Calend. Ianuar. 1531.[5])

3) *Sic librarius.*

4) *Herm. bene emendavit:* reseravi *T. II. p.* 385 *not. Cheminus Lutetiam pervenit, quum Calvinus eum adhuc Aureliae commorari crederet.*

5) *I. e.* 30. Decembris 1531, *vide epistolam praecedentem. Mirum tamen videtur quod scriptor Chemino dicit, eum apud Calvinum epistolae vice fungi debere quum triduo antea ad hunc ipse literas dederit.*

MDXXXII.

8.

CALVINUS DANIELI.

Roberti fratris literis cur non responderit exponit. Alterum fratrem frustra Parisiis retinere quaesierat, qui subito insalutatis omnibus urbe excessit in Italiam profecturus. Literas sorori Mariae tradendas mittit.

(Ex apographo Petri Danielis in Bibl. Bern. Cod. 450, fol. 116 verso coll. c. Codd. Genev. 106, fol. 2 et 111 fol. 1 verso. Archiv. Bern. Epp. VII. 193. — Edita a Sinnero III. 233. Herminjard. II. 397 et anglice ap. Bonnet-Constable I. p. 6.)

Io. Calvinus Fr. Danieli S. D. [1])

Literis *Roberti* fratris [2]) non potui maturius respondere quia, quum mihi circiter medium Novembrem redditae fuissent, mox suscipienda nobis fuit quindecim dierum profectio. Quominus autem citius ad nos pervenerint obstitit nuncii morbus qui duodecim circiter diebus periculoso morbo Lugduni decubuerat. Interim praeterierant nundinae,[3]) quibus elapsis non habebam quo literas destinarem. De fratre [4]) sic habeto. Illum omnibus modis apud nos retinere conatus sum. Ut videbam illum temere nullaque satis iusta ratione istinc solvisse, mihi persuadendus videbatur ut se domum reciperet. Quodque mihi frustra tentari aliquoties dixerat, censebam indulgendum esse in praesens, donec calor ille aliquantulum resedisset. Id mihi aliqua ex parte iam receperat quum subito me nihil tale opinante sese in Italiam proripuit. Ipsum enim et eius comitem ad prandium exspectabam, quia id tempus deliberando institutum erat. Non adfuerunt. Quum toto die non comparerent, coepi suspicari nescio quid. Misi ad diversorium: eum iam demigrasse renunciatum est. Rediit domum sub horam quartam *Petrus ad Vincula* [5]) quem nosti, qui eos milliare unum deduxerat, aut paulo plus. Quare si quid praeter voluntatem tuam ac tuorum accidit, mihi non est imputandum, qui studio in hoc feci ne se longius vobis invitis subduceret. Vale, omnibus salutatis. Dominus vos omnes conservet, praesertim vestram familiam. *Ex Acropoli* [6]) 15. Calend. Februar. Literas meas sorori meae Mariae Paludanae [7]) reddendas curabis.

8. 1) *De inscriptione habeas ut in prioribus.*

2) *Danielis puta.*

3) *nundinas Lugdunenses censet innui Herm. quae mense Novembre celebrari solebant. Caeterum quae hic de itinere nuncii Lugduni decumbente dicuntur obscuriora sunt, quum unde profectus sit nesciamus.*

4) *alio scil. quam illo Roberto.*

5) *Nobis hic in memoriam venit Petrus ille* de Wingle, dit Pirot Picard, *postea celeberrimus typographus Neocomensis, saltem aliquis ex eius gente et familia.*

6) *Nomen loci proprio marte adiecit P. Daniel, in archetypo desideratum. Pro* Acropoli *Cod.* 111 *exhibet* Doxopolin. *Annum quoque idem designavit* 1530, *sane infelici coniectura. Cui tamen subscribit Bonnet* 15. *Cal. Febr. ad* 15. *Ianuar. referens, in utroque falsus. Epistolam Parisiis scriptam adeoque anno* 1532 *tribuendam cum Hermj. censemus. Vide maxime infra Ep.* 11.

7) *Quam Bonnetus Mariam* Du Marais, *Herminjardus* De la Palud *vocant, scil. mariti nomine qui Aureliae fuisse videtur.*

9.

CALVINUS CHEMINO.

Praesentes nummos propter fratris negligentiam non habens ab amico duos coronatos post paucos dies reddendos petit.

(Exstat manu Petri Danielis scripta Bernae in bibl. civica Cod. 141, N. 296. — Edidit Herminjard II. 392. — Neque inscriptio adest ulla. Sed de autore non dubitandum censemus.)

Invitus facio, mi *Nicolae*, ut hanc tibi molestiam afferam, quam vereor ne tibi imponam alieno tempore. Verum quum videar mihi me familiariter in sinum tuum posse explicare, me totum, pro ea quam de tua benevolentia concepi opinione, in te reiicio. Frater meus, [1]) cui scio expeditam esse pecuniam a meis debitoribus, negligentia qua solet exspectationem meam elusit. Nunc me urget necessitas quae nec diem nec horam ferre potest, cui si intercesseris, explicueris me animi angustia, quam nisi sentias credere non possis. Duo coronati mihi opus sunt, quos accepissem a *Copo*, nisi totus esset exhaustus coemundis cubiculi instrumentis. Alii tanto intervallo a nobis dissiti sunt, ut pro negotio quo premor nimium morae futurum sit eundo ac redeundo. Vale. [2])

Non erit lentum: nomen expungetur, ut spero, ad finem hebdomadae. [3])

10.

CALVINUS DANIELI.

Medicum ei Aureliam profecturum commendat, quem nuper ipse artis suae peritum expertus fuerat, quum gravi diarrhoea laboraret. De opere quod meditabatur tunc temporis obscurius loquitur.

(Ex apographo Petri Danielis Cod. Bern. 450, fol. 116 verso. Exstat quoque in Arch. Bern. Epp. VII. p. 198 et Genevae Cod. 106, fol. 2 verso et 111, fol. 2 verso. Ediderunt Sinner III. 235. Herminjard II. 393.)

Io. Calvinus Fr. Danieli S. D. [1])

Statueram hoc tam alieno tempore [2]) nihil ad te scribere, nisi hoc mihi argumentum nec opinanti oblatum esset. Nam dum discessum meditor, correptus sum gravi diarrhoea, ad quam cohibendam dum mihi adest hic vir rei medicae citra fucum peritus, narravit sibi in animo esse Aureliam migrare isthicque sedem deligere, ubi sperat arti suae fore locum. Putavi officii mei esse mea commendatione eum prosequi, ne prorsus novus hospes in urbe vestra foret. Namque pro nostra amicitia postulo illi manum des et qua in re poteris iuves. Nec ignoro quid sit commendare medicum: quem si indignum laudes, exseris gladium latroni ad publicam perniciem, quod ei viam instruas ad necem multorum, cui impune, ut ille ait, [3]) trucidare licet. De hoc vero confirmare tibi audeo, probe eruditum esse in sua disciplina, nec ita tam usus expertem ut prae imperitia facile labi possit, deinde non melioris esse doctrinae quam animi. Haec tibi et aliis de homine mea fide promitto: ac quantum in te erit age ut tuto se illi committere audeant, qui aliqui non austeri sunt [4]) cum vitae suae discrimine probare incognitum. Quid mediter [5]) habes iam a nostro *Francisco*, et ab hoc discere poteris. Saluta matrem, uxorem, sororem etc.

11.

DANIEL CALVINO.

Scriptor subitum suum discessum ex Lutetia excusat. Calvinum Aureliae exspectat.

(Cod. Bern. 450, fol. 127. — Edidit Herminjard II. 408.)

Franciscus [1]) Daniel Io. Calvino S.

Literas tuas ad Nicol. Cheminum [2]) perlegi quibus in limine de me conquereris quod te insalutato isthinc recesserim, paratoque mihi et condicto prandio non interfuerim. Doleo sane, et culpam agnoscerem, si discessum in alterum diem reiicere potuissem: quod nequaquam fieri potuisse ex meis ad

---

9. 1) *Carolus, qui Novioduni post patris mortem rem familiarem curabat.*

2) *In margine additur* Lutetiae. *Quae urbs iam tum temporis satis magna erat, ut amici inter se literis missis conversari possent, maxime si quid alter ab altero peteret quod coram nollet, aut de quo obtinendo diffideret.*

3) *Cheminus Lutetiae mansit initio anni* 1532 *(stil. nov.), urbem ante Martium relicturus. Quin enim Cheminus ille Nicolaus sit quem autor alloquitur, non est quod dubites. Cf. etiam Ep.* 11.

10. 1) *Inscriptio a Petro addita.*

2) *Cf. supra N.* 6 *not.* 3.

3) *Plin. H. N.* 29, 8.

4) *sic Codd. Margo Bernensis coniicit scribendum esse:* alioqui, *quod recepit Hj. deleto:* non. *Multo magis arridet quod praebet margo* Cod. G. 106: qui alioqui non ausuri sunt, *quod iam recepit* Cod. 111.

5) *Fortasse ad suum commentarium in Senecae Clementiam alludit, proxime edendum. Quod si receperis, epistolam initio anni* 1532, *scil. ante Aprilem scriptam noveris. Verum quisnam est hic Franciscus a quo ille alter discere poterit quae noster hic tacet? Num Petrus erravit Franciscum in titulo producens, an hic de Connano agitur?*

11. 1) *Si quid videmus epistola haec alludit ad eam quam supra sub N. 8 legisti. Saltem mentio fit prandii ad quod Calvinus Danielem aliquem invitaverat, qui insalutato hospite subito Lutetia excessit. Tum autem Petrus hic erravit qui patrem pro patruo in scenam producit. Verum haec meditanda tantum tibi proponimus. Nam in his antiquissimis epistolis omnia aenigmatibus plena, quorum solutionem Oedipo relinquimus.*

2) *Deperditas.*

Dunensem [3]) praesidem literis deprehendes. Utcunque sit, tamen adventum tuum exopto, quo te *Chemino* arbitro circumventum causificari possis. Vale. Io. *Copum* [4]) Cleriacensem canonicum salutabis, cui postremo noster etiam *Burdinaeus* salutem impertit. Aureliae. Nonis Martiis.

Fasciculum Bituriges perferendum dedi una cum meis ad *Brossaeum* et *Regium* literis quos omnes tuo nomine salutavi.

12.

CALVINUS HANGESTIO.

Praefationem dedicatoriam commentariorum in libros Senecae de Clementia, Claudio Hangestio abbati D. Eligii Noviodunensis inscriptam legisti Tom. V. pag. 5 seqq. Incipit: Si qui sunt hodie . . . *Diem natalem profitetur pridie nonas Apriles anni 1532. Recepit etiam Herminjardus in suum thesaurum II. 410, non tamen integram.*

13.

CALVINUS DANIELI.

Exierunt commentarii in l. Senecae de Clementia, verum magno pecuniae dispendio. Quam ut recuperaret, aliquot professores Parisienses et Bituriges excitasse se dicit qui publice in scholis praelegerent. Danielem, ut ei pro virili in hac re adsit rogat, et si fecerit exemplaria mittenda curaturum se promittit.

(Bibl. Bernensis Cod. MS. 450, fol. 117 verso, ex quo antiquissimo apographo fluxerunt quae exstant ibid. Cod. 141, N. 53. Archiv. Bernens. Epp. T. VII. p. 196. Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 2 verso et Cod. 111, fol. 2. Ediderunt Sinner l. l. p. 238. Herminjard T. II. p. 417 et anglice Bonnet T. I. p. 7.)

Io. Calvinus Francisco Danieli. [1])

Tandem iacta est alea. Exierunt commentarii mei in libros Senecae de Clementia, [2]) sed meis sumptibus. [3]) Qui plus pecuniae exhauserunt quam tibi persuaderi possit. Nunc omnem operam do ut aliquid colligatur. Aliquot professores excitavi in hac urbe qui praelegerent in scholis. [4]) Biturigibus amico persuasi ut suggestum conscenderet ad publicam professionem. Tu etiam mihi nonnihil commodare poteris, si non gravaberis. [5]) Hoc dabis veteri amicitiae nostrae, praesertim quum citra existimationis tuae dispendium hoc officium praestare nobis possis, quod publico etiam bono forte cessurum sit. Si statueris hoc me beneficio obstringere, mittam centum exemplaria aut quot tibi visum fuerit. Interim habe hoc tibi exemplar, quod dum accipis ne putes dictam a me tibi aliquam legem. Volo per me tibi omnia esse libera. Vale et cito rescribe. *Pignaeo* [6]) proxime scripsi sed non respondit. *Brossaeo* multo antea scripseram, ex quo tamen tempore vicem non reddidit. Is qui suum *Regio* exemplar reddet salutabit officiose. Parisiis 10 Cal. Maias. [7])

14.

CALVINUS DANIELI.

Quod ei Daniel de bibliis emendis mandaverat, effectum est. Quae secum ipse asportabit. Vicissim operam amici sibi praestandam efflagitat, in negotio de libro suo propriis sumptibus nuper edito cuius exemplaria diversis amicis et fautoribus tradenda mittit.

(Ex apographo Petri Danielis in Cod. Bern. 450, fol. 115 verso. Alia habes in Archiv. Bern. Epp. VII. 195, in Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 1 verso et 111, fol. 2. — Edidit Herminjard II. 418 et anglice Bonnet-Constable I. p. 8.)

Io. Calvinus Francisco Danieli S. D. [1])

Redditae sunt mihi utraeque tuae literae, eodem paene argumento et iisdem fere verbis. De

3) *Dunum Regis* (*Dun-le-Roy*) *oppidum prope Bituriges. De viris quorum hic et infra nomina occurrunt certi nihil ad nos pervenit. Mathurinus de la Brosse aliquis postea pastor fuit in agro Neocomensi.*

4) *Cf. supra N.* 5 *not.* 2.

13. 1) *Inscriptionem in autographo non adfuisse testatur Petrus Daniel cui debetur exemplar Bernense antiquissimum quod exstat.*

2) *Vide supra N.* 10 not. 5.

3) *Cod. Bern.* 450 *in margine addit:* excusi, *quod in textum receperunt Cod.* 141 *et Herm.*

4) *Sic omnino interpungendum. Codices Genev. et Bern.* 141 *item Sinner et Herm. exhibent:* praelegerent. In scholis Biturigibus, *quod minime placet.* Bituriges *est nomen urbis, non vero nomen adiectivum, et* scholae *sunt lectiones publicae, non academia ipsa. S. praeterea dedit:* perlegerent.

5) *Hic quoque priores editores parum convenienter simplicem virgulam interponunt, dictum ad sequentia trahentes.*

6) *De Pignaeo, Brossaeo et Regio v. supra N.* 2 *et* 11.

7) *De anno* 1532 *dubium moveri non potest. Caeterum dies* a. d. 10 Cal. Maias *vicesimus secundus Aprilis est, non* 23. *Maii ut habet versio anglica.*

14. 1) *Inscriptionem addidit P. Daniel.*

bibliis exhausi mandatum tuum, in quibus reperiendis pluris fuit opera quam pecunia. Quum res meas componam coniiciam inter sarcinas. Puto rem eius generis esse quae possit differri in id tempus.[2]) Superest ut tu vicissim mutuam operam mihi accommodes. Libri Senecae de Clementia tandem excusi[3]) sunt meis sumptibus et mea opera. Nunc curandum ut undique colligatur pecunia quae in sumptus impensa est: deinde, ut salva sit mea existimatio, primum velim mihi ut rescribas quo favore vel frigore excepti fuerint, tum ut *Landrinum*[4]) inducas in praelectionem. Mitto ad te unum exemplar quod penes te maneat. Alia quinque curabis mittenda Bituriges *Regio*, *Pignaeo*, *Agneto*,[5]) *Brossaeo*, *Barrhatrano*. Si *Agnetus* recipiat se praelecturum, mihi non nihil commodabit sua opera. Vale. *Chemino* quid scribam plane non habeo, quum ille toties provocatus non respondeat, nec statui me ad iter accingere nisi prius scripserit. Quid enim, si dies aliquot mihi sub dio frigendum esset, dum locum huic corpori quaererem?[6]) De *Coiffartio* quid aliud dicam nisi hominem esse sibi natum? Iterum vale. Parisiis.[7]) Saluta mihi matrem et materteram.

15.

DANIEL CALVINO.

Calvino Parisiis commoranti gratias agit de Commentarii in Senecam sibi destinato exemplari quod tamen nondum accepit, eumque rogat ut Aureliae, redux ex itinere, ipsius hospitio uti velit, quale etiam Cheminus ipse in Urbe praesens nuper ei obtulerat. Commendat consobrinum.

(Ex apographo P. Danielis in Cod. Bibl. Bern. 450, fol. 127. Edita est ab Herminjardo T. II. p. 420.)

Franc. Daniel Io. Calvino S.

Literas tuas mihi reddidit *Philippus* noster,[1]) quibus deprehendi nullum tuum officium omisisse. In his mittendis[2]) tibi acquiesco, si proximum putas tuum adventum. Unum superest, desiderari a me occasionem qua possem, si non referre gratiam, saltem propensam promptamque animi voluntatem quali[3]) officiolo meo declarare: quam rogo experiaris dum locum tuo corpori quaeris. Videbis profecto tibi paratam habitationem, nec sub dio tibi frigendum esse, quanquam de *Chemino* sit minime dubitandum, quum tibi coram pluries receperit. Itaque itineri te accinge: fratrem habebis comitem, quem dum isthic erit tibi commendo. Quod autem me tuorum commentariorum exemplari donaveris, gratias ago, licet nondum acceperim. Interea tamen *Agneto* et *Regio* literas parabo.[4]) Est apud Franc. *Sylvium*[5]) mihi consobrinus nomine *Valentius*.[6]) Is nuper quum parentum monitu ad dialectices artis professionem invitaretur, ad me scripsit quidnam sentirem de futuro illius studio. Videas, rogo, per otium, quid in lingua latina profecerit, num illius lectionis capax sit. Vale amice integerrime. Aureliae. Idib. Maiis.[7])

16.

CALVINUS BUCERO.

Commendat Bucero Gallum quendam, qui olim iam religionis causa, ut videtur, Argentoratum migraverat, nunc autem in patriam reversus rursum falsis rumoribus obnoxius et anabaptistarum erroris suspectus denuo istuc et in summa quidem inopia se recepturus est.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argentor. Epp. Variorum Vol. II. Edita a Crottet, Chron. p. 11. Herminj. III. 201 anglice ap. Bonnet-C. I. p. 9.)

Domino Bucero episcopo Argentoratensi.[1])

Gratia et pax Domini tecum per misericordiam Dei et victoriam Christi.

Scribendi nec otium erat nec argumentum ne-

2) *Totum hoc comma in codd. varie depravatum, verum iam olim in margine restitutum.*

3) excussi *Codd.*

4) *Christophorus Landrinus M. D. prof. litt. Aureliae.*

5) *Cod.* 106 *in margine:* Sugueto, *et sic* 111. *Etiam in versione anglica hoc nomen receptum videmus. Cod. Bern.* 450 *distincte exhibet* Agnetum, *virum alioquin ignotum. Caeterum Bonnet haec nomina scribit:* Le Roy, Pigney, Brosse, Baratier, *nescio qua fide.*

6) *Meditabatur ergo iter Aureliam et hospitium apud Cheminum quaerendum.*

7) *Daniel ex oscitantia annum adscripsit* 1530.

15. 1) *Idem de quo supra* N. 4 not. 7. *Literas eas dicit quas modo legisti.*

2) *non bibliis, ut Hm. putat, quippe quae Calv. inter sarcinas suas ipse Aureliam asportaturus erat, sed literis quas rescribendas rogaverat.*

3) *Sic in Cod. Omnino legendum:* qualicunque.

4) *ad Bituriges mittendas.*

5) *Habes huius nominis Parisiis duos, alterum professorem medicinae, alterum Collegio Tornacensi praepositum* (*Du Bois*). *Hm.*

6) *In textu huic nomine superscriptum est alia forma.* Valens, *et in margine additur:* Io. Valens. *Hmj eum Iean Vaillant de la Guesle suo gallico nomine venisse dicit.*

7) *Qui fecit apographa Cod. Bernensis P. Daniel de suo addidit:* 1531; *tu vero facile ex mentione editi Commentarii in Senecam facta annum* 1532 *elicies.*

16. 1) *Prima haec inter eas quae nobis asservatae sunt*

que etiam consilium,[2]) nisi visum esset paucis apud te deplorare miseram sortem optimi huius fratris, quam mihi per literas significarunt amici quidam fidei et probitatis non dubiae. Sive tamen dolori meo et sympathiae indulgeo,[3]) sive eius negotium procuro, non potui mihi temperare quin scriberem. Noveram hominis ingenium et mores, quum adhuc ageret in nostra Gallia. Ita se gessit ut gratiosus esset apud ordinis nostri homines, si quis alius. Eo numero habitus inter homines aliqua autoritate praeditos, ut nec illis pudori esset nec contemptui. Tamen quum non posset submittere diutius cervices isti voluntariae servituti quam adhuc ferimus, demigravit ad vos in nullam spem reditus. Nunc praeter opinionem eius accidit ut agat fabulam motoriam, nec statam sedem ubi figat reperiat. Huc etiam, ut audio, ob angustias et inopiam rei domesticae accurrerat ut opibus amicorum, quos olim mutua opera iuverat, paupertatem suam tantisper sustentaret, donec sors paulo benignior offerretur. Nunc accipe quanto potentior sit calumnia quam veritas. Importunus nescio quis ex vestris, quem certe non audeo malevolum suspicari, ita omnium aures suis delationibus praeoccupaverat, ut omni purgationi clausae fuerint. Itaque nullus fuit a quo assem extunderet. Forte non erat illi propositum, quisquis is fuit qui huiusmodi tragoediam concitavit, immerentis nomen apud credulos fratres proscindere. Utcunque tamen imprudentiam excusare nec deprecari potest,[4]) quin magno huius malo ac periculo erraverit. Haec autem, ut aiunt, contumelia illi impingebatur, quod incidisset in suspicionem anabaptismi. Mirum nisi ille supra modum fuerit suspicax, qui hanc coniecturam ex tam leviculis indiciis traxit. Ex professo adduxi eum inter colloquia in sermonem huius sacramenti. Ita disertis verbis mecum illi conveniebat, ut nondum viderim qui magis ingenue veritatem hac in parte profiteatur. Interim tamen patitur, nec spes est primo quoque tempore aboleri posse sinistros istos rumores, qui iam obtinuerunt certam fidem. Oro te, D. *Bucere*, si quid preces meae, si quid lacrymae valent, huius miseriae ut succurras. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.[5]) Ne patiaris eo necessitatis redigi ut extrema experiatur. Potes, si vis, aliqua illi succurrere. Verum tu id melius pro tua prudentia. Non potui tamen manum ultro lascivientem continere, quin aliquid in huius causam scriberem. Haec pro tempore. Vale, eruditissime vir. Noviod.[6]) pridie nonas septembres.

Tuus ex animo Calvinus.

epistola Calvini ad Bucerum. Quam qui attentius perlegerint facile concedent, totius epistolae formam et tenorem non esse iuvenis vigesimum annum vix egressi ad virum primarium et magni iam nominis inter doctores evangelicos, eundemque de scriptoris exsistentia ne γρῦ quidem suspicantem. Nulla hic excusationis formula, nulla doctrinae praedicatio, nullum laudationis verbum: quae omnia ab ignoto ad talem tantumque virum scribente negligi nequaquam poterant. Epistola tota familiaris est, unde colligimus, vel hanc non primam fuisse Calvini ad Bucerum, vel ad minimum Bucero scriptorem iam antea aliquo modo innotuisse. Quid si Calvinus iam a. 1528 *non modo Argentorati, sed etiam apud ipsum Bucerum commoratus esset? Vide quae diximus supra ad N.* 1. *Caeterum annum Calvinus non adscripsit. Hubertus* 1532 *esse voluit, quum autographon hoc collectioni Argentoratensi insereret. Herminjardus* 1534 *proponit. Qui tamen unicum hoc argumentum affert, quod epistolae sermo et color, quem dixeris, magis serius et religiosus videatur quam praecedentium. Quae quam parum faciant ad rem definiendam, non est quod moneamus.*

2) Leisure to write would not have weighed as an argument to persuade me, any more than good advice . . .

3) you bear with me.

4) I can neither excuse etc.

5) the poor are left in a special manner to your care; you are the helper of the orphan.

6) *Noviodunum nomen erat pluribus Galliae oppidis commune, vide Cellarii Geogr. ant. in indice. Verum de ipsa Calvini patria cogitare in promptu est, quo saepius Parisiis se recipere poterat ad rem familiarem curandam, ita ut huius loci mentione tempus scriptae epistolae non necessario definiatur.*

17.

CALVINUS INCERTO.[1])

Videtur comes addita fuisse alii cuidam epistolae cuius quasi post-scriptum est, idque imperfectum.

(Petri Danielis manu scripta exstat in Cod. Bern. 141, N. 296 in eadem scheda cum nostra N. 9 quam sequitur, et N. 223 quam praecedit.)

Pollicitus fueram me quoque ad te scripturum, et eram omnino facturus si aliquantulum temporis superfuisset. Video tamen *Baptistam* nostrum quas partes agere statueram praeoccupasse. Si obtinuerit, nihil meis literis erit opus, sin minus, experiar an aliquid portando valeam. Saluta mihi diligenter *Franciscum* cognatum tuum totamque illam familiam et amicos omnes. Dominus te huc propediem . . . .[2])

Passelius tuus.[3])

17. 1) *Non solum nomen amici cui haec missa fuit incertum est, sed et locum et annum scriptae epistolae definire minime ausimus. Attamen nomen Lutetiae non immerito a Daniele adscriptum rati (vide not. seq.) ad a.* 1532 *referendam putavimus.*

2) *Hac formula deleta aliam adscripsit:* Dominus te suo spiritu roboret. *Sed haec quoque cancellata est, sicut in margine nomen urbis:* Lutetiae.

3) *Passelii nomen inter ea quibus Noster ut lateret plus minus frequenter usus est antiquissimum fuisse videtur et fortasse iam inter iuvenes Aureliae studiosos celebratum.*

MDXXXIII.

18.

CALVINUS DANIELI.

Nunciat se simul cum hac scheda narrationem missurum rerum novarum quibus nuper academia Parisiensis turbata fuerat. Proprie duo sunt epistolia in eadem tamen scheda scripta, ut bis eum, aliquo scilicet intervallo interiecto, de mittenda illa relatione cogitasse credideris. Narrationem ipsam habes in sequente.

(Ex autographo bibl. Bern. Cod. 141, N. 43. Apographa exstant ibid. eod. Cod. N. 51 et Cod. 450, fol. 115 v. item in Archivis Bern. Epp. VII. 192. Genevae in bibl. civ. Cod. 106, fol. 1 verso et Cod. 111, fol. 1 v. — Ediderunt Herminjard III. p. 103 et Bonnet-Constable anglice T. I. p. 11, hic tamen posteriorem tantum partem.)

A Monsieur frere et bon amy Monsieur Daniel advocat à Orleans. 1)

Quod prioribus literis 2) promiseram, foecundas rerum multarum literas nunc scribo, 3), publice quidem, sed mihi fraudi esse non debet quominus promissi religione me solverim. Nihil enim interest quam tibi cum multis haec communia sint, modo tua sint. Intra paucos dies addam quae quod nunc deest sarciant. Vale, amice, et si quando tibi nostri memoria succurrerit, rescribe. Lutetiae, pridie Simonis. 4)

Tuus Calvinus.

Mitto 5) ad te rerum novarum collectanea, hac tamen lege ut pro tua fide officioque per manus tuas ad amicos transeant, quos etiam mihi non vulgariter salutabis, praeter *Frambergum*, 6) quem statui silentio meo emollire postquam nec blanditiis elicere nec conviciis expromere ab eo quidquam potui. Quod tamen omnium indignissimum est, quum frater nuper huc venerit, ne salutem quidem illi commisit. Litem *Michaelis* 7) velim tibi esse curae, si qua ratione explicari potest. Sed celeritate opus est. Cui si nihil reliquum feceris, habebo gratiam, ac si mihi praestiteris officium. Fungeris apud sorores interpretis vice, ne soli rideatis. Mitto epitomen alteram G. nostri, 8) cui velut appendicem assuere decreveram, quod ab illis prioribus commentariis abruptum erat, nisi me tempus defecisset. Vale, frater et amice integerrime.

Tuus frater Calvinus.

Ut non dicam haec esse tumultuaria, ipsa de se loquuntur. Epitomen cave temere divulges. 9)

---

18. 1) *Haec ut caetera Calvini manu, qui tamen alii chartae angulo inscripsit* a Monsieur et bon amy Mr. de Thoury, *quae verba linea inducta deleta sunt. Codd. Genev. et Bern.* 450 *habent:* Io. Calv. Nicolao Chemino, *quod ab archetypo abfuisse testatur qui hoc ultimum exemplar descripsit Petrus Daniel.*

2) *deperditis.*

3) *Epistolam quae mox sub N.* 19 *sequetur innuit.*

4) *i. e. 27. Octobr. Annum P. Daniel adscripsit* 1529 *quo tamen anno pater eius iuris studiosus, minime vero advocatus fuit.*

5) *Haec in exemplari authentico spatio interiecto in eadem charta. Apographum Cod.* 141 *specialem inscriptionem facit:* Fr. Danieli Aurelio, *a praecedenti nimirum distincta epistola.*

6) *Codd. Genev. simpliciter* F. *exhibent. Frambergorum gens Aureliae insignis. Claudio F. Noster fidum servavit animum quamvis a catholicis sacris non discedenti.*

7) *De duobus viris huius nominis verba facit autor Hist. eccl. T. I. p.* 56 *sq. ap. Bituriges liberius de rebus religionis sentientibus et dicentibus. Verum an de tali aliquo negotio hic vocabulum* litis *adhibeatur affirmare non ausimus.*

8) *Hm. de Gerardo Roussel cogitat, cuius libellum sub titulo Epitomes exstitisse coniicit. Versio anglica habet:* another Epitome of our Gymnasium, *fortasse respectu habito narrationis quae sequetur. Certe* commentarii *illi quos vocat potius talis aliqua narratio fuisse videntur quam sui priores ad Senecam. Vide etiam post-scriptum.*

9) *Add.:* ne in manus inimicorum incidat *Codd.* 450 *et* 141 *apogr. in margine. Annum ex relatione sequente elicies.*

19.

CALVINUS DANIELI.

Narrat amico quae Parisiis ineunte mense Octobre acciderant, occasione comoediae cuiusdam a scholae Navarrenae discipulis actae et reginae Francisci I. sorori iniuriosae; tum etiam edicti Sorbonae, eiusdem reginae librum, qui inscriptus erat Speculum animae peccatricis, ut falsae religionis suspectum damnantis. Estque haec ea ipsa epitome de qua in epistola praecedente.

(Autographum Calvini quod Sinnerus in Catal. Bibl. Bernensis Cod. 141, N. 237 exstare dicit, quodque et Bonnetus et Herminjardus ibi inspexerunt, nos non reperimus et omnino subreptum fuisse suspicamur. Apographa habentur in eodem Cod. f. 46 et in Cod. 450, fol. 129. Edita fuit haec a Beza inter omnes prima (Gen. p. 5, Laus. p. 1, Hanov. p. 1. Chouet p. 1, Amst. p. 1). Legitur apud Herm. T. III. p. 106 et anglice ap. Bonnet. T. I. p. 12.)

Quum mihi ad manum sit rerum sylva, quae argumentum epistolae [1]) praebeat, temperabo tamen stylum, ut indices magis habeas quam longam narrationem: cui si indulgerem, in iustum volumen prope excresceret. Ad Calendas Octobres, quo anni tempore pueri qui a grammaticis ad dialecticam demigrant exercere [2]) se agendis fabulis solent, acta est in gymnasio Navarrae fabula felle et aceto, ut ait ille, [3]) plus quam mordaci conspersa. Inductae sunt personae, regina muliebriter nendo intenta, et nihil aliud quam colum et acus tractans. Tum Megaera (quo nomine ad M. G. alludebatur) [4]) illi faces admovens, ut acus et colum abiiceret. Illa aliquantulum reniti, et obluctari, ubi vero furiae cessisset, evangelia in manus accepit, ex quibus omnia quibus ante assuevisset, et paene se ipsam dedisceret. Demum extulit se in tyrannidem, et omni genere saevitiae miseros et innoxios vexavit. Multa eiusmodi figmenta addiderunt, indigna prorsus ea muliere quam non figurate nec obscure conviciis suis proscindebant. Res in aliquot dies suppressa est, postea vero, ut est veritas filia temporis, ad reginam delata. [5]) Visum est statui pessimum exemplum eorum libidini, qui rebus novis inhiant, si impunitas daretur huic improbitati. Praetor stipatus centum apparitoribus gymnasium adiit, et suis iussis domum circumsidere ne quis elaberetur, ipse cum paucis ingressus comicum non reperit. Aiunt eum minime id consilio providisse, sed quum forte in amici cubiculo esset, tumultum prius exaudisse quam perspici posset, atque ita latebras quaesisse, e quibus per occasionem effugeret. Praetor tamen pueris actoribus manum iniecit: cui dum vult obsistere gymnasiarcha, inter eorum altercationes lapides a nonnullis pueris coniecti sunt. Ille nihilominus eos arripuit, et quod pro scena recitassent, iussit repetere. Omnia excepta sunt. Quando autor sceleris deprehendi non potuerat, proximum erat de iis inquirere, qui quum prohibere possent permisissent, et tamdiu etiam dissimulassent. Alter qui et autoritate praecellit, et nomine (est enim magnus magister *Loretus*) [6]) impetravit ut haberet pro carcere honestiorem custodiam domum cuiusdam (ut vocant) commissarii: alter *Morinus*, ab illo secundus, iussus se domi continere dum inquireretur. Nunc quid compertum sit, nescio: est tamen evocatus ad tres breves dies, ut nunc loquuntur. Hactenus de comoedis. [7]) Alterum facinus ediderunt factiosi quidam theologi aeque malignum, etsi non usque adeo audax. Quum excuterent officinas bibliopolarum, libellum vernaculum, cuius inscriptio Speculum animae peccatricis, retulerunt in numerum librorum a quorum lectione interdictum vellent. Regina ubi rescivit, questa est apud fratrem regem, professa se autorem. Ille per literas magistris Academiae Parisiensis imperavit sibi testarentur, [8]) an librum recensuissent in numero eorum quos iudicassent improbatae religionis. Quod si ita haberet, sibi rationem sui iudicii redderent. [9]) De ea re Nicolaus *Copus* medicus, nunc rector, retulit ad quatuor artium collegia, medicinae, philosophiae, theologiae, iuris canonici. Apud magistros artium inter quos locum dicendi primum habuit, longa et acerba oratione invectus est in eorum temeritatem, qui sibi id iuris in maiestatem reginae usurpassent. Dissuasit ne se immiscerent tanto discrimini, ne regis iram experiri vellent, ne in reginam virtutum omnium et bonarum literarum matrem arma sumerent: postremo ne hanc culpam in se recipientes improbitatem eorum alerent, qui parati sunt quidvis semper aggredi sub praetextu huius nominis, ut dicant academiam fecisse, quod ipsi iniussu academiae perpetrant. Omnium sententia fuit, factum abiurandum. Idem censuerunt theologi, canonici,

19. 1) *Loco* epistolae *edd. exhibent* amplissimum.
2) exerceri *edd.*
3) *memoria repetiisse videtur et confudisse Persium* (5, 86) *et Plautum* (*Truc. I.* 2, 77).
4) *Haec verba:* quo . . . alludebatur, *omissa sunt in impressis. De eadem comoedia agit Sturmius ad Bucerum scribens cuius epistolam Parisiis m. Nov. scriptam ed. Strobelius noster in Hist. Gymnasii Argent.* 1838 *p.* 109 *et sub literis M. G. Mag. Gerardum Roussel latere docet de quo v. Schmidtii nostri doctissimum libellum, maxime p.* 201 *et* 212.
5) re ad reginam delata *edd.*
6) Lauretus *edd. De eo et Morino v. Herm. II.* 94 *et* 108.
7) comoediis *edd.*
8) *Sic in autographo scriptum fuisse videtur, et edd. quoque consentiunt. Utrumque apographon habet:* starent *et* 141 *in marg.* constarent. *Hermj. habet:* significarent.
9) *Hoc d.* 24. *Oct. factum esse docet Bulaeus hist Univ. Paris VI* 238.

medici. Rector renunciavit ordinis sui decretum, post decanus medicinae, tertius canonici iuris doctor, quartus theologus. Ultimus verba fecit *Clericus* parochus Sancti Andreae, [10]) in quem omnis culpa derivabatur, aliis a se amolientibus. Primum magnificis verbis extulit regis integritatem, qui fidei se animosum protectorem hactenus gesserit. Esse aliquos sinistros homines, qui hunc egregium animum conentur pervertere, qui etiam conspiraverint in exitium sacrae facultatis: sibi tamen certam spem esse nihil obtenturos adversus talem constantiam, quam in rege esse novisset. Quantum attineret ad negotium quod esset in manibus, se quidem fuisse delegatum academiae decreto ad eam provinciam, nihil tamen minus sibi in animo fuisse quam adversus reginam quidpiam moliri, feminam tum sanctis moribus tum pura religione praeditam, cuius rei argumento esse poterant iusta, quae matris suae manibus post mortem persolvisset: se pro damnatis libris habuisse obscoenos [11]) illos Pantagruelem, Sylvam cunnorum, [12]) et eius monetae: hunc interim inter suspectos reposuisse, quod sine facultatis consilio editus esset, magna fraude aresti, quo vetitum erat, inconsulta facultate quidquam edere quod ad fidem spectaret. Denique sibi hoc esse praesidium, mandato facultatis factum quod in quaestionem vocabatur. Omnes esse culpae affines, si qua esset, quantumvis abnegarent. Atque haec omnia gallice, ut omnes intelligerent, si verum praefabatur: omnes tamen fremebant, cum obtendere ignorantiae suae hanc speciem. Aderant autem episcopus Sylvanectensis, [13]) *Stella*, et quidam ex praefectis aulae regiae. Ubi finem fecit dicendi *Clericus*, *Parvus* dixit lectum a se librum, nihil se dignum litura comperisse, nisi oblitus esset suae theologiae. Demum postulavit ut ederetur decretum, quo regi satisfieret. *Copus* rector pronunciavit, academiam non agnoscere censuram illam qualis qualis fuisset, quo [14]) libellus censitus esset in libris aut damnatis aut suspectis, non probare neque in se recipere. Viderent qui id fecissent qua ratione se defensuri essent: paratas fore in tempore literas quibus se academia regi excusaret, ageret etiam gratias, quod se tam benigne paterno more compellasset. Allatum est regium diploma, quo Parisiensi episcopo permittitur praeficere quos velit singulis parochiis concionatores, qui prius pro libidine illorum [15]) eligebantur, ut quisque erat clamosissimus et stolido furore praeditus quem illi zelum vocant, quo nunquam arsit Helias qui tamen zelo zelabatur super domum Dei. [16])

10) Nic. le Clerc, *doct. sorbonicus.*

11) *Apographa Bernensia habent:* obscuros.

12) *Sic in MSS. Beza substituit:* amorum. *Herm. omisit.*

13) *Guill. Petit* (Parvus). *Sylvanectes, hodie Senlis. Petrus Stella (de l'Estoile) Parlamento Paris. a consiliis*

14) *Vide an legendum sit:* qua, *aut* quod.

15) *Sic MSS. et edd. Herm. scripsit:* theologorum, *quod an ex deperdito autographo sumpserit nescimus. Lectio enim minime praeferenda videtur.*

---

19 bis.

CONCIO ACADEMICA

NOMINE RECTORIS UNIVERSITATIS PARISIENSIS NICOLAI COPI SCRIPTA ET RECITATA CAL. NOV. MDXXXIII.

(Huius concionis fragmentum ex autographo Genevensi edidimus Opp. T. IX. p. 873 seqq. coll. Prolegg p. LXXIII. Iam integram nuperrime reperimus coaeva manu descriptam in Codice Archivorum ecclesiasticorum ad S. Thomae Argentoratensis, signato Varia ad hist. reform. Vol. IX. fol. 334 seqq. Quam igitur ne diutius lateat hoc loco inserimus, et quidem ita ut in hoc codice legitur multam lectionis varietatem praebente, sed typis cursivis hanc notantes, lacunas asteriscis. Inscriptio simpliciter refert: *In illud Matth. V. Beati pauperes spiritu*, cui alia manus superscripsit: *Est concio nescio cuius.*)

Magna quaedam res est ac longe praestantior quam dici aut animo et cogitatione comprehendi possit, christiana philosophia. Uni haec homini *a Christo divinitus* data est, quae veram et certissimam felicitatem explicaret. Hac una nos esse Dei filios intelligimus et credimus: haec suo splendore et praestantia universam mundi sapientiam obscuravit. Hac qui excellunt tantum prope reliquae hominum multitudini praestare mihi videntur, quantum homines beluis antecellunt. Nimirum quum ii maiora longe et praestantiora quam reliqui *animo* complectantur. Admirabile enim et sanctum genus illud philosophiae esse oportet, quod ut hominibus traderet Deus homo fieri voluit, quum immortalis esset, mortalis. Vere profecto hoc mihi videor esse dicturus, nulla re magis amorem Dei erga nos innotescere * quam quod verbum suum nobis reliquerit. Quae enim aut *proprior* aut certior cognatio esse potuerit? Quod si *caeteras* artes *et* disserendi *rationem*, naturae scientiam, atque eam quae de moribus est propter utilitatem et *laudamus et miramur*, quae potest cum hoc genere philosophiae conferri, quod voluntatem Dei omnibus philosophis diu quaesitam, nunquam inventam exponit? quod sola Dei gratia peccata remittit? spiritum sanctum, qui corda omnium sanctificat et vitam aeternam adfert, omnibus Christianis pollicetur? Hoc studium qui non laudaverit, haud sane scio quid laudandum

16) *Epistolam versus finem Octobris* 1533 *scriptam esse patet, ex mentione rectoris Copi* (*Vide T. IX. prolegg. p.* 73), *ex epistola Sturmii supra laudata, aliisque pluribus argumentis.*

putet. Si enim oblectatio animi requiesque curarum quaeritur, quae spectent *et valeant* ad bene beateque vivendum, christiana philosophia abunde suppeditat, motus animi turbulentos quasi habenis quibusdam coercet. Quum * tanta sit evangelii laus et dignitas, non parum gaudeo mihi datam occasionem illius explicandi, meque in eo esse magistratu, qui id muneris necessitate quadam * requirat.

Sed in tam ubere tamque immensa rerum copia, unde principium aut ubi finem nostra sumet oratio? Sane quia amplior est dicendi campus quam oratione complecti possim, eum evangelii locum potissimum explicabo qui * hodierno die in ecclesia legi solet. *Sed* priusquam rem aggrediar, illud ardentibus votis mecum impetretis velim a Christo optimo maximo, qui verus est et unus apud patrem intercessor, ut foecundo illo suo spiritu mentes nostras illustret, ut quemadmodum ipse est gloria patris, *omnium bonorum autor*, ita nostra oratio illum laudet, illum sapiat, illum spiret, illum referat. Rogabimus ut in *nostros animos* illabatur, nosque gratiae *spiritualis* succo irrigare dignetur. [Quod nos consequuturos spero, si beatissimam virginem solenni illo praeconio * salutaverimus: Ave gratia *] [1])

Beati pauperes spiritu. Matth. 5.

Principio quis sit huius * evangelii scopus, ac *quo* omnia referri debeant, diligenter * est investigandum: quod ex evangelii ac legis descriptione, deinde utriusque inter se collatione facile intelligetur. Ergo evangelium *bonum* est nuncium et salutifera de Christo praedicatio, quod a Deo patre missus sit, ut omnibus opem ferat, *et* vitam aeternam conciliet. Lex praeceptis *continetur*, minatur, urget, nullam pollicetur benevolentiam. Evangelium nullis minis agit, non impellit praeceptis, summam Dei erga nos benevolentiam docet. Qui igitur pure et sincere evangelium interpretari volet, omnia ad *praedictas exigat descriptiones*. Quam tractandi rationem qui non sequuntur, nunquam satis feliciter in *Christi* philosophia versabuntur. Hoc vitium perditissimi sophistae *incurrerunt*, qui de lana caprina perpetuo contendunt, rixantur, altercantur, nihil de fide, nihil de amore Dei * * nihil de veris operibus disserunt * *, omnia calumniantur, omnia labefactant, omnia suis legibus, *id* est, sophisticis coercent. Vos rogo, quotquot hic adestis, ut has haereses, has in Deum contumelias nunquam aequo animo feratis.

Sed unde digressa est eo redeat nostra oratio. Videndum nobis *est* ne Christum hoc loco ab evangelii ratione aberrasse existimemus. Nam praeceptis agere videtur, *atque* ut pauperes simus *, *mites, mundo* corde, pacifici, praecipere. Quin etiam mercedem nobis *proponit*, quum praemiis *nemo duci* debeat, sed gratis operam dare Christo, solam Dei gloriam quaerere, nihil formidine poenae aut gehennae agere. Sed *haec* apud se cogitant qui divinam philosophiam per transennam *tantum* legerunt, qui *supremis* labris illam degustarunt, qui in evangelio nihil promoverunt, qui, ut cum Paulo dicam, putantes se sapientes stulti facti sunt. Quin potius densissimam fugat caliginem, nos tenebris liberat, ut qui *corporis oculos aliquando* aperuit nunc mentis oculos aperiat. Nam quae praecepta non satis explicate Mosi scripta *erant* * explicatius docet. Itaque hoc evangelium nihil praecipit, sed * Dei bonitatem, misericordiam et beneficia exponit. Ac ne quis miretur quod || [2]) praemia mercedis nomine comprehendat: Gaudete, inquit, quia merces vestra copiosa est in coelis, aurium operam paulisper nobis accommodate. Dei beneficia mercedis nomine plerumque significantur, licet alia ratione nobis contingant, nempe sola Dei gratia, non nostrarum virtutum aut nostrae dignitatis causa. Verum quia, dum nostra officia nostras virtutes longe vincunt, illis etiam satisfaciunt, mercedis nomine continentur. Quod si simili uti licet, rem totam multo dilucidiorem reddemus: filius familias totis viribus patri placere nititur, omnia sua officia in illum refert, sed non quae tanta sint ut haereditatem mereantur, quam nihilominus accipit, mercedemque adpellare possis, non quod debita sit sed quod filii erga patrem officia plus satis compenset. Ita merces in sacris plerumque usurpari solet. Alias quis intelligat vitam aeternam mercedem? Quis tam mentis expers ut vitam aeternam nostris benefactis deberi, aut nostra benefacta digna esse vita aeterna existimet atque affirmet? Omnibus igitur sit in confesso, Christum hoc evangelii loco, ut reliquis omnibus, suam gratiam, suam beneficentiam ante oculos ponere, ut lex sit intelligenda, docere Mosem germane interpretari.

Sed Matthaeum audiamus. Quum vidisset Iesus turbas ascendit in montem, et quum sedisset accesserunt ad eum discipuli, et aperiens os suum docebat illos dicens: Beati pauperes spiritu. Attendite, quaeso, viri christiani, ac singulare Dei erga nos beneficium considerate. Nos in tenebris diutius dormire non sinit, sed somno profundo nos excitat, inchoata et rudia expolit et perficit. Praeceptum erat antiquis ne deos haberent alienos: quod quum in summa versarentur rerum ignoratione, spiritusque expertes essent, intelligendum censuerunt de

---

19 bis. 1) *Quae uncis includimus in codice atramento deleta sunt.*

2) *Hic subsistit fragmentum Genevense.*

simulacris, ne ullum pro deo aut haberent aut adorarent. Quod non omnino impium censendum est. Simulacra enim gentium argentum et aurum, opera manuum hominum, os habent et non loquentur[3]) etc. Verum ut haec verissima et certissima sint, non tamen satisfaciunt. Cor Dominus desiderat nulli rei, nulli creaturae addictum, nudo et libero corde se solum admittendum praedicat, nihil viribus humanis tribuendum esse docet, omnia bona humana contemnenda, honores humanos nihili faciendos inculcat. Sed vereor ne mundum Deo praeferamus, vincatque caro spiritum. Quotusquisque nostrum in suo ordine primus nominari non cupit? Quis divinae philosophiae, quid dixi divinae philosophiae, imo sophismatis non dat operam, ut apud homines sit in pretio? Quis bonis humanis non inhiat? Quis non malit suis nugis hominibus, quam veritate evangelii Deo placere? O hominum immensam stultitiam, o vanam gloriam. An ignoramus, Deum corda et renes scrutari? An nescimus, illum animam perdere et in gehennam mittere posse? O belluas et insensatos homines, qui belluarum more tantum praesentia spectant. An nescimus, viri fratres, quoniam omnes stabimus ante tribunal Christi? Id si plane intelligeremus, soli pietati, soli spiritui incumberemus. Nos calamitatibus, aegritudine, afflictionibus, tribulationibus a Deo exerceri gauderemus. Nam eos beatos esse Christus pronunciat qui in his lugent, qui de suis viribus desperant, et nihilominus vitae integritatem expetunt, omnia moliuntur, omnemque operam in eo collocant ut probi sint, aliosque ad meliorem vitae conditionem ac iustitiam amplectendam pertrahant. Atque ii sunt qui esuriunt et sitiunt iustitiam: qua, si verbum Dei nos fallere non potest, saturabuntur.

Nec mirum: siquidem certas illorum conscientias evangelium Dei reddit de remissione peccatorum, de amore Dei, an sint accepti Deo. Qua re nihil iucundius, nihil melius homini christiano accidere potest. Quod si non intelligatur, in summo errore homines versari necesse est. Quis enim cultus, quae pietas, quae religio esse potest dubitante conscientia? Ita Paulus ad Romanos, ut omnem conscientiis eximeret dubitationem, contendit multis rationibus reconciliationem et iustificationem ex conditione nostrae dignitatis, aut nostris meritis non pendere. Nam ex psalmis, Beati, inquit, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Et rursus, post longam de iustitia Dei disputationem: Ubi igitur gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? operum? non, sed per legem fidei: arbitramur enim fide iustificari hominem sine operibus legis. Sed quid clarius dici potuit iis quae principio 4 capitis scripsit: Quid igitur dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? si enim ex operibus iustificatus est, habet quod glorietur, sed non apud Deum: quid enim dicit scriptura? credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam. Atque iis quidem Paulus nos iustos pronunciat propter Christum: nec immerito. Nam alias res tota foret incerta, si ex nostrorum operum, vel moralium vel caeremonialium, dignitate penderet. Novum quiddam docet evangelium quod lex praestare non potest, quo modo certi reddamur, Deum nobis esse propitium. Lex misericordiae Dei mentionem facit, sed certa conditione: si impleatur. Evangelium remissionem peccatorum et iustificationem gratis pollicetur. Neque enim accepti sumus Deo quod legi satisfaciamus, sed ex sola Christi promissione, de qua qui dubitat pie vivere non potest et gehennae incendium sibi parat. Si enim vitia corporis eorum tantum curavit Dominus qui crederent, solis peccata remittet qui crediderint. Ergo omnibus animantibus infeliciores sumus, si Deum peccata remissurum dubitamus. Satis scio animalem hominem non intelligere, sitne odio dignus an amore. Animalis homo, inquit Paulus, non percipit ea quae Dei sunt, sed spiritualis omnia diiudicat, omnia cognoscit. Quod qui negant, totum evangelium evertunt, Christum prorsus sepeliunt, omnem verum Dei cultum tollunt, quia Deus cum dubitatione coli non potest. Sumque ex evangelio in eam adductus opinionem, ut homini christiano nihil magis impium accidere posse existimem dubitatione: quae si nos aliquando obruit et cruciat, clamandum nobis est: Domine adiuva incredulitatem nostram. Ergo, licet pauperes spiritu, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, de suis viribus desperent, certi tamen sunt de gratia Dei, de remissione peccatorum, de iustificatione.

Sed ad evangelium redeamus. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. O rem dignam in qua Christiani omnes elaborent. Quid pace, quid tranquillitate melius? Si gentes quae Deum ignorabant tanti pacem fecerunt, ut templum illi exaedificari summa diligentia curaverint, quantum homini christiano in pace conservanda, in concordia inter dissentientes sarcienda, laborandum est? Gentes pacem expetebant ut in tranquillo viverent. Christiani multo maiora et meliora exspectant, qui se filios Dei fore intelligant. Sed ii praesertim qui paci spirituali operam dederint, sine qua pax mundi vana est nulliusque momenti. Pax mundi in eo consistit ut malum externum tollatur: in bonis est externis, cum vicino amico, sed interim radix discordiae relinquitur qua inimici sumus Deo. Iam ubi inimicitia adversus Deum, qui potest pax mundi diu consistere? Beati igitur sunt qui pacem animis conciliant, qui in ecclesia dissensiones tollunt, omnia

3) *sic.*

verbo veritatis placant, nullis minis agunt. Qui enim verbo Dei non credunt, qui possunt cruciatu moveri? Nonne oportet nos Christum ducem optimum imitari, qui quum omnes gentes, omnes Iudaeos perdere potuerit, verbo tamen allicere maluit? Atque utinam hoc nostro infelici saeculo verbo potius quam gladio pacem in ecclesia sarciamus. Sane aut Satanas non vincitur, aut verbo Dei. Quum fortis armatus custodit atrium suum etc. Fortior Christus est, non humana ratio, non hominum afflictiones. Quod qui non assentiuntur, non tam Christum quam perditissimos Pharisaeos sequuntur. Quis nescit, Christum liberum benevolum promptum animum requirere? Beati igitur pacifici qui verbo veritatis pacem inter dissentientes conciliant.

Magis ac magis beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam. Romani suum laudant Regulum, qui ut fidem servaret extremum ac longe omnium miserrimum tulit supplicium. Athenienses Socratem satis mirari non possunt, qui tanta animi constantia mori non dubitaverit, apud iudices accusatus quod gentiles deos contemneret. Verum quis tales viros felices existimaverit qui iustitiam Dei ignorabant, suam non Dei quaerebant gloriam? Non desunt qui ob maledicta in bonos viros, contumelias in principes, persequutionem patiuntur, quos nullo loco beatos Dominus nominavit. Beati sunt qui, dum iustitiam Dei quaerunt, persequutionem patiuntur. Porro iustitiam Dei quaerunt qui verbo Dei adhaerent, qui nugas hominum et somnia contemnunt, qui ne latum unguem ab evangelio in suis concionibus recedunt, qui illud Pauli diligenter sequuntur: Etiamsi nos aut angelus e coelo praedicaverit vobis evangelium praeter id quod praedicavimus vobis, anathema sit: quemadmodum enim diximus, et nunc dico: si quis praedicaverit vobis evangelium praeter id quod accepistis, anathema sit. Felices enim et beatos esse oportet qui his nominibus persequutionem patiuntur. Ne igitur famae et nomini ita consulamus, ut in cultu Dei, in voluntate Dei explicanda, in veritatis praedicatione frigidiores simus. Beati, inquit, eritis quum probra in vos iecerint homines, et insectati vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes, propter me. Quid igitur dissimulamus, ac non potius verum dicimus? An aequum hominibus potius placere quam Deo? An timendi qui corpus perdere possunt, animum minime? O ingratum hominum genus, quod ne vel minimam afflictionem illius nomine pati velit qui pro omnium peccatis mortuus est, qui morte aeterna et Satanae vinculis suo sanguine nos liberavit. Haereticos, seductores, impostores, maledicos mundus et improbi eos appellare solent qui pure et sincere animis fidelium evangelium insinuare contendunt, atque obsequium Deo se praestare putant. Verum felices sunt et beati qui haec aequo animo ferunt, qui in afflictionibus gratiam habent Domino, qui forti animo magnoque calamitates ferunt. Gaudete, inquit, quia merces vestra copiosa est in coelis.

Agite, viri christiani: ad hanc tantam felicitatem summis enitamur viribus. Deus, qui in omnibus fidem spem caritatem verbo suo gignit, suo favore nobis aspiret, mentesque nostras aperiat, ut evangelio credamus, vereque intelligamus unum esse Deum cui soli ex animo serviendum sit, cuius nomine omnia pati, omnia ferre oporteat. Impleat nos omni gaudio et pace in credendo, ut spe exsuperemus per virtutem spiritus sancti, ac demum perpetuum in coelis agamus triumphum. Amen. [4])

4) *Iam quum totam orationem relegisse contigit, si quis eam Calvino abiudicaverit, sane gloriae theologi nihil, certe non multum, detraxisse videbitur, famae vero scriptoris, alias stilum romanum tam feliciter exercentis, non parum consuluisse. Verum enimvero hoc qualecunque schediasma, quo attentius illud consideramus, eo magis genuinum aestumamus calviniani ingenii foetum, eumque omni studio maxime eo nomine dignum, quod antiquissimum nobis conversionis eius factae, vel potius inchoatae documentum est, imperfectae scilicet et nondum ad lucidam illam et certam veritatis evangelicae cognitionem progressae, qua postea vir summus inter omnes sui saeculi theologos inclaruit.*

MDXXXIV.

20.

CALVINUS DANIELI.

Bene agit pro tempore in secessu suo et studiis incumbit humanissime a patrono receptus, et de futuro securus.

(Cod. Bern. 450, fol. 117 inscriptione a P. Daniele addita; praeterea exstat in Arch. Bern. Epp. VII. 199 item in Cod. Gen. 106, fol. 2 verso et 111, fol. 2 verso. — Ediderunt Sinner III. 236. Herminjard. III. 156 et anglice Bonnet-C. I. p. 17.)

Io. Calvinus Fr. Danieli S. D. [1])

Ego quidem sine argumento possum apud te utcunque balbutire et paginam implere: sed quid te morer meis nugis? [2]) Hoc unum in praesentia, quod tibi curae esse arbitror, significari satis est, me et bene agere et pro ea quam nosti desidia nonnihil studendo proficere. Et sane inertissimi hominis ignaviam acuere possit patroni mei humanitas, quae tanta est ut literis, non mihi, impendi facile intelligam. Quo magis mihi conandum est serioque contendendum, ne tanta benignitate, quae me premit ac veluti urget, obruar. [3]) Quanquam, ne si omni quidem studio enitar, paria aut etiam subparia facere possum, adeo mihi gravis adversaria constituta est. Quamobrem haec cogitatio aurem mihi vellit, ut studia mutuo colam quorum nomine tantum mihi defertur. Si id temporis, quod vel exsilio vel secessui destinatum est, tanto in otio transigere datur, praeclare mecum agi existimabo. Sed de iis viderit Dominus, cuius providentia omnia melius providebit. Expertus sum quod non liceat nobis in longum prospicere. Quum promitterem mihi omnia tranquilla, aderat in foribus quod minime sperabam. Rursum quum inamoenam sedem meditarer, nidus mihi in tranquillo componebatur, praeter opinionem. [4]) Et haec omnia manus Domini, cui si nos committimus ipse erit sollicitus nostri. Sed iam paene implevi paginam, partim literis partim lituris. Vale. Saluta quos voles. Ex Acropoli. [5])

---

20. 1) *Titulum praefixit Petrus ut in caeteris.*
2) *Codd. Genev.* iurgiis.
3) *S. male:* obruat.

4) *Cod. Bern. in margine:* Hoc valde pertinet quod ait Demosthenes de fortuna: *Ἀεὶ βέλτιον ἡ τύχη ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπιμελούμεθα.*

5) Acropolin *plerique non immerito* Angoulême *esse suspicantur, quo se C. relicta Lutetia recepit. Quum de exsilio et secessu dicat, deque nido praeter opinionem sibi composito, facile aliquis de hospitio cogitabit quo a Lud. du Tillet canonico Iculisnensi et curato in vico Claix humanissime exceptus fuit circa initium a.* 1534. *Plura in eundem sensum argumenta affert Hmj. Caeterum pro Acropoli Cod. Gen.* 111 *exhibet* Doxopolin *quod recepit Bonnet, de altero nomine omnino tacens. Cf. etiam Kampschulte I. p.* 247.

21.

CALVINUS AMICO CUIDAM.

Praefationis ad libellum de Psychopannychia Tomo V. Operum pag. 169 seqq. editae hic iterum peculiari de causa mentionem facimus. In Prolegomenis nostris eidem tomo praemissis, incautius vestigia eorum legimus qui ante nos de hac materia scripserunt, in quibus ipsum Bezam, magni nominis autorem, nominasse sufficiat, et duas primas illius libelli editiones omnino deperditas deploravimus. Iam tantum abest ut de tali iactura querentes errasse aliquis demonstrarit, ut potius plures viri docti illas editiones nunquam exstitisse nuper asseruerint, de quibus tamen ex duabus praefationibus tertiae praefixis, scilicet Aurelianensi a. 1534 et Basileensi a. 1536, olim omnibus constare visum fuerat. Primus enim Clar. Her-

minjardus (Corresp. des Réformateurs III. 245) contendit, ante editionem principem a. 1542 nullam illius libelli fuisse vulgatam, quamvis autor semel atque iterum de edendo cogitarit. Post eum idem pluribus argumentis et fuse demonstrare conatus est vir doctissimus Carolus Dardier, V. D. M. apud Nemausenses, in diario Bulletin hist. et litt. de la Société de l'histoire du protestantisme français, mense Aug. 1870 p. 371 seqq. Quorum sententiae re denuo bene perpensa omnino non possumus non adstipulari, maxime ipsius Calvini testimonio permoti quod eius epistola ad Pignaeum d. 1. Oct. 1538 data exhibetur. Nam quae suppeditant epistola Capitonis ad Calvinum (infra N. 24) et Calvini ad Libertetum (N. 29) ea aliter explicari posse olim putavimus, nunc sane meliora edocti. Ea vero quae Noster Pignaeo de libro suo narrat planissima disertissimaque, infausto numine, fatemur, nos fugerant aut memoria exciderant quo tempore in conscribendis Prolegomenis Tomi V. versabamur. Superest ut docti lectoris veniam petamus, eo facilius, ut speramus, obtinendam quo plures habuimus nobiscum errantes. Confer etiam Ep. Pignaei 4. Oct. 1539, et Calvini ad Farellum 28. Iul. 1542.

22.

L'ESPRIT DES CORDELIERS D'ORLÉANS.

Relation d'une intrigue ourdie en 1534 par les Cordeliers d'Orléans contre le prévôt de la ville et de laquelle il résulta un procès intenté aux religieux qui finirent par être condamnés. La rédaction de cette pièce est d'une époque beaucoup plus récente, mais comme il est impossible de la déterminer, nous l'insérons ici. (Sleid. I. 509. Hist. eccl. I. 17.)

(Bibl. de Genève Cod. 145, fol. 134. La pièce est écrite de la main de Ch. de Ionvillers, secrétaire de Calvin, qui a mis en marge la note suivante: L'histoire de l'Esprit des cordeliers d'Orleans faicte par M. Calvin et que j'ay escrite soubz luy pour servir de memoire a Sleidan en son histoire Ecclesiastique. — Cette pièce a été imprimée dans le *Bulletin* T. III. p. 32.)

Lan mil cinq cens 3 . . [1]) la Prevoste d'Orleans trepassa, ordonnant par son testament qu'on ne fist ne chanter ne sonner a sa sepulture: mais qu'on l'enterrast sans pompe ne luminaire. Ce qui fut observé par le mary. Et pource que son pere et son grand pere estoient enterrez aux Cordeliers, elle fut mise en leur sepulchre. Le mary pour contenter les Cordeliers de ce qu'on ne leur faisoit faire nul service leur donna seulement six escus. Tantost apres, pource qu'il vendoit la coppe d'ung boys, deux Cordeliers le vinrent requerir de par le couvent, qu'il leur permist d'envoier leur char une fois le iour durant ladite vente, pour amener une partie de leur provision. A quoy il respondit, qu'il estoit bien content qu'ilz y envoiassent trente chars en payant, pource qu'il ne demandoit que bonne despeche et argent. Les gallans pour se venger vont faire une fourbe, que lesprit de la Prevoste estoit revenu pour leur signifier quelle estoit damnee. Les principaux conducteurs estoient deux docteurs de Paris, lung nommé *Colliman* Provincial, l'autre frere *Estiene* d'Arras. La façon fut telle: Ilz mirent ung jeune novice sur la voulte de leur Eglise, lequel menoit là ung grand bruit quand on vouloit commencer mattines. Quant on le coniuroit de parler jl ne sonnoit mot. Quant on le coniuroit de faire signe s'il estoit muet, jl faisoit ung grave bruit pour dire que ouy. Aians disposé leur cas jlz vont prier quelques personnages des plus apparens de la ville qui estoient de leurs devotz, se vouloir trouver a leurs mattines, pour quelque malencontre qui leur estoit survenu sans leur specifier que cestoit. Si tost quon commença Domine labia, le novice joue sa farce comme jl estoit appris. *Colliman* aussi et les Cordeliers jouent leur personnage. *Colliman* estoit l'Exorciste avec l'equippage accoustume quant ilz veullent parler au Diable. Apres que l'esprit eut fait signe qu'il n'avoit pas congé de parler, on le coniure, selon quil sera jnterrogué, de respondre par signe sur chacung article. Or alors le novice mettoit l'aureille en ung pertuys et avoit une planche devant sa poictrine sus laquelle jl frappoit tellement que le son estoit entendu d'en bas. On luy demande s'il est l'esprit de quelcung de ceux qui sont enterrez là dedans. Il respond que ouy. Apres long circuit l'Exorciste vient a la Prevoste. Le novice fait le signe qui luy est donné. Apres avoir racompté tous les pechez que l'Escriture condamne, en la fin on vient a s'enquerir si la Prevoste estoit damnée pour avoir esté Lutherienne. Le novice respond que ouy. On luy demande pourquoy jl fait telle tempeste et si c'est affin que le corps soit deterré? Il respond que ouy, tousiours frappant sur la planche aultant de coups quon luy commandoit. Sur cela le Provincial et le Gardien prient les tesmoings de signer ce qu'ilz ont veu. Car desia ilz en avoient couché ung acte par escrit. Quelcung s'advisa qu'il ne se falloit point tant haster, de peur qu'ilz ne s'en trouvassent empeschez si le Prevost en jntentoit proces. Ilz refusent doncques de signer. Neanmoins les Cordeliers retirent leur ciboire du temple avecques le reste de leurs jnstruments et vont faire leur service divin, qu'ilz appellent, en leur chapistre.

22. 1) *Le dernier chiffre du millésime manque dans le MS.*

L'official de l'Evesque estant adverty de cela vient avecques bonne compagnie pour s'informer de la verité et commande que les coniurations se facent en sa presence. Or le Promoteur qui n'estoit point de mauvais vouloir requist que gens fussent deputez pour aller sur la voulte scavoir s'il y auroit point d'esprit visible. A quoy frere *Estienne* d'Arras s'opposa disant qu'on troubleroit l'esprit. Ce pendant les Escoliers aussi y viennent en grande trouppe, se doubtans bien que c'estoit ung complot faict par malice et voulans descouvrir ce qu'il en estoit. Tant y a que jamais depuis ne voulurent faire leurs coniurations pour quelque commandement que leur fist l'Official. Le Prevost ce pendant apres avoir assemblé toute la justice et avoir requis d'y tenir la main, s'en alla en court. Et pource que les Cordeliers alleguoient jmmunité et exemption, le Roy deputa certains conseillers de son Parlement de Paris avec plain pouvoir et authorité souveraine. Et le Legat *Du Prat*, d'authorité papalle, donna Vicariat aux commissaires Ecclesiastiques: tellement qu'il fallut que les Cordeliers bongré maugré respondissent devant ces juges là. Toutesfois encores que la fraude fust evidente, jamais on ne peult arracher confession d'eux jusques a ce qu'on promist au novice de l'affranchir de leur subiection. Car combien qu'il fust mis en maison sequestre chez Monsr. *Fumee* maistre des Requestes, si est ce qu'il tenoit bon, craingnant que les Cordeliers ne le tuassent pour avoir deshonore l'ordre. Estant asseuré qu'il ne luy en adviendroit nul mal, jl declaira tout le badinage. Et estant confronté avec les beaux peres, jl leurs maintint la subornation faicte par eux. Et combien qu'ilz fussent convaincuz, si ne laisserent jlz point de recuser les juges et protester de leurs droictz et privileges. Nonobstant cela l'arrest fut donne par tous les Conseillers tant laiz qu'Ecclesiastiques qu'ilz seroient menez en la prison au Chastelet d'Orleans, que la leurs chapperons leurs seroient ostez, qu'avec chacung une torche au poing jroient faire amende honorable en la grande Eglise sur ung eschaffault la dressé: depuis estre menez en leur couvent pour y faire le semblable, et en la fin en la place nommee le Martroys ou on execute les malfaicteurs. Et que par tout ilz confessassent que de certaine fraude et malice deliberee jlz avoient conspiré une telle meschanceté. Or sur ce temps là jl y survint ung mal qui empescha que justice n'en fust faicte a la rigueur: c'est qu'a l'occasion des Placcars[2]) la furie s'enflamba si grande contre les fideles que ceste cause fut rendue odieuse, ou bien qu'on craignist de donner nulle faveur a ceux qu'ilz appellent Lutheriens. Mesmes l'execution de l'arrest, combien quil ne fust guere rigoreux, en fut empeschee. Car quant les gallans furent amenez jlz retornerent a leurs protestations. Et a cause de leur refuz et contumace seulement furent renvoiez en prisons jusques[3]) a ce qu'ilz eussent satisfaict. Or combien qu'ilz fussent en prison estroicte et separez l'ung d'avec l'aultre, toutesfois ilz ne laisserent pas d'estre visitez par les Bigottes[4]) de la ville. Et en la fin on trouva le moien de les faire eschapper: comme desia quand jlz furent menez a Paris pour leur faire et former leur procez, jl y avoit beaucoup de Bigottes qui conduisirent les charretes jusqu'a la porte de la ville avecques grandes lamentations. Et tousiours on leur fournit argent, tant pour faire grand chere que pour mener leurs pratiques. Si le trouble des Placcars ne fust survenu, le Roy avoit deliberé, apres les avoir puniz selon leur merite, de faire raser le couvent et y faire bastir une maison pour le Duc.

2) *Sur l'affaire des placards voyez la lettre suivante.*

3) *cette phrase, jusqu'au deuxième mot:* prison, *manque dans l'imprimé.*

4) *Au lieu de* Bigottes *le Bulletin imprime:* les bonnes femmes.

23.

GESNERUS BULLINGERO.

Persequutiones in Gallia et maxime in Urbe exortas significat, ob chartas quasdam contra missae abusum variis in locis nuper affixas. Qua de causa et ipse cum aliis pluribus tutius habuit Parisiis relictis Argentinam se conferre.

(Autographon quod Herminjardus in Archivis Turic. exstare dicit, nos quidem ibi non reperimus. Describimus apographon Bibl. civic. Turic. F. 44, fol. 2 v. olim Archiv. Hott. T. IX. Aliud recentius legitur ap. Simler. Vol. 37. Edita est c. annott. ab Herminjardo T. III. 235. *Cf. etiam Hanhart p.* 36.)

Eruditissimo sacrarum literarum perito interpreti D. Henrico Bullingero praeceptori observando.

S. Argentinam relictis Parisiis quinto Idus Decembris[1]) veni, simul quod maiorem sumptum indies facerem, simul etiam quod tantae tyrannidis, quantam vos pridem audiisse credo, spectator esse non sustinerem. Quod enim ad literas, Germania nostra nihil Galliis cedere videbatur. Sed tantos motus et tragoediae initium si quidem iam audivisti, haec mea praeterire,[2]) sin minus, perlege. Fixi ab inconsultis quibusdam libelli gallice scripti, in Novo

23. 1) *Sic Codex Carol. Apud Simlerum legitur* Septembris, *quod et Herm. recepit.*

2) *Sic librarius. S. et H. emendant:* praeterito.

Castro[3]) ut rumor est impressi. Plerique ad *Farellum* et quendam Augustinianum monachum autores referunt. Thema erat contra missae abusum et praesentiae corporis in eucharistia negatio. Eadem autem nocte Parisiis, Aureliae sive Genebi et in regii cubiculi ianua affixi sunt. Hinc belli initium, capti innumeri: rumor circiter trecentos et ultra fert. Novis et inauditis modis torquentur longe miserrime, comburuntur, eruuntur linguae, manus prae abscinduntur. Sunt porro in certas tabulas infinita capiendorum nomina relata. Sed duo studiosi[4]) huc ad nos nudius quartus revenerunt fuga Galliis elapsi, et mulier quaedam nobilissima cum famulis et nobilibus. Illi aiunt decem tantummodo hucusque combustos, regem Parisios venire, huius iudicium, quum tantus sit captorum numerus, senatum exspectare. Ego tam dira et atrocia ne vel spectarem vel audirem, commode socios itineris nactus discessi. Ante vero quam haec exorirentur, mirum in modum omnes pii scripta tua amplectebantur, sollicite emebant, honorificentissime te unum et amplissime praedicabant. Sed hac tempestate, quum singulae fere domus perquirerentur, omnes piorum lucubrationes partim Vulcano datae, partim in Sequanam abiectae. Ego et doctus quidam Hispanus, quum multa haberemus,[5]) tandem ab hospite deprehensi sumus, qui secus ferre noluit, nisi ad ecclesiasten aliquem qui nos absolveret res deferretur. Nos effecimus ut apud episcopi fratrem,[6]) eius tum vicarium et evangelii fautorem, ageretur. Sic quidem evasimus. Iam autem ipse captus detinetur. In fratrem enim, episcopum Parisiensem, licet evangelicum sciant, nihildum audent. Sic omnia infestatores[7]) *κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τε*. Sed clam aliquot *χιλιάδας τῶν τῆς ὀρθοδοξίας ἐχομένων σιγῇ μένεα πνειούσας* speramus, et partim certo scimus. *Budaeus* quoque, non est quod dubites,[8]) noster est totus cum doctissimis quibusque. Sed hoc hactenus[9]) . . . Argentinae in aedibus *Buceri* XXVII. Decembris MDXXXIV.

Tuum mancipium
Conr. Gesnerus.[10])

---

3) *Ipsa est urbe Neuchâtel quam caeteri Neocomum dixerunt. Prelum ibi exercebat Petrus de Wingle Bibliorum Olivetani editor. De affixis illis libellis haec refert Autor hist. eccl. I. p.* 15: L'an 1534 environ le mois de Novembre (*imo nocte* 17—18. *Oct.*) quelques uns aians fait dresser et imprimer certains articles d'un stile fort aigre et violent contre la Messe en forme de Placart a Neufchastel en Suisse non seulement les planterent et semerent par les carrefours et autres endroits de la ville de Paris contre l'avis des plus sages, mais en afficherent un à la porte de la chambre du Roy estant pour lors à Bloys. *Cf. etiam Crespin, hist. des Martyrs Gen.* 1619, *fol.* 111. *Gerdes hist. Reform. IV. Monum. p.* 59. *Haag, France prot. Pièces justif. II.* 112. *Hermj. III.* 224 *qui etiam de autore Ant. Marcurtio coniecturam maxime probabilem producit, iam antiquioribus testimoniis suffultam. Caeterum constat praeter ipsum Calvinum plurimos ea occasione Gallia relicta vel Helvetiam vel Argentoratum petiisse, inter quos fuerunt Petrus Caroli, Elias Couraut, De Rognac cum uxore, De Robertval, Mathurinus Cordier, Thomas Barbarinus etc., quorum nomina in hoc thesauro saepius occurrent.*

4) *Calvinum et Ludovicum du Tillet vix studiosos dicere poterat: ignotos igitur potius aliquos iuvenes designat.*

5) multa et nos haberemus *S. et H.*

6) *Renatus du Bellay, postea episcopus Cenomanorum. Episcopi Parisiensis fervor evangelicus quem laudat Gesnerus satis tepidus fuit, et cautissimus.*

7) insectatores *S.* in sectatores *H. De graecis vide Iliadis l. III. init.*

8) dubitem *H. Etiam de Guil. Budaeo cel. hellenista et bibliothecario regio nimia canit.*

9) *Caetera omittimus.*

10) *Turicensis, philologus, medicus, polyhistor, rerum naturalium clarissimus sui saeculi indagator. De eo vide praeter alios Hanhart, C. Gessner. Winterthur.* 1824.

MDXXXV.

24.

CAPITO CALVINO.

Quem Calvinus ei proposuerat libellum de immortalitate animarum (alias psychopannychiae dictum) perlegit quantum per minutos characteres potuit, verum ne iam prelo subiiciatur dissuadet. Scriptis polemicis sectarum vires non atteri sed potius famam augeri. Ipse sibi a scribendo temperare constituit et amico autor est ut ab alio quodam argumento scribendi industriam auspicetur.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 110, fol. 63. — Herminj. III. 242.)

Viro pio ac docto Martiano Lucanio [1]) sibi in Domino observando.

S. Gustus libri tui perplacet. [2]) Penitius cognoscere de toto non licuit propter minutos et mihi illegibiles characteres. De edendo, si nos audis, omnino proferes consilium in tempus commodius. Iam sectis omnia perstrepunt, et Germani magna calamitate religionis experti sunt, errores oppugnando fieri illustriores; [3]) rationem vero certissimam esse consulendi afflictis ecclesiis accuratissime depingere Christum. Sed et argumentum illud, quia extra analogiam fidei utcunque [4]) tractatur, foecundissimum erit rixarum. Deinde sunt autores splendidi [5]) quos deiecit Dominus a pertinacia istiusmodi erroris affirmandi, quorum studia vereor ne incendantur, aut certe ne prorsus fidem quam hactenus coluerunt despondeant aversenturque studia pietatis, quae, ut crux alioqui fastidiosa, tenerioribus mentibus facile exhalant. Mallem etiam auspicareris scribendi industriam in argumento plausibiliore. Temperavi mihi, nec poenitet, quominus in tantis dissidiis stilo in publicum quidquam mandarem, exceptis commentariis in Hoseam, quos amici Galli tum extorserunt, [6]) et sunt qui mallent, nunc otium meum quam turbulentum istum suum laborem sibi obtigisse. Putas perire sudores istos? Non sane periere, sed postera dies occasionem praebebit alio habitu illos ipsos venditandi. Tempus etiam docebit scripturarum omnium penitiorem intelligentiam. Summa gallicarum ecclesiarum afflicta conditio [7]) efflagitat, ut ab omnibus contentionibus avocetis potius. Nam tali opera plurimos easque eximios assectatores castrorum Christi conturbabis, et tamen, mi Marciane, liberum per me fuerit, utrum velis, aut edendi aut differendi: volui tamen quod mihi videretur obiter indicare. Vale. Argen.

V. Capito.

---

24. 1) Lucanius *Calvini anagramma est, qua tamen ψευδωνυμίας forma noster non diu usus est.*

2) *Hic liber nullus esse potest nisi ille ipse de quo supra N.* 21. *Nam sectam aliquam impugnare dicitur et aliud scriptum theologicum ab autore adhuc editum explicite negatur. Haec epistola ergo scripta fuit postquam Calvinus ab Argentorato Basileam concessit et antequam de Institutione cogitaret, initio scil. a.* 1535. *Sunt tamen qui arbitrantur eam ad a.* 1534 *pertinere et libellum ad Capitonem ex Gallia missum fuisse, quia hic Germanorum experientia Gallis commendari videatur.*

3) *Plurimi illo tempore contra Anabaptistas scripserant, Lutherus, Zwinglius, Oecolampadius, Bucerus, alii, nec quidquam effecerant. Ipse Capito lenitate et humanitate pacem restitui facilius posse quam severitate et rixis, et dictis et factis semper affirmavit.*

4) utrinque *Hermj.*

5) *Fortasse Carolostadium innuit.*

6) *Vide dedicationem libri a.* 1528 *editi ad Margaretham reginam Navarrae. Galli isti, scil. Faber Stapulensis, Gerardus Roussel et alii a.* 1525 *Meldis profugi Argentoratum venerant. Vide Schmidt, Roussel p.* 50. *Hermj. II.* 40.

7) *Hoc quoque ad definiendum tempus valet, v. Gesneri Ep. N.* 23.

25.

MYCONIUS BULLINGERO.

Erasmi scriptum novissimum nondum evulgatum graviter notat. Platerum novum impressorem, quem dicit, enixe commendat cuius officinae aliquid operae credatur. Recipimus hanc epistolam ut et sequentes propter Thomae Plateri mentionem, cui eo ipso tempore, Myconio puta autore, Calvinus primam suam Institutionem typis exprimendam tradidit.

(Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 155 olim B. Epp. T. 33, fol. 142 autogr. — Simler vol. 38.)

D. Heinricho Bullingero praesuli verbi apud Tigurinos primo suo in primis caro.

S. Quod etiam mysteria, ut ita vocem, tua talia non vis esse mihi, intelligo animum tuum erga me. Gaudeo ut magis nequeam. Dolet deinde, tot esse ubique terrores, [1]) verum Deus, ut hactenus, tuebitur suos, atque id est unde dolor omnis absumitur. Duo vero sunt quae scribere cogor ob temporis angustiam. Unum de *Erasmo*, alterum de *Blattero* meo. Ecclesiastes *Erasmi*, [2]) qui clam nondum quidem perfectus ad me venit, inter caetera sic habet, post commendationem sacerdotii Novi Testamenti, tandem ex collatione sacerdotii Aaronis et filiorum eius: „Quanta [3]) vero dignitas decet Novi Testamenti ministros, qui quotidie immolant illam coelestem hostiam, angelicis quoque spiritibus adorandam, qui contrectant manibus carnem agni immaculati?" Non videtur permittendum ut tale quidpiam in urbe christiana imprimatur. Fac sciam sententiam tuam. *Blatterum* [4]) autem novum impressorem tibi commendatum volo, ut si quid possis illi mox, praeter offensionem *Froschoveri*, [5]) commodare, ne detrectes. Quae scribis cara sunt, atque adeo vendibilia. Potes igitur promovere his scriptis illius usum. Quod breviter dico, ne videar non confidere tibi. Spero aliquid esse quo subveniatur huic. Tua tibi remitto. Vale per Christum. Basileae 24. Iunii anno 1535.

Os. Myc. tuus.

25. 1) *Alludit ad persequutiones in Gallia grassantes, fortasse etiam ad pericula Genevensibus ab episcopo suo et a duce Sabaudiae instantibus.*

2) Ecclesiastes s. de ratione concionandi ll. IV. Basil. 1535 *fol. et saepius. Cf. Erasmi Epp. ed. Cleric. p.* 1501.

3) *Leguntur haec p.* 77 *ed.* 1544 8. *ubi agitur de sacerdotis mosaici et evangelici differentia.*

4) *Insignis hic vir vitam suam variis fatis memorabilem ipse conscripsit ed. Fechter. Bas.* 1840. *Epistola haec Myconii et Calvini Institutio satis per se solae demonstrant errare Streuberum (Beitr. zur vaterl. Gesch. der hist. Ges. zu Basel III.* 73) *qui eum anno demum* 1539 *prelum exercuisse dicit.*

5) *De Christophoro Froschauero Oettingensi, celeberrimo Turicensium typographo vide* E. C. Rudolphi, die Buchdruckerfamilie Froschauer. Zürich 1869.

26.

BULLINGERUS MYCONIO.

Respondet ad Ep. Myconii d. 24. Iunii datam. Platero quod excudendum det pro tempore se non habere declarat, nec postea habiturum innuit propter suam cum Froschovero consuetudinem. Iudicium de Erasmo.

(Arch. Turic. Plut. VI. vol. 129 olim B. Epp. T. 30, fol. 51 autogr. — Simler vol. 38.)

D. Osvaldo Myconio sanctae Basileiensis ecclesiae Antistiti vigilantissimo suo in Domino carissimo fratri.

Gratiam et pacem. Omnia a me, *Myconi* venerande, reportaret, qui tuis mihi literis commendatus supplicat, si modo esset quod reportare gauderet. Sed negotia quibus distringor in momento paene non sinunt ut *Plattero* vel alii cuipiam viro bono liceat inservire. *Frochovero* chartas subcisivis horis illitas verius quam scriptas exhibeo, precibus fratrum improbis etiam victus et in hoc pistrinum adactus. Meminero tamen petitionis tuae, si qua se obtulerit huic viro inserviendi occasio. Nam videtur omnino esse vir bonus et dignus cui beneficium conferatur. *Erasmum* complector et veneror ob venerabile senium et multa in literas et literatos collata beneficia: interim exsecror lubricitatem hominis detestabilem. Novit hic homo duabus sedere sellis et utroque portare humero. Verba quae ascribis prope Chrysostomi sunt ex opere De dignitate sacerdotali. Nec dubito quin intelligat ipse sua ipsius verba per hyperbolen et amplificationem. Sed quid id ad plebem, cuius proprium est raro sapere, et ad quorum impuras manus haec perveniunt? Ferrem tamen hoc et dissimularem, si in toto opere hic modo scopulus promineret. At si in reliquis quoque scandala posuit, nequaquam dissimularem. Explicandus est orbis, non intricandus, scriptis nostris. Clare, pure et simpliciter loquendum. Quae vidit vel audivit vel *Oporinus*, vel *Blatterus*, vel *Bebelius* [1]) re-

26. 1) *Io. Oporinus (Herbster), Basileensis, ludi moderator, medicus, linguae graecae professor, denique typographus, inter paucos clarus, quo etiam nomine saepius eum in Prolegomenis nostris laudavimus Tom. V. p.* 39, 43, *vel infra in hoc thesauro obviam habebimus. Obiit a.* 1568. *Plurimae eius asservantur epistolae ad Hubertum in Arch. Thom.*

ferent. Ego in praesentiarum plura non potui. Opto te nobis et ecclesiae diu incolumem, frater dilectissime. Die Petro et Paulo sacra 1535.[2])

H. Bullingerus tuus.

27.

MYCONIUS PELLICANO.

Pellicano quoque ut nuper Bullingero commendat Tho. Plateri officinam recens conditam.

(Ex autographo bibl. civic. Turic. MSS. F. 47, olim Epp. T. XII. fol. 11. — Simler vol. 38.)

D. Pellicano[1]) doctissimo theologo Domino suo observando.

S. Audimus, Pellicane doctissime, novum partum, literarium puta, nunc te meditari. Si fieri posset, velim ad producendum in lucem dari nemini praeter Thomam meum *Blatterum*. Qui hactenus in hoc se genere negotiationis exercuerunt, divites facti, nec indigent illo tuo, nec grati sunt satis erga parientes. Imo et nonnunquam vel inviti ad edendum recipiunt, quamvis nobile, quod exhibetur. Hic penitus contrarium est invenire. Indiget Thomas, ut qui artem nunc primum tentat: non artis tamen ignorans, ut qui a morte *Ruberi*[2]) doctissimi iuvenis et correctorem egerit diligentissimum, et reliqua, ut est homo ingeniosissimus, perquam diligenter observavit. Habet interim suppellectilem huc pertinentem copiosissimam, probam, elegantem: compositorem item collegam[3]) plane exactum, ut de libri honesta forma deque transscriptorum diligentia nihil prorsus sit formidandum. Sed minus etiam timendum de ingratitudine. Novi Thomam a multis iam annis, ut probum et gratum erga omnes a puero ferme. Solvent plus quam quispiam alius, quod iste liber, ut audio, talis sit ut qui sit ad novam officinam emptores praeter rationem alterius argumenti prorsus invitaturus. An tu putas ingratos esse posse qui tale quidpiam sentiunt et emolumentum percipiunt? In corrigendo non erit tibi labor, imo nec anxietas aliqua propter indiligentiam. Thomas per se laudis hinc satis tulit hactenus, et est *Oporinus*, iuvenis bonus, doctus, sciens, laboriosus, qui hac in re non deerit. Accipio tandem de indicibus duobus: neque hic erit laborandum tibi. Thomas in talibus conficiendis aeque exercitatus est, quod clarum est ex libris qui cum indicibus superioribus annis ex officina Herwagiana prodierunt[4]) in lucem. Summa: de libri perfecta et proba forma, deque eius instructoribus, officio denique horum, iubeo te securum esse. Neque credo Christophorum[5]) iniquius id esse laturum, quamvis non ignorem quod dicitur: κεραμεὺς κεραμεῖ. Nam pudore remorabitur, etsi nulla re alia. Neque tibi damnum inde, quem venerari cogetur, et habere in oculis propter praesidia tua quotidiana, quibus carere non potest. Hic si obtemperabis, observande mi *Pellicane*, non me solum, sed multos adhuc alios demereberis. Non credere potes quam sis gratificaturus omnibus qui *Blatterum* amant. Non est ut nominatim hos dicam. Interea tamen non ignoras consulem nostrum *Heinrychum*, D. *Grynaeum*, *Oporinum*, *Gastium*, viros quorum amicitiam non dico nunc primum parabis obtemperando, sed augebis et confirmabis egregie. Nullus est enim ex his et innumeris adhuc aliis qui non summe faveat *Blattero*. Si quid hoc epistolio profeci, fac sciam, et conditiones quibus dare velis aut queas adsignes velim. Vale cum uxore et liberis in Domino. Basileae 13. Iulii 1535.

Osualdus Myconius tuus.

28.

CALVINUS FRANCISCO REGI.

De celeberrima Calvini ad Regem Franciscum epistola dedicatoria primae Institutionis editioni praemissa et d. 23. Augusti 1535 data adeas Prolegomena nostra Tom. I. p. 26 et Tom. III. p. 16. Ipsam legisti latine Tom. I. p. 9—26 et p. 257—278. Tom. II. p. 9—30 et gallice Tom. III. p. 9—36.

Argentorati, et ad Vadianum Sangallis. Vide Streuberum l. l. III. 68. *De Io. Bebelio typographo Basileensi v. Stockmeyer et Reber, Beitr. zur Basler Buchdruckergeschichte* 1840 *p.* 155.

2) *quae est 29a Iunii.*

27. 1) *De celeberrimo Conrado Pellicano Rubeaquensi Alsata olim Franciscano, postea l. hebr. professore Turicensi v. F. Bresch, esquisse biographique sur C. P. Strg.* 1870.

2) *Ipse Platerus in Vita sua supra l. p.* 84 *narrat quomodo Iac. Rubero Hervagii typographi correctore peste absumpto ipse suadente Sulzero in eius locum successit et per quadriennium hoc officio functus est.*

3) *Ex sequentibus colliges Oporinum innui. Caeterum in exercenda sua arte eo ipso tempore socios habuit Balth. Ruch (Lasium) et Rob. Winterum v. Prolegg. Tom. V. p.* 42.

4) *Quorum catalogum praebent Stockmeyer et Reber. l. l. p.* 123.

5) *Froschoverum, v. epp. duas praecedentes.*

29.

CALVINUS LIBERTETO.

Recognitionem versionis Novi Testamenti gallicae ab Olivetano factae in aliud tempus se reiecisse fatetur, interim aliis studiis deditus. Quod libellus suus de animarum immortalitate a Liberteto non omni ex parte probatus fuerit, eo minime se vexatum affirmat, quem ipse iam ex integro retexendum decrevit. De tumultu apud Neocomenses orto queritur.

(Ex Autographo bibl. pastorum Neocomensium. — Herminj. III. 347. — Anglice Bonnet-C. T. I. p. 18. — Cf. Ed. Reuss in Revue de théol. Strg. 1866. 3e Serie IV. 319.)

Optimo fratri Christophoro Libertino [1]) Verbi Dei ministro Bolae.

Quum per literas, quas sub suum abitum ad me scripsit, mihi significasset *Olivetanus* [2]) noster, se edendi novi testamenti [3]) consilium in aliud tempus reiecisse, recognitionem quam eram pollicitus videbar mihi alio tempore per otium praestare posse. Interim aliis studiis [4]) me dedi eius cogitationis securus. Vel potius acquievi in solita mea desidia. Utcunque, operi nondum manum admovi. Et sane volumen, quod mihi in collatione necessarium erit, [5]) tametsi ante tres menses allatum fuit, nondum tamen concinnatum est. Quod non nostro contemptu factum est, sed partim compactoris ipsius ignavia, quem tamen quotidie appellare non desivimus, partim quod, quum allatum est primum, deerat chartarum senio, qui suffici non statim potuit. [6]) Postac vero aliquam e singulis diebus horam decidere mihi curae erit, quae huic operae impendatur. Animadversiones etiam, si quas reposuero, apud alterum non deponam quam te, nisi *Olivetanus* ipse suo reditu [7]) anteverterit. Iam mihi a nescio quo sermo tuo mandato iniectus fuerat, in libello nostro de animarum immortalitate [8]) non satis tibi probari quaedam. Ego vero tantum abest ut tuo iudicio offensus fuerim, ut hac ingenua simplicitate mire sim delectatus. Neque enim ea est mea morositas, ut quam mihi permitto iudicii libertatem ademptam aliis velim. Ne tamen rem actam agendo te frustra torqueas, librum ipsum paene ex integro scito a me retextum. Non multis quidem aut additis aut expunctis sed prorsus inverso ordine, quamquam pauca quaedam sustuli, alia addidi, mutavi etiam nonnulla. Ea enim commentatio quam *Olivetano* legendam dederam cogitationes meas continebat magis in adversaria congestas quam certo distinctoque ordine digestas, etiamsi forma quaedam esset ordinis. Eum novum librum (sic enim appellare libet) ad te misissem si relectus a me esset. Sed ex quo a *Gaspare* [9]) descriptus, non inspexi. Vale. Dominus te conservet ac sui spiritus donis locupletet. Basileae 3. eid. Septembr. [10])

Martianus Lucanius Tuus.

Nescio quomodo inter scribendum exciderat quod minime praeterire statueram. Id autem est ut te aliosque fratres paucis quidem verbis sed toto animo ad sectandam pacem horter. In quam retinendam nunc eo magis strenue vobis omnibus adnitendum est, quo magis sedulo ad eam subvertendam Satan advigilat. Vix persuaderi possis quanta animi indignitate audivorim tumultum istum novum de leprosis excitatum ab eo de quo nihil unquam tale fuissem suspicatus. [11]) Sed tandem scilicet venenum, quo diuturna dissimulatione turgebat, evomuit et infixo aculeo fugit. Tu vero ne hic partibus tuis desis, quod te tua sponte facturum confidebam, sed meas etiam preces intercedere volui.

---

29. 1) *Christophorus Faber, sive Fabri, qui et Libertinus vel Libertetus, Viennensis Delphinas, medicinae studiosus in Monte Pessulano, a Farello ad ministerium verbi suscipiendum invitatus inde ab a.* 1531 *in variis locis Helvetiae sacro munere functus est, primum Neocomi, deinde in vicis eiusdem ditionis Boudry et Bole, postea Tononii, ad ripam lacus Lemani in Sabaudia, quod oppidum Bernensibus tunc subiectum erat. Denique Neocomum rediit. Cf. Vulliemin, le Chroniqueur, p.* 89 *seq.* 252, 265 *et Herminjard, passim. Quo modo et tempore Calvini familiaritatem colere inceperit nescimus.*

2) *De Petro Roberto, qui sub Olivetani cognomine nescio unde petito inclaruit post alios fuse dixit Ed. Reuss in Revue de théol. 3e Série T. III. IV. Cf. etiam Hermj. II.* 449 *seqq. III.* 44, 290 *etc.*

3) *Novum Testamentum Olivetani minime iam a.* 1534 *separatim prodiit, ut Bonnetus vult, neque haec epistola scripta est ante editum illum librum, sed Bibliis integris mense Iunio* 1535 *primum evulgatis, hic Noster de nova N. T. recognitione loquitur, eo magis necessaria quippe cuius versio gallica ab Olivetano satis raptim et incuriose facta fuerit ut in schediasmate Reussii modo laudato pluribus demonstratum est.*

4) *Institutioni suae ultimam manum admovisse putandus est eo quod hic respicit tempore, et fortasse novae Psychopannychiae recensioni, de qua infra.*

5) the volume which I sent will be necessary in the collation. — *Imo agit de exemplari operis Olivetani sibi misso, quod mense Iunio prodierat.*

6) we required a supply of paper to the extent of six sheets, which could not be had immediatly!!! *Qui vir doctus non vidit de exemplari bibliorum imperfecto agi, in quo senio, i. e. sex folia casu quodam deerant.*

7) *Mense demum Maio* 1536 *rediisse demonstravit Hermj.*

8) *alias Psychopannychia dicto, quem manu scriptum necdum editum Fabro legendum tradiderat, vide supra N.* 21 *et* 24.

9) *G. Carmel Delphinas mense Novembre* 1534 *ob religionem Parisiis in contumaciam capitis damnatus, Basileae studiis incumbebat et Calvino ut videtur amanuensis officia praestabat. Hermj. ad h. e. Bulletin XI.* 253.

10) *Anni* 1535, *non* 1534 *ut Bonnetus etiam habet. Vide Reussium l. supra l. p.* 321.

11) *De his certiora tecum communicanda non habemus.*

MDXXXVI.

30.

FARELLUS LIBERTETO.

Statum ecclesiae Genevensis exponit. Lausannae item Viretus successum habet. Tononii leniter procedendum, ad quod, vel absente ipso, ministrorum qui ibi sunt vires sufficient.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. I. N. 16. — Exstat quoque in bibl. civic. Turic. MSS. B. 217, p. 65. Ex parte vertit Ruchat IV. 145 item Vulliemin, Chron. p. 266.)

Suo Christophoro Tononii.

S. Gratiam et pacem a Deo, cui merito omnes debemus gratias agere super ingenti misericordia sua, qua permotus suum perficiat opus. Novisti frater, ut arbitror, quid hic egerit Dominus, quam habuerimus coenam, quam frequens fuerit auditorium. Qui numerum pusillum supra spem auxit, adaugeat amplius, fidem quoque augens. *Vireto* [1]) Christus successum dat, quo tu non cares. Sed vide, mi frater, ne te conficias: quiete necessaria succurre deficientibus naturae viribus. Fac ut auxilio tibi sit Augustinianus, [2]) et per vices, si commode fieri potest, concionemini. Sic et facilius feres onus istud, ac iste semper magis appositus ad verbum reddetur, pluresque accedent ad Christum. In quo mihi salutes et pios omnes et ipsum Augustinianum cum fratre, qui videtur Christi amans: quem hortaberis ut in vicinia contendat docere quae Christi sunt. Gratum est quod nolis ita pontificios interturbare ne infensiores verbo reddantur. Perge summa lenitate omnes pellicere ad Christum, quem spero tracturum multos. Non est quod me velint habere. Nam paene dedita opera, quum rescirem (?) diutius non istic agere, [3]) quasi mox soluturus dabam operam statim absolvere quod in manibus erat, sperans quod tu et Augustinianus me absente populo gratiores futuri essetis. Quod ita credo. Hic iam solus sum. *Sonerius* [4]) Lausanam petiit et illinc Neocomum petet pro componendis rebus cum Neocomensibus et his. Nam huius gratia senatum rogavimus, quod grande offendiculum ex dissidio intelligeremus. Faxit Christus ut bene componantur omnia. *Frumentus* Aquileiam petiit. [5]) Qua ratione pagis consulatur nescio. Iacobus *Graci* [6]) plebem ac rasos habet pessime in Christum affectos. Verbum prorsus spernunt, imo summe oderunt. Vix nisi flagris emendabuntur. Placet quod scribis de disputatione [7]) quam spero erigendam. In hoc omnibus erit incumbendum ut fiat, ac cito. Lausannae an *Vireto* concedatur adversus cuculionem, [8]) ut iam recepit senatus, cupio audire. Alias non frenabuntur asini qui rudunt in Christum. Nuncius exspectat equo parato, quod me impedit ne

---

30. 1) *nuper Neocomo Lausannam devecto.*

2) *Girard Pariat, theol. D. ex Augustiniano monacho cum alio quodam fratre, eiusdem ut videtur ordinis, Tononii Liberteti collega. Ruchat IV.* 144 *seqq.*

3) *Haec obscurius dicta Ruchatius sic vertit:* Il n'était pas nécessaire qu'ils me souhaitassent, car j'étais moi-même résolu à ne demeurer plus guere ici. Me trouvant comme prêt à m'embarquer au premier jour, je me hâtais d'achever l'ouvrage que j'avais entre les mains (la confession de foi et la discipline de Genève!). *Quae omnia nobis erronea videntur. Farellus potius dicit se Tononio relicto, ubi illi operi peragendo sufficiebant, simul ac fundamenta ecclesiae iecerat, Genevam rediisse ibi mansurum.*

4) *Ant. Saunier Delphinas, Farelli fidus Achates, quum Waldensibus operam navasset comite Olivetano, nuper mense Martio demum Genevam redierat, a captivitate Taurinensi Bernatium intercessione liberatus. De Neocomensi negotio v. Ruchat. IV.* 55.

5) *Ant. Froment Delphinas, de quo v. Kampsch. I.* 120. — Aquileia, *Aigle.* — Pagis, *Aquileiae vicinis.*

6) *Gras.*

7) *Quam tum meditabantur utriusque partis duces, tandem mense Octobre Lausannae instituta est.*

8) *Dominicum de Monbouson, Iacobinum, qui Lausannae conciones quadragesimales habuerat, et contra quem Viretus publice disputandi licentiam a Senatu postulaverat. Ruchat. IV.* 141 *seq.*

plura scribam. Tantum hoc addam, uxorem valere ac reculas nondum evectas. Vale bene ac perge tuique rationem habe, ne te macilem labore reddas. Sed sic age ut diutius servire ac commodius possis. Salutato omnes. Genevae 22. Aprilis 1536.

Tuus Farellus. [9]

31.

GALLI GERMANIS.

Rex Franciscus edictum promulgavit quo omnibus Gallis ob religionem profugis aut captivis ἀμνηστία promittitur, sed conditionibus adeo duris impositis ut de iisdem leniendis fratrum et principum Germanorum officiosam intercessionem requirere cogantur.

(Archiv. Turic. — Registratur. Truck 7, Bündel 14. — Simler vol. 41.)

Vos, Germaniae fratres, quibus pura religio et pietas cordi est, qui quantum in vobis est laboratis ut verbum Domini per universum orbem currat, iam vestris praesidiis et autoritate, qua non parum polletis apud principes, factum est ut rex Galliarum literas [1]) concesserit, quibus omnes exsules propter verbum Domini in regnum suum revocat, quotquot etiam in omni sua ditione vinculis detinentur, eos libertate donat, bonaque sublata restituit: modo hi omnes coram episcopis (forma contenta in literis ipsius regis servata) abiurent. Quas, si lubet, diligenter perpendetis, quo facilius episcoporum eorumque qui regi sunt a secretis versutiam deprehendere possitis. Quum autem cognoverimus, in illis (siquidem illorum mentes inspiciantur) summam blasphemiam esse, ad vos venimus ut vestro consilio ac favore nos adiuvetis, utque aliquo modo nobis tandem liberum sit vivere in verbo Domini. Id autem nobis videbatur per vos petere a rege (si ita vobis rectum videbitur) ut interdicto ediceret episcopis, nobilibus, iudicibus, fidei inquisitoribus, tum aliis quibusvis, maxime qui in Provincia aut Delphinatu praesunt, quum illic maiori saevitia quam alibi pios prosequantur, ut abiuratio confessiove fidei nulla alia nobis extorqueatur quam quae sacro Dei verbo nobis tradita est, neque posthac de fide nobis molestiam exhibeant carceribus, quaestionibus et mulctis, confessionem quam nobis non extundant alienam a fide nostra, nisi aut proborum virorum testimoniis aut ingenuis nostris confessionibus nos convinctos [2]) teneant alicuius erroris. Errorem autem, cuius nos postulabant, arguant e puro Dei verbo, per quod etiam nobis liceat nostras partes tueri, quod hactenus per illos nobis non licuit. Quod si non possint e pura Dei scriptura, ut aequum est, negotium nobis facessere desinant ad futurum generale concilium, aut poena talionis puniantur. Neque enim aut Lutherani sumus aut Valdenses aut haeretici, sed christiani duntaxat. Non regi neque potestatibus rebelles sumus, ut nos falso accusant adversarii [3]) quo male audiamus apud regem, sed obsequentissimi, si qui alii, et fideles ad omnia quae iure debentur. Denique testamur, nos in nullum cuiusquam hominis singulare dogma conspirasse. Siquidem decem legis praecepta amplectimur, duodecim fidei nostrae capita quae symbolo praescripta sunt, et omnino, tum in genere, tum in specie, quidquid doctrinae utroque testamento continetur, Deum unum agnoscentes, fidem unam et legem unam, unum autem regem. Ac rursum coram Deo testamur, adversum conscientiae nostrae fidem esse quaecunque nobis confessio ab hac diversa violenter extorta fuerit. Quapropter iterum a vobis supplices petimus, per Dei virtutem et vivam caritatem qua nobis membris vestris ab eodem Christi corpore debetis praesidium, ac in sancta postulatione pro autoritate pietateque vestra, apud regem suppetias nobis feratis, quo tandem per Dei misericordiam vestra opera tyrannorum inhumanitas cohibeatur, nobisque liceat quod reliquum est vitae vobiscum in eadem religione et puro Dei cultu quieto transigere.

Vestri in Christo fratres regi Galliarum subditi, in Gallia partim innumeris persequutionibus pressi, partim extra proprias domos patriamque exsilio dispersi. [4])

9) *Plures aliae eiusdem ad eundem epistolae exstant in eadem bibliotheca quas omnes transscribere, quum ad Calvinum minus etiam pertinerent, non attinebat.*

31. 1) *Edictum de Coucy dictum et d. 16. Iulii* 1535 *promulgatum, descriptum est in France protestante, Pièces justif. N. IV. cf. Sismondi, hist. de France XVI.* 459 *seq. Conditiones ἀμνηστίας sic ibi enunciatae sunt:* pourveu quils seront tenuz de vivre comme bons et vrays Crestiens catholiques doivent faire et se desister de leursdits erreurs quils seront tenuz abiurer canoniquement dedans six mois prochainement venans a compter du iour de la publication des presentes par devant leurs diocesains ou leurs vicaires et officiaux et avec eux linquisiteur de la foy ou son vicaire.

2) *sic!*

3) *Vide maxime Calvini praefationem ad Regem.*

4) *Neque autorem huius petitionis nominatim designare possumus, neque viam indicare qua ad Helvetios et Argentoratenses pervenerit. Quorum ad Reges literas deprecatorias ex pluribus paucas hic subiicimus. De quibus Sleidanus L. X. T. II. p.* 51 *ed. Francof.* 1786 *haec habet:* Tigurini, Bernates, Basilienses, Argentoratenses ad Galliae regem intercedunt pro iis qui propter religionem erant in vinculis, et ut exsules restituerentur orabant. Rex iam antea redeundi facultatem de-

32.

SENATUS ARGENTORATENSIS FRANCISCO REGI.

Intercedit pro Gallis propter religionem vel profugis vel captivis iisque meliores restitutionis conditiones ut concedantur rogat.

(Ex Tomo Missivorum in Archiv. Turic. Plut. I. 1102, fol. 216. Exemplar pessime et mendosissime descriptum quod passim tacite emendavimus, partim hic asteriscis appositis aliorum sagacitati emendandum relinquimus. Simlerus vol. 41 iam nonnulla tentaverat.)

Potentissimo atque christianissimo principi Francisco Regi Franciae Domino nostro observandissimo.

Potentissimo atque christianissimo principi Francisco Regi Francorum etc. omnimodam felicitatem precantur obsequiumque suum addicunt.

Quum pridem, Rex christianissime, apud nos percrebuisset gravem admodum religionis causa in regno M. V. ortam perturbationem, qua multi a Deo [1]) ad dira raperentur supplicia, plures verterent solum, doluimus vicem regni alioquin florentissimi, probe scilicet experti quid in hisce turbis quidam moliri et efficere apud principes soleant, qui religionis titulo suae plerumque licentiae patrocinium quaerunt, ut nimirum violatae religionis dent poenas qui religioni Christi sincerius student. Certe qui e Galliis ad nos confugerunt, quorumque vita et mores nobis innotuerunt, praeter summam pietatem et observantiam erga M. V. et regnum omne, eam etiam praestiterunt erga Christum Dominum nostrum et ecclesiam eius atque huius veras traditiones religionem eam, denique erga omnes innocentiam atque modestiam, ut non dubitemus eos inter veros religiosos atque bonos viros numerandos. Hoc ergo amplius exhilarati sumus, ubi audivimus M. V. pro eximia clementia sua, et quod indubie deprehendit eos plures calumniis quam veris criminibus in discrimen adductos, decrevisse et edixisse, quicunque hactenus erroris et haereseos suspecti, notati ac etiam accusati, nec non vincti, proscripti et extorres hac de causa facti essent, illis abolitis hisce criminibus neminem debere negotium facessere ex his dictis et factis eorum quae ante edicti istius publicationem admissa sint, et qui vincti essent ex vinculis liberari, qui rebus suis exspoliati, eas illis restitui, qui exsulant reditum in patriam concedi, hisque omnibus deinde licere in regno M. V. quiete agere, eadem qua alii M. V. subditi immunitate et libertate gaudentes: hac tamen conditione adiuncta ut ii omnes qui ista M. V. abolitione et indulgentia uti velint, intra sex menses ab edicti huius publicatione profiteantur coram dioecesanis aut eorum vicariis et officialibus, atque inquisitore fidei vel eius vicario, se poenitere omnium quae dixerint et fecerint contra sanctam fidem, legem catholicam, sanctaeque ecclesiae constitutiones atque traditiones, abiurando sua ipsorum dicta et facta, atque se posthac [*victuros*] ac morituros in sancta obedientia sanctae ecclesiae eiusque constitutionum atque traditionum. Hanc ubi cognovimus M. V. clementiam et indulgentiam, admodum in Domino gavisi sumus, non tam propter innocuos qui se apud nos exsulantes bonis omnibus approbaverunt ut vere pios, quam propter M. V. regnum ipsum, eo quod nihil sit quod viam [2]) Dei gravius provocet, quam afflictio innoxiorum, maxime qui Christi nomen vera fide invocant. Agimus itaque Deo O. M. pro hoc summo certe suo in V. M. et regnum munere ingentes gratias et in gloriam Domini nostri Iesu Christi M. V. laetis animis praedicamus.

At vero ubi pressius consideramus conditionem illam adiectam, veremur adhuc ne plerisque vere innocuis ista M. V. indulgentia et gratia uti non liceat eiusque conditionis occasione posthac quoque sit contra bonos locus calumniae. Iubentur nimirum omnes, qui erroris accusati vel etiam suspecti tantum sunt et notati, profiteri apud dioecesanos aut eorum vicarios et officiales atque inquisitorem fidei eiusve vicarium, se poenitere omnium quae prius fecerunt et dixerunt, contraveniendo sanctae fidei, atque sua ipsorum facta et dicta abiurare. Iam plurimi, quos nonnulli magis studio tutandi suos abusus et arcendi status sui depravatissimi reformationem quam ulla cura religionis suspectos erroris fecerunt et notarunt vel etiam accusarunt, nullorum sibi conscii sunt dictorum aut factorum contra sanctam fidem, legem catholicam, ecclesiam sanctam eiusque constitutiones et traditiones. Proinde nulla bona conscientia talium dictorum factorumque poenitentiam profiteri illave abiurare possunt, hactenus [3]) notam et infamiam et ex hac status et rerum suarum bonis haudquaquam negligenda damna, quae ista professione et abiuratione immerito sibi ipsi accerserent. Deinde quum nemo

derat profugis et libertatem concesserat captivis, ea lege si quidem ad episcopos crimen intentatum abiurarent et in posterum recte caverent. Hanc vero conditionem legati cupiebant omnino remitti et rex nonnihil quidem laxavit, sed desiderio tamen illorum non satisfecit, et die 24. Februarii (1537) per Annam Momorancium curiae magistrum respondit. De quo suspicio deinde fuit quod ipsius impulsu rex nimis liberaliter egisset. Usi fuerunt opera Reginae Navarrae legati, quae soror erat germana Regis, lectissima mulier et verae doctrinae perquam studiosa.

32. 1) adeo?

2) *lege:* iram.

3) *Sequentia corrupta videntur.*

infitietur, ne ipsi quidem ecclesiastici, in ordinem hunc multum irrepsisse vitiorum, et qui Christum vere amant non possunt non summe dolere et detestari plerosque illorum, quos oportebat esse salem terrae et lucem mundi, quique ex munere suo debebant omnibus praeire summa et vitae et doctrinae sanctimonia, adeo gregem Domini negligere, ne dicamus vastare, quem sibi ille sanguine suo mercatus est: quam facile fieri possit ut, dum solis ecclesiasticis, et his sine delectu, cognitio et iudicium de religione permittitur, multi optimi viri rursus improbitate quorundam, qui in hoc ordine loco et nomine potius quam merito primas tenent, haereseos accerserentur.[4]) Nam quo quisque religiosior est, hoc coeto[5]) Christi et ecclesiae eius amplius flagrat minusque tum celum[6]) dissimulare potest. His itaque bonis et celantibus[7]) pro Christo viris si excidit verbulum, etiam in manifestissimos abusus, imo etiam scelera et flagitia eorum hominum qui ecclesiastici habentur, ipsi quum iudices sint, quam facile clamitabunt dictum esse aliquid contra rectam fidem, ecclesiam Dei vel eius traditiones? Eo pacto innoxii piique homines, quorum quieti et tranquillitati M. V. hoc edicto consulere statuit, in gravius discrimen eius edicti occasione inducerentur.

Quum igitur communi sensu humanitatis casus nos etiam quorumlibet mortalium merito tangat, deinde debeamus iis qui Christum Dominum pure colunt ut fratribus et membris nostris in Christo omnia, talesque plerosque deprehenderimus eorum quos regno M. V. eiecit nuper illa tempestas in religionis causa excita ut audivimus, per nimium improbos et non ferendos homines, supplicamus M. V., sola Dei ut * M. V. clementia et misericordia animati, ut, sicut illa semel benigna coepit, pergat bonos et innocuos calumniis malorum plene eximere, quibusque condonare intentata crimina instituit, ita ea dignetur condonare et abolere, ut neque quisquam contra conscientiam suam et in irrecuperabile damnum nominis et status sui infamare semetipsum cogatur eius mali quo nullum est atrocius et aeque infandum, haereseos scilicet et factionis contra ecclesiam Dei, neque porro in periculum huius sese coniicere. Utrumque vero hoc M. V., nostra quidem opinione, commodissime cavebit, si edicat vinctos liberari, exsules recipi, suspectos et notatos nullis iudiciis inquietari, accusatis crimina intentata aboleri, et omnes istos immunitati atque libertati civium regni M. V. restitui per publicos M. V. praefectos, adiunctis, si res ita poscat, ecclesiasticis, citra tamen professionem poenitentiae et abiurationem dictorum et factorum contra ecclesiam, quorum nimirum plurimi minime sibi conscii sunt: sed qui nomine M. V. illis edicant ut fidem sanctam Christi digne colant, et ecclesiam catholicam eiusque constitutiones et traditiones omni studio observent, regiam M. V. gravissime animadversuram in omnes eos qui deprehenderentur secus facere. Eo pacto nec cogentur innoxii sese immerito infamare aut fructu sanctissimae istius M. V. indulgentiae carere, quam nunc publice omnibus, qui modo deinceps pie et recte vivere volunt, offert: nec deerit malis suus metus ex eiusmodi comminatione, qua certe non minus licentia malorum absterrebitur, quam ulla possit professione poenitentiae et abiuratione errorum fieri. Tum, ne rursus boni et vere religiosi viri eorum qui, ut orbis videt, nihil minus quam veram Christi religionem et vitam ferre possunt, improbitate opprimantur, dignetur M. V. cognitionem de delatis et accusatis religionis non iis committere, qui plane ipsi religionis violatae tenentur, et manifesti hostes sunt omnium ecclésiasticorum reformationem expetentium, sed viris M. V. in religione omnique vita et solida quoque eruditione sic probatis, ut ab illis boni viri * exspectari possint. Verum in tanta causa[8]) iudicium utque[9]) in hac causa, hodie omnium nostrorum culpa tam perplexa et multis nominibus difficile,[10]) concedantur reis quae necessario in omni legitimo iudicio concedi oportet, usus scilicet necessariorum advocatorum et procuratorum iustumque defendendi se spatium et libertas. Hac ratione nec nocens quispiam, qui posthac in religionem peccaverit, latere aut evadere, nec innocens aliquis opprimi aut infamari indigne poterit, et consequetur plene M. V. fructus huius sanctae indulgentiae suae quam[11]) instituit et religioni atque ecclesiae per Gallias suum honorem suamque tranquillitatem sarcire, et cavere, ne indigne vexentur, qui aut veniae[12]) non malitiose admissorum aut quieti quoque bonorum virorum, quum nihil scilicet deliquerunt. Digni sunt istiusmodi itaque moderatione edicti, ut non dubitemus M. V. futuram[13]) quod Christus servator noster, qui venit ut quaereret et salvum faceret quod perierat, cuius clemens et indulgens iudicium omnes expetimus, maxime comprobet et misericordia sua largiter compenset, quodque M. V. singulari gloriae sit apud omnes qui Christum vere colunt, quod denique solatiae[14]) sit civibus M. V. mire afflictis, ac comprobetur eximie a reliquis quoque bonis et aequis. Sic nos istud vere regium et

4) accusarentur.
5) zelo.
6) hunc zelum.
7) zelantibus.

8) *sequentia misere corrupta, et aliquid intercidisse videtur.*
9) atque?
10) difficili.
11) *vide an legendum sit:* qua, *vel* per quam.
12) *haec quid sibi velint non assequimur.*
13) facturam.
14) *sic!*

rege christianissimo dignissimum beneficium digna laude pro virili nostra celebrabimus, et dignis nobis officiis erga M. V. gratitudinem nostram testari dabimus operam, quam Deus Opt. Max. pro gloria nominis sui servare felicemque reddere dignetur. Argentorati 3. Iulii 1536.

Serenissimae Maiestatis Vestrae
studiosi
Consul et senatus Argentoratensis.

33.

SENATUS TURICENSIS FRANCISCO REGI.

Supplex exhortatio eadem ac praecedens occasione conscripta.

(Ex Tomo Missivorum in Archivis Turic. Plut. I. 1102, fol. 210. — Simler vol. 41.)

Serenissimo potentissimoque ac christianissimo Principi et Domino, Domino Francisco Regi Franciae, Domino nostro observandissimo.

Serenissime potentissimeque ac christianissime Rex!

Non sine Opt. Max. Dei nostri filiique sui unigeniti clementia ac spiritus sancti instinctu et spiramine factum est, ut R. V. M. nuper exsules et profugos propter fidem edicto suo regio in regnum et ditiones, aliquot adiectis libertatibus, clementer revocarit. Qua quidem clementia ipsius Dei omnipotentis, in cuius manu corda regum sunt, et qui vere in eum credentes nunquam deserit, summam bonitatem considerantes, illi de tantis gratiis mera misericordia eius in R. M. V. collatis, qui videlicet regium animum vestrum tantum mitigare ac rore misericordiae suae foecundare dignatus est, maximas perpetuasque agimus gratias: sperantes fore ut, nedum regni sui florentissimi, sed et animae felicitatemque gloriamque inde consequatur aeternam. Quum autem, christianissime Rex, veridico fratrum et amicorum nostrorum in fide testimonio didicerimus, bonos illos viros a regno propulsos omnibus rationibus et viribus nominis, gloriae augendaeque dignitatis R. M. V. interim fuisse et adhuc esse studiosissimos, et reipublicae gallicae honoribus prosperisque successibus, quacunque simultate cessante, candide ex corde favere, nihilque aliud in animo habere aut desiderare, quam Dei gloriam et evangelii sui sancti incrementum, iure et christiana cogimur caritate pro uberiori clementia apud R. M. V. scriptis intercedere, maxime quum eandem fidei confessionem scriptura divina [1]) approbatissimam fundatissimamque nobiscum teneant, unicamque viam salutis, nempe nos per Iesum Christum unicum Dei filium pro nobis in cruce semel oblatum salvatos, et patri cunctipotenti placatos, peccataque nostra per mortem eius condonata esse puro profiteantur. Hoc unum R. M. V. in visceribus Iesu Christi salvatoris nostri, quantum in nobis est, intimoque cordis affectu petimus et oramus, ut quia tanta gratia suos prosequuta fuerit, ampliori benignitate eos fovere non dedignetur: imo Dei publicaeque iustitiae et nostri intuitu, quum boni illi viri sibi erroris conscii non sint, sed errorum hostes christiani, non haeretici sed haeresium impugnatores, nec seditiosi sed R. M. V. et magistratibus illius obsequentissimi, solita sua clementia abiurationem in literis suis vulgatam, quae cum confessione praedicta pugnare videtur, tollere remittereque, praeterea etiam in regno suo mandare velit, ut si qui posthac de fide accusati, aut haereseos insimulati fuerint, per M. V. liceat puro Dei verbo se ipsos tueri, tutarique eorum innocentiam, habereque procuratores et advocatos, qui per canonicas scripturas eis libere audeant patrocinari, neque permittatur, ut inauditi quovis modo damnentur, torqueantur aut poenis aliquibus affligantur, verum responsio et innocentia eorum, prout ius et aequitas suadet, audiatur, aliasque ita christiano et benigne tractentur ut libere et impune possint in ditione S. V. quiete vivere absque molestia et abiuratione praedicta. Quod si S. V. Dei intuitu indulserit, nemo negabit hoc esse opus piissimum, tanto rege dignum nobisque gratissimum, quod candido semper ac paratissimo rependere studebimus animo, Deum Opt. Max. deprecantes ut S. V. M. totumque Galliarum statum in sua gratia et misericordia tutari et feliciter conservare dignetur.

Ex Tiguro XIII. Iulii M. D. XXXVI. [2])

Serenissimae M. V.
studiosi
Consul et senatus Tigurinus.

34.

CALVINUS DANIELI.

Silentium diuturnum excusat, tum itinere Basileensi, tum morbo quominus scriberet impeditus. Institutionis suae versionem gallicam parat. Nonnulla

33. 1) *sic!*
2) conscripta est epistola per W. Bigelium archigrammateum Tig. (*in margine*).

addit de disputatione Lausannensi a qua propediem ad alios conventus theologorum helveticorum abiturus est.

(Ex apographo Petri Danielis in Bibl. Bern. Cod. 450, fol. 128. Apographa recentiora exstant ibid. Cod. 141, fol. 44 et 45 et apud Simlerum vol. 41. — Cod. Genev. 106, fol. 2 v. habet nonnisi paucos versus. — Edidit Sinner l. c. III. 239 et anglice Bonnet-C. I. p. 20 qui ex Cod. 141 *et* 142 (?) se textum habuisse testatur.)

Io. Calvinus F. Danieli S. D. 1)

Ne adversus meam ignaviam pro veteri tua consuetudine longam clamosamque accusationem instruas, quum totum iam trimestre elapsum fuerit quo nullae tibi a me literae venerunt, rem ut omnino est paucis accipe. Dum Genevae diebus aliquot a fratribus detineor, 2) donec reditus a me promissionem extorquerent, dum cognatum *Artesium* 3) Basileam deduco, ac in ipso itinere ecclesias multas offendo, 4) quibus immorari aliquantisper rogor, 5) elapsae sunt interim mihi nundinae Augustae, 6) quarum tempus ad perferendas literas inprimis erat opportunum. Porro Genevam simul ac me recepi, correptus sum vehementi catarrho, qui tanta vi in superiorem gingivam incubuerat, ut duplici phlebotomia bis repetitis catapotiis compluribusque fomentis nono demum die vix fuerit mitigatus. Certe nec dum 7) discussus est post amissam illam occasionem, tametsi otii satis fuit ad scribendum, neque penitus clausa erat literis nostris via. Quia tamen singulis momentis de gallica libelli nostri 8) editione cogitabamus, et spes prope certa iam esse coeperat, literas eius accessione dotatas 9) venire ad vos malebam, quam inanes. Antequam vero deliberando illa 10) conciderat, disputationum Lausannensium 11) dies iam impendebat, quibus me interesse oportebat. Simul et nundinas Novembres instare prospiciebam, quas quoniam ad scribendum ducebam fore tempestiviores, earum occasionem exspectare satius tandem visum fuit. Haec ad cohibendas tuas expostulationes.

Disputationum istarum, quarum mentionem nuper inieci, rumorem 12) sic longe lateque pervagatum esse intelligo, ut aliqua eius aura urbem vestram afflatam esse nihil dubitem. Institutae fuerunt senatus Bernensis decreto, cum solenni edicto, 13) quo impune liberumque unicuique iussit esse senatus proponere quod ad religionis suae dissensionem 14) pertinere videretur. Hanc optimam esse rationem putarunt qua eorum inscitiam publice traducerent, qui verae religioni adversari conarentur, atque ita triumphatam ex hac nova ditione, quam e manibus ducis Sabaudiae receperunt, ablegarent. 15) Iam ex multis locis idola et altaria labefactari coeperunt, ac brevi futurum spero ut quod adhuc superest repurgetur. Faxit Dominus ut ex omnium cordibus idololatria corruat. Ipsius vero disputationis μορφὴν 16) ideo tibi non describo, quod nec brevi sermone complecti queam, et aliquando editum iri confido. Bernam cras, si Dominus dederit, proficiscar, qua de re ex aliis nostris literis disces, et vereor ne Basileam usque sit pergendum. Quam tamen molestiam, quoad licebit, effugere contendam, praesertim fracta valetudine, et anni tempestate valde adversa. Si tamen tantum esset boni animi, quantum verborum, otiosis illis ventribus, qui apud vos suaviter in umbra garriunt, hac 17) profecto ad suscipiendam laboris partem ultro advolarent, cui adeo pauci sufficere nequimus. Vix persuaderi possis quanta sit ministrorum penuria, prae ecclesiarum multitudine quae pastorum egent. Utinam, si qui saltem sunt inter vos cordatiores, 18) spectata ecclesiae necessitate, subsidiariam operam ferre in animum inducant. Dominus te conservet. Lausannae 3. Id. Octobres.

Saluta 19) quaeso diligenter nostro nomine matrem ac sororem tuam, uxorem etiam, si videbitur, cognatum et caeteros omnes.

Martianus Lucanius tuus.

---

34. 1) *vacat in archetypo* (*B.* 450).

2) *Kampsch. I.* 281. *Cf. Calvini praef. in Psalmos.*

3) *Quem hic significet nescimus. Fratrem Antonium sic vocasse (cui etiam sororem Mariam Bonnetus comitem addit suo iure) vix nobis persuademus. Vide potius N.* 90.

4) I gave offence (!). *Cf. quoque Henry I.* 163. *Staehelin* 121.

5) cogor *B.* 141 *utrq.*

6) *i. e. mense Augusto Lugduni habendae.*

7) *Add.* plane *B.* 141 *utrq.*

8) *Institutionis rel. chr. quam hodieque nonnulli primum gallice editam perhibent!*

9) ditatas *Simler*. enriched. B.-C.

10) *scil.* spes. *Cod.* 141: deliberatio illa, *et inde Anglus:* before my intention could be fulfilled.

11) *mense Octobre ineunte habitarum. Cf. Tom. IX. prolegg. p.* 53 *et ibidem p.* 701. 877.

12) rationem *B.* 141 *prior.*

13) *Ruchat IV. Pièces just. p.* 500.

14) defensionem *B.* 141 *prior.*

15) *Haec satis obscure dicta.* Ablegantes, *utrum Bernenses sunt, an verae religionis adversarii? Si hi, verbum referri debet ad* religionem, *sin vero illi, ad* inscitiam. *Idem dicendum de voc.* triumphatam. *Sensum omnino non assequutus est Anglus:* that they might render of no avail the triumph arising out of this new anthority *etc.*

16) *B.* 450 *in margine,* 141 *in textu:* formam.

17) *Sic* 450 *et* 141 *posterius. Magis placet* huc *caett.* — *Quae hic de itineribus Bernam et Basileam versus suscipiendis dicit, partim ad conventum de concordia c. Lutheranis ineunda spectare videntur, partim ex sequenti epistola lucem aliquam accipient.*

18) *Add.* however few they may be in number.

19) *Post-scriptum abest a B.* 141 *priore, subscriptio a B.* 450.

35.

MEGANDER TURICENSIBUS MINISTRIS.[1]

Post disputationem Lausannensem celebratus est conventus ministrorum totius ditionis Bernensis de concordia cum Lutheranis autore Bucero ineunda. Quo quid effectum sit et impetratum paucis exponit.

(Ex autographo Bibl. civ. Turic. F. 62 olim Epp. T. 27, fol. 259. — Simler vol. 41.

Leoni ac Bullingero fratribus suis in Domino omnium carissimis.

Gratiam a Domino. Quod tardius scribo, fratres carissimi, ne aegre feratis plurimum rogo. Non enim citius, ni inabsoluto negotio, vobis scribere potui. Disputatione Lausannensi, quae felicissime successit, dies consummavi ac contrivi duodecim.[2]) Huius mensis decimo sexto noctu synodus nostra parochorum numero trecentorum, quatuor minus, coacta est.[3]) Inter quos erant viri linguae gallicae aliquot doctissimi, *Calvinus* videlicet, D. *Carolus*,[4]) Thomas *Malingrius* et quidam alii. De lutherana confessione synodus haec nostra quid sentiat, quoquo[5]) modo articuli eorundemque *Buceri* expositio eidem probetur, praesens hoc nostrum scriptum testatur, quod a senatu populoque nostro hac qua vobis transmittimus forma receptum est. Et certe nisi parum[6]) studiosi alendae concordiae visi fuissemus, *Lutheri* confessio a synodo nostra tota reiecta fuisset, idque propter crebras ambiguitates. Spectandum enim nobis, quemadmodum fideliter quidam admonuit, ne nos Helveticae ecclesiae segregemus et partiamur. Quod si, de religione actum esse, idem adfirmat. Non dubito quam quod nostram responsionem, nisi pacis amans et studiosus esse non velit, *Lutherus* non aversurus sit.[7]) Cui vero rei responsione nostra innitamur, facile vobis patere puto. Videlicet fratrum Argentoratensium vel explicationi, vel coram factae contestationi de *Luthero*. Qui si sensum hunc suum minus esse adseruerit, negotium nobis nullum fuit cum *Luthero* et confessione eius. Atque ita extra periculum. Haec vobis paucis significare volumus, fratres carissimi, nosque plurimum commendare. Bernae, 20. Octobris anno 36.

Megander ex animo vester.

36.

LE SÉNAT DE BERNE A VIRET.

Recommandation de P. Caroli nouvellement nommé ministre à Lausanne, et que Viret doit aider de son expérience et de ses conseils.

(Paris. Bibl. impériale. Collection Dupuy. Vol. 102, fol. 70 Copie.)

L'Advoyer et Conseil de Berne, nostre salut.

Scavant discret cher et feal, tu scais comme avons ordonné docteur *Carolus* pour servir les nostres de Lausanne en lannunciation de la saincte doctrine et pource qu'as illec desia experimenté le populaire facon de faire et autres à cela necessaires et que luy sera en ce faict comme novice, le t'avons voulsu recommander par admonestation qu'en ce que luy pourras faire gratuité avancement et service à sa personne, ce face par charité, combien que sans cecy te cognoissons ny feras faute. Datum 1. Novembris anno 1536.[1])

37.

BUCERUS CALVINO.

Desiderio flagrat cum Calvino de rebus ecclesiasticis conferre maximeque de concordia tandem ali-

---

35. 1) *Post. Berth. Halleri obitum* (26. *Febr.* 1536) *Caspar Megander inter ministros Bernenses primum locum obtinebat, vir, si Conzenum audieris, intolerabiliter fastuosus, in bonis literis et disciplinis non tam eruditus quam est alioqui temerarius* (*Conzenus Neobolo* 2. *Febr.* 1538). *Ipsum tamen Conzenum ab aliis non maioribus laudibus elatum videbimus. — Turicenses ministros duos tantum nominatim alloquitur, Bullingerum τὸν πάνυ, et Leonem Iudae.*

2) *Quae tamen perduraverat nonnisi a* 2. *ad* 8. *Oct.*

3) *Agebatur de concordia Vitebergica, quam Bucerus et Capito omnibus modis Helvetiis commendabant, et antea iam ter hoc ipso anno Basileae recipiendam proposuerant. Cf. Hess, Leben Bullingers I.* 247 *s. Kirchhofer, Myconius* 280 *s., Hundeshagen Conflicte p.* 67.

4) *De Carolo vide Proll. T. V. p.* 43, *T. VII. p.* 30. *Thom. Malingrius minister Neocomensis.*

5) *sic.*

6) *sic.*

7) *sic.*

36. 1) *Pierre Caroli avait assisté à la disputation de Lausanne à laquelle il avait pris une part très-active. Aussitôt après, l'ancien avoyer I. I. de Watteville le présenta au Conseil des Deux-cents à Lausanne de la part de LL. EE. de Berne comme premier pasteur de la ville. Viret, qui n'était âgé que de* 25 *ans, dut prendre la seconde place* (*Caroli étant son aîné*) *malgré les titres que lui donnaient ses antécédents. Voyez Ruchat IV.* 380 *ss. V.* 16 *ss. A Berne on eut bientôt reconnu qu'on s'était trompé sur la valeur de cet homme, aussi la présente recommandation, qui le traite de novice et le met pour ainsi dire sous la tutelle de Viret, n'est-elle pas déjà trop flatteuse. Comp. aussi Opp. T. VII. p.* 306 *et* 334 *suiv.*

quando inter Germanos et Helvetios, circa rem eucharisticam puta, stabilienda, rogatque ut ad eum finem locum aliquem quo convenire et colloqui possint designet.

(In MSS. non exstat. Edita est a Beza Gen. p. 6, Laus. p. 7, Hanov. p. 8, Chouet p. 3, Amst. p. 2.)

Gratia et pax augeatur tibi frater et symmysta in Domino unice colende. Oravimus nuper Basileae coram, nunc per literas, clarissimum et vere nobilem virum D. Maurum *Musaeum*,[1]) a te ut nobis impetraret, uti sustineres de religione nostra nobiscum coram commentari. Videmur nobis agnoscere, Dominum instituisse tui usum ecclesiis suis uberrimum concedere, eisque tuo ministerio latissime commodare. Proinde ut par est optamus non nos modo, quorum nimirum non est apud ecclesias tanta autoritas, sed ecclesias ipsas et qui ad illius ministerium iuvenes apud nos et alibi educantur, tecum per omnia convenire. Quam multum siquidem parvae dissentiunculae praecipuorum ministrorum ecclesiis obsint, haud dubie satis perpensum habes. Atqui dedit Dominus, ni fallor, ut, si liceat tua omnia rite accipere, aliquid ad promovendum hunc tecum ecclesiarum et ministrorum eius consensum possimus. Libentor itaque veniemus quo tu voles, ut in Domino summa cum observantia veritatis Christi, et tui, de tota administratione doctrinae Christi conferamus. Certo saeculum hoc sic profecit, tam calumniando etiam quae recte dicta scriptaque sunt, quam exactissime severissimeque iudicando, quae secus, ut nos, quibus modis omnibus curandum est, ut ministerium nostrum adferat fructus plurimum, vituperetur a nemine, nihil ad summam diligentiam reliqui facere debeamus, quo nostra omnia, non solum vera sanctaque sint, quae vel scribimus vel dicimus, sed sic etiam depromantur, ut quae vera sanctaque sint, agnoscere valeant καὶ νήπιοι in ecclesia. Ad eam vero rem, quanti fecerit sanctorum conventus et colloquia D. Paulus, nosti mi frater et symmysta in Domino venerande. Quantum leve huic fuit per terras, per maria transcurrere ipsum, et suos, quos noverat vero aedificandi ecclesias studio teneri, monere ad sanctum colloquium. Ergo in Domino suspiciende frater, condic nobis locum, sive Basileae sive Bernae, si aliter non potest, Gebennis, ut pertractemus religiose, quae etiamsi tibi certa sunt, nobis tamen pro nostra tarditate explicatione ampliore indigent. Etiam insipientibus debitores esse nosti, quanquam vere sapimus. Utinam vero nobis per ecclesiarum negotia certe non negligenda, liceat brevi nos Helvetiis videre, etiam invocatos. Optime vale vir doctissime et sanctissime, et ne contemnas preces meas, doloremque eo super dolorem mihi adiicias. Nam quod non est datum te nosse et appellare quum hic esses, dici non potest ut doleat.[2]) Communicat mihi alioqui *Capito* omnia. Hic nescio quis sinister spiritus eum tam obliviosum fecerit, ut omiserit vel non meminerit te mihi prodere, quod et ipsi nunc dolet admodum. Argentorati Calend. Novemb. M. D. XXXVI.[3])

37. 1) *Morelet de Museau, Seigneur de Marcheferrière, cuius pater Francisci Regis legatus apud Helvetios fuerat, quo munere et ipse postea functus est, Briçonneti episcopi Meldensis affinis, a.* 1534 *religionis causa Basileam se receperat.*

2) *Haec sane mira videntur et tibi persuadere possent, quo tempore C. Argentorati commoratus est e Gallia egressus, Bucerum absentem fuisse. Tum vero simul corruent quae supra ad Ep.* 16 *ex coniectura proposuimus.*

3) *Paucis diebus post scil.* 14. *Nov. conventus habitus est novus Basileae de quo v. Baum, Butzer. p.* 517.

38.

DER RATH ZU STRASSBURG AN DEN ZU BASEL.

Auf Veranlassung Calvins hat der Rath durch seine Prediger in Erfahrung gebracht dass die frühern Schreiben der Städte an den König von Frankreich zu Gunsten der Protestanten nichts gefruchtet, aus mehrerlei Ursachen und Vorwänden. Er bittet daher dass auf nächstbevorstehendem Eidgenossentag eine eigene Gesandtschaft zu gleichem Zweck beantragt werde, welcher sich Strassburg ebenfalls anschliessen würde.

(Baseler Stadtarchiv. Acta wegen Glaubensverfolgungen in Frankreich 1536—1574. L. 159/162. No. 8. Auf der Rückseite: Lectae sabbato XI. Nov. Anno 1536.)

Den Ersamen weisen vnnsern besondern lieben guten Freunden vnd vertrauoten Nachpern dem Burgermeyster vnnd dem Rhat zu Basel.

Den Ersamen weisen vnnsern besondern lieben guten Freunden vnd vertraueten Nachpuren, dem Burgermeister vnnd dem Rhat zu Basel Entpieten wir Egnolff Ryder von *Diersperg* der Meister vnnd der Rhat zu Strassburg vnnsern freuntlichen willigen dienst. Besonder lieben guten Freundt vnd vertrawte Nachpuren. Es haben vnns der wolgelert Johannes *Caluinus* vnnd Gauchius *Farellus*[1]) beide frantzosen, von Ir vnd anderer so vmb des heyligen Evangeli willen vss franckrich vertriben seindt, durch die hoch vnnd wolgelerten vnsern

38. 1) *Gauchier Farel, Wilhelms Bruder.*

prediger herrn Wolffgangen *Capitonem* doctorn vnnd herrn Martin *Butzern* berichten lassen. Nachdem wir sampt eueren vnd andern stetten des Evangeli für sie an die Kön. M^t. in franckrich geschrieben das sy des vergrifflichen eyds, so sy wo sy zu dem jren komen wolten sollten schweren, erlassen vnd gebürliche form der Rechtuertigung gegen jnen zu gebruchen, dieselbige fürschrifft die habe jnen souil dennocht bey der Ko. M^t. erschossen das sy desselben güdiglichen vertrost, aber der worenden kriegsgescheefft halben die brieff verlegt worden, das jnen noch kein volkomen Anntwurt begegnet, noch durch die Ko. M^t. jr gnediges erpieten offentlich inns werk komen, vnnd dasselbige one zweifel durch der widerwertigen verhindern. Sodann thuen sich die widerwertigen nach diser der Ko. M^t. sitzung jrer tyranney gegen den entweichnen vnd auch gegen denen so dem heil. Evangeli geneigt zu sein verdacht gebruchen, dererwegen jnen hoh von nötten, das die Ko. M^t. die obangeregt jr gnedig Anntwurt eroffnete, das sy hoffen desto volkomenlicher zu erlangen wodurch vnnsre lieben vnnd guten freunndt zu Bern ein Bottschafft zu der Ko. M^t. geschickt wurde die jn vnser aller Namen, so also für sy geschriben mündtlichen darumben angesucht vnd geworben hette, haben vnns angesucht vnd gebetten vnnsers theils in ein sollich Bottschaft zu willigen. Dieweil wir nun jnen als vnnsern lieben brüdern vnnd betruebten mitgliedern Iesu Cristi, vss sonndern Cristlichen mitleiden geholffen zu sein gern sehen vnnd haben wollten, so haben wir jnen desto lieber vnd gerner wellen har inn wilfaren, vnnd dann wir vernemmen das jetzo ein Tag vnser lieben freundt der eydgenossen sein soll, so bitten wir euch freuntlichen vnnd mit sonderm vleis Ir wellen gleichermassen jnen in dem wilfaren vnnd vff demselben tag, durch ewer erbare Botten bey denen jenen Cristlichen stetten so jnen neben vnns mit jrer fürschrifft gegen Ko^r. M^t. erschossen, vnd sonnderlichen vnsern lieben freunden zu Bern ansuchen ob sy jnen ein sollich Bottschaft gleicherweis wolten lassen gefallen. Das jr vnns dann desselbigen wiederumben berichten, wollten wir ein Instruction vff denselben Gesandten dessen Namen Ir vns zuschreiben möchten jn vnserm Namen lassen stellen, ob doch den armen betruebten geholffen oder jnen mer ruwe geschafft werden möcht. Vnd jr werden her jnn ein sonder gotgefellig werk Cristlicher lieb erzeigen. So wellens wir vmb euch vnser sonder lieb vnnd gut freundt mit freuntlichem Dienst vnd Nachpurlichem willen auch haben zu verdienen. Datum 4^a Novembris anno ect. xxxvi.

39.

FARELLUS LIBERTETO.

Amici animum erigit curis et laboribus obrutum. Queritur de Caroli superbia, de Vireto utrinque neglecto, de ministrorum penuria. Iterum Viretum Genevensibus reddi cupit. Libertati collegam lautius viventem obiurgat.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. I. N. 20. — Exstat quoque Turici in bibl. civic. MSS. B. 217, p. 71 et ap. Simler vol. 41.)

Suo Christophoro Tononii.

S. Gratiam pacem et misericordiam a Deo patre per Dominum Iesum. Non est quod deiiciaris animo, mi frater, si tam sibi cohaereant mala ut unum ab altero excipiatur. Ita nos erudit Dominus ut toti ab ipso pendeamus et ingentibus suspiriis propitium invocemus patrem, in quo tam segnes sumus ut prorsus nulli. Vidimus literas quas *Carolus* scribit ad fratres qui agunt in ecclesiis sibi creditis: nisi me fallit sensus, omnes videtur suae curae creditas innuere.[1]) Quod hoc siet tandem, novit Dominus. Tu an vocatus sis ad 24. diem, 23. sub noctem illic futurus, nescio. Praeterea non satis capio qui magis negligant *Viretum* nostrum, Bernatesne an Lausannenses, ut fratris nulli rationem habeant, sed eorum tantum qui vix inspiciunt opus Domini. Saniorem det mentem Dominus ac faxit ut fratris ratio habeatur. Hunc conveni ut iusseras. Bene spero de eo. Quod superest, tuum erit perficere, si potes, per virum qui lubens audiatur ab isto qui Aegyptia plane omnia adhuc retinet, quodque intus non habet, foris apparere ac reputari vult, cui non facile mederi potest. Ipsum emitte, et quod per te commode non potes per alium facito. Nec praecipites aliquid, sed mature curato omnia, ne qua iactura fiat, sive istius, sivo plebis. Domino commenda quidquid est, poscens ut spiritu sapientiae ac prudentiae te ditet, ut in istis et aliis probe te geras. Iubeor evocare undique ministros,[2]) sed unde, plane ignoro. Qui aptiores sunt, ac purius Christum spirant, negliguntur. Larvae, et quidquid est insolentius, tolluntur ad sidera. Delicatiores non facile huc trahuntur. Malunt in sepulcris Aegyptiorum sepeliri quam manna edere columnaque dirigi in hac eremo. Tu si quid potes apud bonos viros, adiuva nos. Scribe ac urge literis, ut veniant idonei. Si Dominus nobis reddat

---

39. 1) *Cf. supra N. 36 et Ruchat V. p. 20.*
2) *Probabiliter ecclesiis ditionis Lausannensis destinatos recens ad sacra reformata conversis. Quae quidem est sententia Ruchatii IV. 373 et Vulliemin. l. l. p. 340.*

Viretum, melius multo haec habebit ecclesia et vicinia. Vale bene, salutatis omnibus, ne praefectum taceam qui fratrum meminerit, quantum ecclesiae Christi fuerit utile. Nam huius gratia peto, et a piis ut petam adigor. Genevae, 21. Novemb. 1536.

Tuus Farellus.

Claudium salutabis quem aliud specimen dedisse voluissem quam coenae lantioris apud *Frumentum*, [3]) qui splendidius omnia curarat quam evangelium poscat. Dicito, ut tam apte fercula curet menti omnium proponere quam ventri illa fuere. Tunc erit non inutilis. Panatus ad formam loquendi Christi et apostolorum se formet ut facilius a legentibus sacra capiatur, valeque dicat practicis quos vocant.

3) *Ant. Froment (supra N. 29) tunc erat Liberteti collega Tononii. Ruchat IV.* 453.

40.

MINISTRI GENEVENSES LAUSANNENSIBUS.

Castigant statum rerum in ditione Lausannensi obtinentem, ubi in deligendis ministris, in caeremoniis instituendis aliisque talibus non omnino ad mentem evangelii, verum potius pontificio more ecclesiarum commodo provideri dixeris. Viretum Genevam arcessi cupiunt, ad colloquia ab ipsis nuper instituta vicinos invitant.

(Ex bibliotheca imper. Paris. Collect. Dupuy vol. 102, fol. 116. Apographon est ad saec. XVI. referendum. Exemplar mendosum.)

S. Gratiam et pacem a Deo patre nostro per Dominum Iesum. Summopere, fratres quam carissimi, nobis est advigilandum ne deflectamus a recta veritatis via, a puritate scripturae, inclinantes ad doxtram aut sinistram. Tyrannis pontificia procul ablegata est, ac rasis silentium impositum, tum ob doctrinam, tum ob vitam impuram. Alia ne rursus erigatur, videte ac cavete, fratres. Sic inter vos disciplina, ordo et omnia quae sanctam decent concionem petantur omnia non a pontifice nec a suis, nec iuxta pontificios ritus, sed a Christo Domino et a verbo suo. Binas excepimus literas quae unae [1]) sunt ad varios fratres, quae nostro coetui non admodum gratae sunt et non prorsus resipiunt christianam et fraternam modestiam, sed pontificium nescio quid et piis insolens. Quis unquam audivit alicui creditas ecclesias nondum visas, in quibus nec plantarit nec rigarit unquam? Illud in papam [2]) audimus frequens esse, verum in christianismo nunquam. Audimus de admittendis et recipiendis fratribus coetum haberi, etsi literis id non contineatur, sed de caeremoniis et moribus. Fratres quam carissimi, quibus gloria Dei est cordi, exactius disquiritur [3]) qui vobis sint recipiendi, quam purae sint doctrinae, quam vitae inculpatae, ne culpis alienis gravemini. Nec tantum ministrorum rationem habete, sed familiae, uxorum quoque, iuxta Pauli sanctam doctrinam, et si quid non rectum est componatur. Si fieri non potest, reiicitur [4]) iuxta verbum Domini. Qui sanam non ferunt doctrinam, non perferatis, nec quosvis Diotrephes: sed qui et verbo prosint et exemplo aedificent. Alias vobis et plebi ruinam paratis. Vos qui sano estis iudicio, quique pontificium excussistis iugum, Christo tantum et vos ac plebem captivantes, non dubito quin mox sitis olfacturi quid incendii paret Satan, ac spiritu Dei impiis reluctari [5]) conatibus. Quod ut faciatis per Christum vos obtestamur, invocato patris spiritu ac potenti auxilio, quo potentius quidquid in Christum erigitur deiiciatur armis potentibus Christi, quibus omnia in captivitatem ducuntur ac coguntur quae sese in Christum erigunt. Caeremonias novas nescio an struere velitis, aut quid sitis evecturi. Videte sana sint omnia. Satis actitatum est super his. Sic libertate uti liceat, nec quidquam offendiculi suboriatur vel tantilla rituum mutatione, dum lactens adhuc est populus, lactis vix particeps per infirmitatem, cui oportet fidos ministros Christi sese accommodare. *Viretum* desideramus hic tum sua tum ecclesiae huius causa, nec dubitamus quin nobis assentiatur. Ideo videte ut vices fratris suppleat aliquis. Vobis scio ministrorum penuriam esse, nobis non minor. Labores fratris, fidem et diligentiam, plus satis nota omnibus scimus. At attoniti reddimur, dum audimus ita cum eo actum quod aequo animo nulli ferendum censemus. Si quid indigne ferendum est, hoc maxime. Nullum pontificis factum auditum est esse tam pontificium, sicut audimus istud esse, in quod vociferari omnes debent. Vos, fratres, invocato Christo occurrite tantis malis ne latius grassentur, sed prorsus eradicate, ac nos omnes admonete, ut si aliud non possumus vos precibus adiuvemus. [6])

40. 1) missae?

2) *sic! lege:* papatu.

3) disquiratur?

4) reiiciatur?

5) reluctaturi.

6) *De statu ecclesiarum in ditione recens a Bernensibus occupata cuius caput Lausanna erat cf. Vulliemin Chron. p.* 339 *seqq. Ruchat IV.* 385 *seqq.*

Nam dici non potest quam affictemur, dum praeludia cernimus tam malae spei. Eritis unum nobiscum, quandoquidem et nos vobiscum unissimi sumus (ut sic dicamus) et perseverare volumus. Colloquia ereximus per Christum. Qui viciniores erunt, curate ut conveniant nobiscum et sedulo, nec quidquam sit inter nos discriminis, sed per omnia unum simus. Valete ac precemini Dominum, qui supra spem omnia faciat feliciter succedere, omniaque prohibeat pietati contraria. Ex coetu nostro. Genevae 21. Novembris 1536.

Vestri quam amantissimi
fratres qui Genevae et in vicinia
Christum annunciant. 7)

41.

TOSSANUS [1]) FARELLO.

Queritur per principes sibi nondum licuisse in sacramentorum administratione veteribus ritibus abrogatis omnia ad mentem evangelii constituere. Itaque iam sua ipsius autoritate fretum se progressurum esse promittit. Audivit, Calvinum a Bucero vocatum, cui illum obsequi nollet.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Gulielmo Farello fratri suo colendissimo.

Carissime frater, recepi hodie primum literas tuas datas Lausannae 25. octob. quae me magnopere recrearunt. Et velim intelligas per me non stare, quominus rite sacramentis Domini utamur, quod hactenus mihi non licuit per principes. [2]) Qui ut festinant lentius quam vellem in rebus Christi, ita nescio quo iure hanc sibi sumunt autoritatem, ut nihil per me innovari velint. Et quoniam hic Comes noster culpam reiicit in fratrem, scripsi illi non semel per proprios etiam nuncios, nec illi solum, sed et *Blaurero* quoque et *Schnepfio*, ut diligentius prospiceretur rebus huius ecclesiae, eversa abominatione ista papistica: sed hactenus nihil impetrare potui, praeter promissa quidem multa, sed inania: ut duobus postremis conventibus nostris fuerim coactus appellare istos בלעמים, [3]) qui nescio quo metu populum suum retinent in idolatria. Nec sic certe unquam paci studui, ut sciens quidquam concionando omiserim, vel etiam privatim monendo, quod vel ad meum munus, vel ad Christi gloriam pertinere putavi. Quanquam eius nunc sim animi, ut quoniam video me hac ratione nihil efficere, monendo scilicet et supplicando, muneris mei autoritate rem aggrediar, quantum ad baptismum et coenam attinet. Quod rarius versor cum populo, non facio, teste Deo, ut vel laborem refugiam, vel studiis meis consulam, sed facio quod videam istos non tam convenire ut aliquid discant melioresque reddantur, quam ut aut bibant, aut aliis obloquantur. Quanquam non sic fugiam hominum consuetudinem, quin me iam saepe adversarii apud principes insimularint seditionis. Et soleo non infrequenter, et privatim et publice, offerre meam operam omnibus, si qua in re quacunque hora cuiquam possim prodesse. Sed non vacat in praesentia ut te pluribus obtundam. Reliqua ex literis ad *Matth.* intelliges. Ego nihil tam cuperem, quam tecum coram colloqui de rebus meis omnibus, quod te amem in Domino, et in pectore meo sis inscriptus charta indelebili. Et si potero ulla ratione per Dominum, te invisam. Interea obsecro te per Dominum Iesum, ut mei memor sis in precibus tuis, mihique diligenter salutes fratres omnes, nominatim autem *Calvinum, Heliam,* [4]) *Olivetanum* et *Sonerium,* cui scripseram per hunc nuncium, sed interceptus fuit in Burgundia. Vale in Domino. Monbelgardi 26. Novemb. 36.

Tuus P. Tossanus.

Audio Mart. *Felinum* [5]) in hoc esse, ut *Calvinus* ad se proficiscatur, quod certe nollem. Maneamus in veritate. Iam aliquot ex nostris salutavi tuo nomine, qui te resalutant. Et gratissimum mihi fecisti quod adhortaris ad resipiscentiam, nam omnino opus habemus.

---

7) *Farelli manum in hoc scripto nobis agnoscere videmur. Certe non Calvini.*

41. 1) *Petrus Toussaint Lotharingus, olim Canonicus Metensis, postea ad evangelium conversus, a.* 1536 *ineunte ab Ulrico duce Wirtembergico Monbelgardiam missus, ibique mense Nov.* 1538 *ecclesiarum comitatus totius superintendens factus, annuente comite Georgio patrono suo et fautore, mediam inter utramque evangelicorum partem viam tenens, quamvis ipse magis ad Helvetiorum formulam inclinans, placide et feliciter reformationem illius regionis absolvit. Plura dabunt Hartmann, Erh. Schnepf.* 1870 *p.* 30 *seqq. Heyd, Ulrich Herzog zu W. III.* 145 *seqq.*

2) *Ulricum eiusque fratrem Georgium, Monbelgardiae sedentem. Missa pontificia demum mense Martio* 1539 *ibi penitus abolita est.*

3) *Balaamitas.*

4) *Coraldum.*

5) *Bucerum, qui Calvinum in negotio sacramentario sibi conciliare studebat* (N. 37).

42.

CAPITO CALVINO.

Invitat eum ad conventum aliquot dierum, quum de rebus ecclesiasticis coram facilius quam per literas agi possit. Ipse Argentoratum pro tempore relinquere nequit, quamvis nuper a Basilea de itinere Genevam usque instituendo cogitaverit.

(Ex autogr. bibl. Genev. Cod. 110, fol. 60.)

Viro doctissimo maximeque pio D. Calvino sacras literas et Christum docenti Gebennis fratri sibi in Christo observando.

S. Legimus tuas ad *Grynaeum:* parvo adhuc admodum limite distamus,[1]) nec literis haec aguntur feliciter satis, et sunt aliae quaestiones religionis, maxime quae oeconomiam ecclesiae spectant. Harum rerum omnium gratia cuperemus tibi adesse uno fortassis biduo. Institueram ad te iter nuper a Basilea, a quo sum necessariis causis detractus. Neque hinc movere pedem licet, quum hoc anno saepius abfuerimus, neque ecclesiam nostram intentatam Dominus relinquit. Quare per Christum oro, si ullo pacto poteris, nos accede antequam quidquam edes in lucem. Scio, robustiora et communitiora tua omnia erunt nobis auditis. Fratres qui tecum sunt ac totam istic ecclesiam salvere iubeo plurimum. Vale. 1. Decemb. an. 1536.

Orate pro ecclesia nostra, nam et nos hinc vestri memores erimus.

V. Capito.

43.

FARELLUS LIBERTETO.

Ecclesiam et speciatim congregationem ministrorum a Dionysio turbatam queritur, quem Calvinus ut a ministerio recederet hortatus est.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. I. N. 21. Apographa exstant in bibl. civic. Turic. B. 217, p. 73 et apud Simlerum vol. 41. Difficilior lectu, ita ut non ubique de lectione certi simus quod et Simlero accidit.)

Suo Christophoro Tononii.

S. Gratiam et pacem a Deo. In ultima congregatione *Dionysius*[1]) Bacchum vere nobis praestitit vel Martem: conviciis, minis et innumeris calumniis fratres impetiit, laceravit et proscidit: quod non paucos ipso inferiores multo foveremus ac pro ministris haberemus, vicinum expressit, *Novellum* et alios, praeterea qui famulam compresserit, qui adulterium commiserit, quasi illas pestes nos feramus, si quae sint, quas Deus tollat. Sese depraedicavit, quid egerit Neocomi, in Montebelligardo, Basileae, Tiguri, Bernae tandem, ut ad Lillam fuerit electus, inde a fratribus reiectus, rursus ad Lillam electione vocatus, post bellum fidelius in verbo egerit, idololatriam sustulerit, primus egerit, fecerit ac sit passus quae nemo alius, nunc per *Heniclium* fugetur, qui nidum paratum intret, omnes eum persequantur, se non esse hominum autoritate missum. Quum dicerem, me illi non fuisse autorem ut concionaretur, quod mihi perpetuo esset suspectus, ne id ageret quod video: rursus dicebat se a Bernatibus missum ac constitutum: videremus an vellemus ita senatui reluctari: se non deserturum ministerium donec Bernates prohiberent quidquid nos conaremur. Addebat quod curasset mandatum obtinere a praefecto ut rosaria et id genus superstitiones tollerentur, sed tu impedivoris. Mendacii taxavi hominem, indicans quod res erat, et ut tecum egerim, ne sua vita et moribus modoque docendi ecclesias perderet. Admonitus fuit per *Calvinum* rogatusque fratrum nomine, ut a ministerio desisteret: omnes nos curaturos ut sibi consuleretur. Renuit: dixit nos uxorem ipsi dedisse, quam, quum scortum sit, nobis plena concione sit traditurus, nisi ad palinodiam adigerentur qui eam scortum dixere. Sed quid pergo in misero depingendo, qui, quum totus sit monachus, seorsim a plebe necesse habet ut vivat. Si egrediatur ut doceat, opus est ut aliquis audiat miserum, et videat ne quid effutiat repugnans pietati: alias non video qua consuli misero et ecclesiae possit, si quidem sua et uxoris vita et mores ruinae servire possunt, sed non aedificationi. Tu poteris cum praefecto dispicere quid sit facto opus: nostra causa nihil egerit. Uxorem in congregationem secum ducit, ea praesente est debachatus. Si consilium poscis fratrum, poteris ad congregationem scribere: omnes quod visum fuerit dicent. Rasi non cessant populum dementare ac pontificia clam peragere. Nisi fugentur, sic ut non liceat quavis ratione cum aliis versari, non cessabunt, donec se et plebem perdant. Si praefectus admoneat omnes suos ministros qui sunt in tota praefectura, ut rationem habeant puerorum

---

42. 1) *Agi videtur de concordia in re sacramentaria instauranda, in quo negotio Argentoratenses Calvinum ad suas partes pertrahere gestiebant. Vide supra N. 37 et 41.*

43. 1) *De hoc Dionysio vide etiam ep. sequentem. Farelli epistolae et dictionis ambiguitate laborant et quas res attingunt nimis obscure exponunt. Id tamen te fugere nequit, tum temporis Calvinum nondum primas tenuisse Genevae.*

qui intinguntur, ac connubiorum, ut eorum quae per ministros fieri debent, ut nisi doceant omnia iuxta verbum facta, ipsi et non solum parentes rationem reddant ac rei peragantur, vix profligabitur superstitio. Videtur mihi expedire ut gravius iniungatur officiariis, ut probe suo fungantur munere, caveantque ne palam vel clam aliquid fiat pontificium. Curabis mandatum *Frumento*, et si videtur, ubi nomine ministri non sit assumptum ut possit etiam alius emitti, ut eo convocari possit plebs, non erit inutile. Pluribus tecum egi. Vale bene. Saluta omnes, praecipue praefectum, quem salutare non potui per *Leviculum* laborantem aegrius. Taceo quod torve plus satis nos intuebantur in aedibus famuli. Te salutant omnes. Genevae 6. Decembris 1536.

Tuus Farellus.

44.

FARELLUS LIBERTETO.

Monachorum notat tricas et insidias plebem contra Bernates et reformationem excitantium, de quibus quae hic narrantur nobis alioquin minus omnia cognita sunt. Caroli molimina Lausannae. Ministri in illa regione constituendi. Viretus aegrotat.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. I. N. 22. Apographa exstant in bibl. civic. Turic. B. 217, p. 75 et apud Simlerum vol. 41. Fragmentum huius Ep. exhibet Ruchat IV. 393.)

Suo Christophoro Tononii. [1])

S. Gratiam et pacem a Deo patre quam optimo, qui paterni in nos affectus non solum in filio pro nobis tradito quod maximum est signum reliquit, verum etiam in parentibus non prorsus depravatis: ut vidimus in *Senecione* probo *Iacobi* patre, qui non potuit sese continere donec gravis annis non exiguo emenso itinere vidit an ita haberet ut impii cupiunt et disseminant. Habenda esset ratio aliqua tam impiorum rasorum. Vocantur ut sua tueantur: muti magis sunt quam pisces. Iubentur omnes pie vivere, evangelium sequi, cessare quum verbis tum factis ab impietate. Hic se strenuos praestant impietatis milites, sed clam. Mox dissolvetur hoc quidquid est negotii. Lex ista vanescet mox, nam insanire videmus sectatores ipsius. Bernae non pauci insani sunt effecti ac carceribus vincti obierunt. In id morbi incidit *Iacobus* misere insaniens. Quam est videre multos qui resipiunt et ad pristinam fidem redeunt, quum videant omnes qui factionis illius sunt pessime torqueri. *Simon* ille Bellagarda fuit admonitus a domicella quadam per visionem, locum sibi paratum apud inferos vicinum abbati [2]) qui iam migravit. Haec fertur edisse et bibisse cum illo, idque famulum aut alium vidisse. Haec rasi, qui omnes in hoc sunt ut gravissima minentur omnibus qui sequuti fuerint evangelium, in menseque Maio futurum ut omnia corruant, tam misere affictandos qui vel minimum faverint. Bernates, soli quum sint, prorsus perituros. Interroga diligentius bonum hunc virum, audies mira et quae ferenda non sunt. Rasi quum ad defectionem a principibus populum adigant, modisque omnibus pietati reluctentur, non videtur mihi principes debere amplius ferre tales, nisi bella et motus alere velint. Si diligenter pervideatur qui sint primi ita omnia clam perturbantes, ac coram omnibus rogentur quid factum sit, ut Lausannae [3]) non prodierint, suaque tuiti non sint, aut palam non agant, et si quid habeant in medium proferant, ut nemo dicat inauditos multatos esse: res fiet, ut decet: nemo non approbabit iudicium. Tu ages apud praefectum, quem plurimum mihi salutes. Placet quod de misello *Dionysio* scribis, viro paene deplorato. Rasus ille de quo scribebas, insignis proditor hic agit. Si favor non tantum posset, retegerentur multa tum ducis [4]) tum cornutorum consilia, praecipue Lausannensis. Sed curent illa qui debent. Nos utinam plebem Domino paremus perfectam, quamvis connivere ad tam iniqua non possumus nec debemus. Faxit Christus ut in tantis ac tam difficilibus tum rebus, tum temporibus omnia ut addecet peragamus. Longe alia constituerat *Carolus* quam *Caspar* [5]) et alii Bernates intelligerent. Nescio quid hominem ita moverit. Praeterea nescio qua ratione factum sit ut *Molanum* [6]) Viviacenses petierint, Bernatesque voluerint ut *Molanus* Viviacum concederet, *Tornacensis* [7]) vero Aquileiam. Praefectus satis novit, quantum miser *Molanus* Aquileiae aedificarit, vir qui se unum admiretur et sequatur, alios non audiat sed rideat. Praefectus qui satis novit hominem, poterit senatum vel pios aliquot huius admonere, ne id patiantur, nisi velint Viviacum perdere. *Tornacensis* et illic et in vicinia aedificare poterit, ubi alter

44. 1) *Vide quae annotavimus ad Ep. praecedentem. Cf. etiam Kirchhofer, Farel, I.* 221.

2) *Michel de Blonay abbas Tononensis qui reformationem favore suo prosequutus fuerat. Ruchat IV.* 144.

3) *in disputatione mense Octobre habita.*

4) *Sabaudiae.*

5) *Megander.*

6) *G. Du Moulin, antea Genevae. Vulliemin Chron. p.* 339, *Ruchat III.* 242.

7) *Fortasse dicit de Claudio de Tournon Gallo fugitivo, cf. Ruchat V.* 208 (?).

neutrum praestare potest. Utinam apud Gallos aut alibi haesisset. Faxit Dominus ut tales nunquam videamus: plus satis arrogantium habemus, et qui recta non audiunt consilia. Non potuit adduci ut colloquerentur fratres vel semel totis quindecim diebus. Labores refugit et contumelias, quietem et honorem ambit. *Viretus* pro fratre suo pharmacum poscit ut rupturae medeatur. *Frumentus* ait te habere, ac nosse ut applicari debeat. *Vireto* igitur mittes, ac ut expediat uti. *Levetus* heri a lecto surrexit. Bene sperat, nisi quod splen adhuc male habet. Ratio aliqua illi medendi tibi curanda erit. Sed iam concio nos vocat. Vale salutatis omnibus piis, quibus ecclesias quae verbum cupiunt hic et in Gallia commendabis, ac vinctos pro Christo. Te salutant omnes. Genevae 16. Decembris 1536.

Tuus Farellus.

45.

FARELLUS LIBERTETO.

Idem argumentum tractat ac praecedens epistola. Genevae coena Domini iam communi pane celebratur, dies festi in posterum non singulariter feriandi.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. I. N. 23. Apographa exstant in bibl. civica Turic. B. 217, p. 78 et ap. Simlerum vol. 41.)

Christophoro fratri

Tononii.

S. Gratiam et pacem a Deo. *Frumentus* brevi istuc veniet ac omnium te certiorem reddet. Rasi latrones iam non clancularios sed apertos agunt, ut ex eo audies. Carreriensis *Hemerius* is est quo nemo tibi notior est, proximus Neocomensibus ac Corcellensibus, vir sine fuco, pectore et manu valens. Conveni Syndicum super raso, ac diligentius admonui. Dixit se curasse ut praefecto suaderetur, diutius rasum in vinculis teneret, quod exspectaret brevi futurum ut nonnulla retegerentur, unde proditoris nequitia palam fieret. Erat enim qui nonnullos produceret in lucem, sed praestare non potuit. Rem certam esse nemo ignorat, sed qui approbet, nemo est. In tempore omnia. Dolet mihi non parum, quod neminem habeamus ad te mittendum. Tu penuria laboras et nos extreme. Bene facis, mi frater, quod aedificationi studes. Utinam tecum facerent omnes! Cras coenam celebrabimus, autore Deo, pane communi. Tertio vel saltem bis adnunciamus desponsandos. Reliqua alias, frater. *Claudius* referet aliqua si te inviserit. In meo fratrisque nomine praefectum salutabis et plurimum. Plura non licet. Vale. Genevae 23. Decembris 1536.

Tuus Farellus totus.

P. S. Diem nativitatis et alios uno habemus ordine. Tu vide quid aedificet.

46.

CALVINUS CHEMINO.

De hac epistola, quae in tractatus molem excrevit, et sine dubio in eum finem conscripta fuerat ut ederetur, adeas quaesumus Tomum V. editionis nostrae, ubi in Prolegomenis pag. xxxviii quae ad rem faciunt reperies. Textum ipsum inter Opuscula theologica receptum, l. c. pag. 239—278 habuisti. Exaratum fuisse, vel iam Basileae, vel in itinere italico, efficimus ex praefatione idus Ianuarii 1537 natales prae se ferente, simul considerantes, autorem per ultimos praecedentis anni menses, quos Genevae transegit, vix satis otii sibi facere potuisse ut de Gallorum necessitatibus vel cogitaret vel scriberet. Verum quo pacto tempus conscripti opusculi accuratius definiremus non habentes ad calcem caeterarum huius anni reiiciendum putavimus.

47.

CALVINUS RUFFO.

Hanc alteram eiusdem generis et temporis elucubrationem legisti l. c. p. 279—312.

MDXXXVII.

48.

LIBERTETUS FARELLO.

De statu ecclesiae Lausannensis obscurius loquitur, videtur tamen cum Carolo rem habere et id intendere ut Calvinus praecipue hunc publice aliquo modo traducat.

(Ex autogr. Biblioth. pastorum Neocomensium, fascic. epp. Cph. Fabri. N. 21.)

Carissimo fratri Gulielmo Farello Genevae.

S. Arbitror vobis abunde cognitum Lausannensis ecclesiae statum. Hic nuper conveni scortatorem illum qui a pomo diminutum habet nomen.[1]) Hic Diotrephes[2]) omnino partes tuetur magnisque insignit titulis et laudibus: vero Gnato, quem huc explorandi gratia transnavigasse coniicio, ex multis quae *Coraudus*[3]) mecum communicavit. Exspectant in dies congressum quo tu, *Viretus* et *Calvinus* hominem brevi publico convincatis eorum quae scripturis se firmaturum omnibus usque praedicat. Hoc maxime a nobis olfacere tentavit, sed non admodum grata audivit. Huic tam fraudulento ulceri mox in legatorum adventu medendum esset. *Coraudus* mecum in ea est sententia ut *Calvinus* solus illic omnia curaret apud legatos, iis rationibus quas nuper cum Vireto ipse tractabam. Quod si id consilium sequemini, ipse *Coraudus* posset hic agere donec isthinc abiret *Viretus*, ego interim tam multis satisfacere ecclesiis quemadmodum gratia Domini toto hoc tempore, quo hic stetit magno cum fructu miroque ovium Christi solatio[4]) . . . .
Tononii 5. Febr. 1537.

Tuus Christof. Libertetus.

48. 1) *Exstitit aliquis Louis Pomel, lieutenant du bailliage de Vaud c.* 1525 (*Hermj. I.* 354), *verum an de hoc dicat affirmare non ausimus.*

2) *sic. Cf.* 3. *Ioann.* 9.

3) *Elias Couraut olim augustinianus eremita et ob nimis liberas conciones Parisiis habitas e suggestu pulsus et in carcerem traditus* (*Hist. eccl. I.* 14 *sq.*) *post negotium libellorum affixorum profugus in Helvetiam se receperat* (*Bulletin XI.* 253) *aliquamdiu Tononii Liberteti collega, postea Orbae minister, denique etiam Genevae, mox cum Calvino urbe eiiciendus. Cf. etiam* T. VII. p. 310. *Vide infra Epp.* 108 *et* 110.

4) *Reliqua ut a nostris rebus aliena omittimus.*

49.

MINISTRI GENEVENSES BERNENSIBUS.

Quum Viretus nuper Petrum Carolum collegam suum de futili suo quodam dogmate reprehendisset, hic statim ipsum eiusque amicos Genevenses Arianismi insimulare coepit. Quo falsissimo crimine ut se purgent simulque calumniatoris furorem compescant, collegas Bernenses rogant ut serio de synodo proxime cogenda cogitent, Morgiasque ut aptissimum conventui locum proponunt.

(Ex autographo Calvini Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 6. Varia apographa exstant ibid. Cod. 111, fol. 5. Cod. 145, fol. 4. Archiv. Bern. Epp. T. VII. p. 200 et in collectione Simleriana vol. 42.)

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro per Dominum Iesum, fratres nobis amicissimi.

Quum nobis nuper renunciatum esset, *Vireto* hic agente, vulgatum ad plebem fuisse a *Carolo* dogma curiosum[1]) et futile atque etiam, ut nunc ecclesiae res habent, plane noxium, *Viretum* ipsum eo mox remittendum censuimus, ad compescendam hominis stoliditatem. Verum optimi ac modestissimi collegae amicis monitionibus adeo non miti-

49. 1) *De precibus pro mortuis fundendis.*

gatus est ut aperte tum demum insanire coeperit. Nam et improbos quosdam e Lausannensi senatu subornavit, qui *Viretum* seditionis criminarentur, et ipse omni probrorum genere impudentissime proscissum tandem Arianae haereseos non obscure insimulavit. Tanta importunissimi hominis improbitate perturbati *Calvinum Vireto* addidimus, tentaturi vias omnes quibus ad sanam mentem revocari posset. Illi exposita legatis vestris causa, qui tum ad res provinciae constituendas illic forum agebant, effecerunt ut accerseretur. Rogatus est ab illustri viro *Gyrono*,[2]) vestrae civitatis secretario, ut a fratribus placide se admoneri pateretur. Sed omissa causae praesentis mentione, quin palam testatus, rationem se eius rei nisi coram senatu collegioque vestro non redditurum, furioso in nos debacchari coepit extra causam. Multae fuerunt maledictorum formae: sed omnium haec atrocissima est quod totam nostram cohortem Ariano errore inquinatam pronunciavit. Ad refutandam indignissimam criminationem caput nostrae confessionis[3]) recitavit *Calvinus* quo ita scriptum erat: Dum patrem, filium ac spiritum nominamus, non tres deos nobis fingimus, sed in simplicissima dei unitate, et scriptura et ipsa pietatis experientia Deum patrem, eius filium ac spiritum nobis ostendunt, ut concipere intelligentia nostra patrem nequeat, quin et filium simul complectatur, in quo viva eius imago relucet, et spiritum, in quo potentia virtusque eius conspicua est. In uno igitur Deo tota mentis cogitatione defixi haereamus: interim tamen patrem cum filio et spiritu suo contemplemur. Rursum de Christo: filius dei praedicatur, non ut fideles adoptione duntaxat et gratia, sed naturalis et verus ideoque unicus, ut a caeteris discernatur. Dominus autem noster est non tantum secundum divinitatem quam cum patre unam ab aeterno habuit, sed in ea carne in qua exhibitus nobis fuit. Quis eius confessionis vel autores vel subscriptores Arianos iudicet? Perstitit tamen qua coeperat rabie strenuus sycophanta, ac eiusmodi confessione sibi nequaquam satisfieri asseveravit. Quum exciperet *Calvinus* ea lege nos edere in praesens eiusmodi confessiones, ut fidem nostram bonis omnibus dum opus foret luculentius approbare parati essemus: Facessant, inquit, novae confessiones, ac tribus symbolis potius subscribamus. Ad haec *Calvinus*, nos in Dei unius fidem iurasse respondit, non Athanasii cuius symbolum nulla unquam legitima ecclesia approbasset. Legati, ut nullum altercationibus finem futurum videbant, totam istam cognitionem in fratrum conventum reiecerunt, quem polliciti sunt propediem se curaturos. Pauca haec obiter vobis referre visum est, optimi fratres, unde intelligeretis, quam sit omnino necessarius hic conventus. Videtis enim paucorum malitia fieri ut discordiis ac contentionibus misere laceretur ecclesia. Gliscit in dies pestis ac nos statim opprimet, nisi mature succurratur. Plura in nostram purgationem nunc afferre nihil refert, cui locus erit in conventu opportunior, ubi sic innocentiam nostram bonis omnibus approbatum iri confidimus, ne qua in nobis suspicio residere queat. Nunc vos per Christum obtestamur, partes ipsi suscipite de ipso maturando. Quantum enim periculi immineat si diutius moramur, aliqua ex parte videtis, sed ne id quidem ipsum satis perspicitis, quam necessaria sit celeritas. Graves turbas passim excitavit Carolinum illud dogma: plerique ministri non admodum probe se gerunt: alii, nisi ad officium stimulentur, torpescunt: quaedam dissidiorum semina caput exserere incipiunt. Sunt et alia nonnulla, quae omnia nisi in conventu nullo modo explicari possunt. Duae nos rationes monent ut ante diem paschatis[4]) haberi optemus, quia nullum anni tempus commodius deligi potest, et ante diem illum certam iniri inter fratres consensionem magni interest. Si vos pro vestro officio gnaviter apud senatum instabitis, minime dubitamus, quin sit vestrae flagitationi concessurus. Loci deligendi arbitrium, etsi senatui penes quem est relinquimus, nihil tamen videtur impedire quominus etiam nobis liceat quem maxime idoneum putemus indicare. Oppidulum est cis Lausannam duobus sabaudicis millibus, Morgias[5]) vocant, ad lacus ripam situm, non modo novae provinciae sed omnium paene gallicarum ecclesiarum umbilicus. Eo si cogatur synodus, nec se ultra modum gravari ullus iure conqueretur, nec longe a suis ecclesiis distrahentur ministri, et locus hospitiis non incommodus erit.[6])

---

2) *Petrus Giro (alias Cyro) adfuerat disputationi Lausannae habita m Oct.* 1536 *et nunc ibidem commorabatur cum aliis legatis Bernensibus qui reformandis in ditione nova ecclesiis prospicerent.*

3) *Quae sequuntur non ex confessione Genevensi (Tom. IX. p.* 693) *sed ex Catechismo deprompta sunt (Tom. V. p.* 337), *qui ut ex h. l. necessario colliges iam tunc verae et publicae confessionis dignitatem et autoritatem nactus erat. Vide de hoc libello Prolegg. eiusdem T. V. p.* 41.

4) *Quae spes eum fefellit, quum synodus tardius congregata fuerit, scil.* 14. *Maii quum pascha iam prima Aprilis incideret.*

5) *Etiam in hoc eius desiderio satisfactum non est. Synodus Lausannae convenit.*

6) *Hanc epistolam ipsi Calvino tribuendam, neque Megandro soli, ut olim margini nescio quis Codicis* 106 *adscripsit, sed collegio ministrorum Bernensium destinatam, et mense Februario a.* 1537 *scriptam esse, iam Turretinus in Cod.* 111. *diserte significavit.*

50.

CALVINUS N.[1] MINISTRO BERNENSI.

Fusius eadem privatim ad collegam unum Bernensem, quae in praecedente publice nomine omnium ad omnes narraverat.

(Autographon exstat Genev. Cod. 106, fol. 4 unde descripta exemplaria ibid. Cod. 111, fol. 6. Arch. Bernens. Epp. T. VII. p. 205. Simler vol. 42. — Anglice ap. Bonnet-C. T. I. p. 23. — Neque inscriptio adest in autographo neque subscriptio.)

Gratia et pax tibi a Domino, frater integerrimo.

Iam tibi satis cognitum arbitror quam nobis camarinam his diebus moverit *Carolus*. Modum enim excogitavit quo mortuos precibus iuvare liceat:[2]) non ut peccatis solvantur sed ut quam celerrime suscitentur. Res scilicet cognitu perquam necessaria, hoc tempore praesertim quo tot seriis difficultatibus urgemur. Sed voluit homo ambitiosus aliqua novitate se ad populum venditare, cui alioqui non est commendabilis,[3]) perinde ac si novum istud esset quod longe antehac a diversis quoque autoribus proditum est. Laudem tamen inventionis impudenter sibi vendicat, quo sane testatum facit quo primum consilio motus fuerit ad hoc dogma publicandum. Quod si eius cupiditati istam quam postulat falsam laudem concedamus, quid tamen consequetur ubi evidenter demonstratum fuerit, non curiosum modo et futile sed stolidum esse inventum? Quod ego quidem ostensurum me profiteor. Verum ut dogmatis veritatem ac falsitatem omittamus, in ratione tamen eius vulgandi summam et malitiam et improbitatem excusare non potest. Quamdiu *Viretum* habuit praesentem, verbum de hac re nullum fecit. Invisit ille nos: rumor extemplo subsequutus est. Res ipsa loquitur, illum malitiose collegae absentiam observasse ad tranquillitatem ecclesiae perturbandam. Huc accedit quod vobis autoribus fratrum omnium decreto[4]) constitutum erat ne quid ad plebem inauditum aut inusitatum efferretur, nisi compluribus consultis. Id quam aequum sit, et ad fovendam doctrinae unitatem appositum vides. Hoc decreto nostras ecclesias optime munitas confidebamus ne quibus dissidiis scinderentur. Iste vero ut nequaquam pensi habuit quantum sua temeritate Christi regno incommodaret, ita totius ecclesiae decretum susque deque habuit. Etsi vitam hactenus duxit non legibus modo sed omni etiam ratione solutam, alia tamen diaeta nunc sibi utendum esse considerare debuerat. Iam vero qui in tractando modus? Nihil unquam furiosius auditum est. Ut palam esset adversum nos ipsos data opera hostiliter belligerari. Tanta erat cerebri commotio, tanta clamandi ferocitas, tanta acerbitas verborum. *Viretus* primum eo remigravit. Sed quum nihil efficeret, iussu fratrum ipso quoque accurri.[5]) Coram vestris legatis se facti sui rationem redditurum arrogantissime pernegavit. Nostram vero sollicitudinem ad se postulandum nihil quam nequitiosam ad se evertendum conspirationem esse criminatus est. Quum tamen certo certius sit me nullas unquam cum eo inimicitias gessisse, *Farellum* autem et *Viretum* nunquam nisi ob morum foeditatem illi succensuisse. Atqui omnes eiusmodi strophas ac calumnias tanta dexteritate *Viretus* refutavit, ut manifeste deprehensus hac parte teneretur. Ut ergo aliqua in re superior videretur, universam nostram cohortem[6]) Arianismi insimulavit. Surrexi extemplo ac confessionem e catechismo nostro protuli quae in literis ad collegium vestrum publice scriptis recitatur. Ne sic quidem conquievit, sed nos sibi suspectos fore pronunciavit, donec in Athanasii symbolum a nobis subscriptum esset. Respondi me non solere quidquam pro Dei verbo approbare nisi rite expensum. Hic beluae rabiem agnosco.[7]) Tragice exclamavit, indignam esse christiano homine vocem. Legati conventu generali opus esse dixerunt[8]) ubi haec disceterentur, quem etiam receperunt se curaturos. Neque ego verbis satis assequi possum, neque tu cogitatione, quantum ecclesiae periculum immineat, si diutius differatur. Itaque exspectandum non duximus dum legati fidem praestarent; sed has partes potius ad te collegasque tuos esse reiiciendas. In eam sententiam literae ad vestrum collegium publice scriptae sunt. Verum tu, integerrime frater, qui et plurimum hac in re potes, et pro tua facultate prae aliis adniti debes,

50. 1) *Quemnam ex Bernensibus ministris hic alloquatur satis difficile dictu. Id tamen patet de Megandro quem Bonnetus producit cogitari non posse, quum is Lausannae praesens fuisset dum inter Calvinum et Carolum disceptabatur (vide eius Ep. infra N. 52). Collegae eius erant tum temporis Seb. Meyer, Petrus Conzenus et Erasmus Ritter.*

2) *Plura dabit libellus Calvini contra Carolum scriptus. Tom. VII. Opp. insertus, ubi etiam p. 328—334 describitur Vireti Confutatio Caroli, quam alioqui hic describere oportuisset ex Autographo Cod. Genev. 145, fol. 9 seqq.*

3) in whose esteem he does not rank very high (B.-C.).

4) *Vulliemin Chron. p. 357:* Le doyen devrait prendre garde à la doctrine des membres du clergé et ne pas permettre qu'il fût prêché aucun dogme nouveau, sans qu'il en eût été conferé avec les ministres de Berne. *Sed in eo fallitur vir doctus quod hoc decretum mense demum Maio promulgatum dicit, ut ex nostro loco patet.*

5) *Errat ergo Ruchat V. 21 qui disputationem hanc Bernae habitam fuisse perhibet, quo Carolus et Calvinus evocati fuerint. Imo Ianuario Lausannae res transacta est, quo tempore legati Bernenses, inter quos et Megander, ecclesias Vadenses ordinabant.*

6) the whole meeting (B.-C.).

7) Here observe the rabid fury of the little ass.

8) *Abhinc textus huius epistolae eadem Calvini manu iterum descriptus legitur, fere usque ad finem Cod. 106, fol. 4 v. et 5.*

peculiariter mihi rogandus videris ut serio in hanc curam incumbas. Vix credas quam uno hoc ictu graviter perculsa sint fundamenta quae hactenus iacta fuerant, dum nos in doctrina religionis inter nos dissidere audiunt imperiti, neque ulli dubium est quin aliquid gravius, nisi commodum medeamur, mox sit sequuturum. Iam vocantur quidam ex nostris impostores, qui pro mortuis orandum non dissimularint modo, sed confidenter negarint. 9) Iam a paganis 10) obiicitur ut inter nos prius consentiamus quam de aliis in nostram sententiam adducendis laboremus. Tute ipse reputa quid ex talibus praeludiis emergere queat. Porro haerere diutius haec macula in nobis non potest quam scelestus ille calumniator nobis inussit, quin totum simul evangelium 11) impiorum contumeliis proscindatur. Procurandum ergo ut omnes gallicae linguae ministri, qui sub reipublicae vestrae ditione sunt, ad concilium cogantur, ubi omnes eiusmodi controversiae decidantur. Maturandum tamen, et si qua ratione obtineri potest enitendum, ut ante pascha. 12) Sunt enim et alia quaedam quae ante diem illum explicari non mediocriter conducat. Siquidem audimus nonnullos fremere nescio quid de Christi corpore incrustato: quorum temeritati occurramus tempore, necesse est. Tu itaque pro tua pietate ac prudentia providebis ne nobis desis in tanto articulo, ac omnino efficias ut ne in paschatis usque diem differamur. Libellum tuum caeremonialem a *Mauro* rogatu nostro versum cum nostro contulimus, a quo nihil penitus nisi brevitate differt. Eum Lausannam mecum nuper tuleram, quum spes erat Bernam quoque me profecturum. 13) Mihi satius videtur exspectari conventus diem quo per otium coram commentabimur. 14) Tu et de eo et de synodi indictione scribere, quaeso, ne graveris, cui interesse nostri non detrectabunt. 15)

---

9) who not only concealed that they pray for the dead, but have confidently affirmed that they do not.

10) the peasants.

11) the seamless robe of the gospel.

12) *Eo anno Kal. Aprilis celebrandum.*

13) *Eum postea re vera Bernam venisse disces ex proxima Megandri epistola.*

14) *Hic subsistit alterum autographon.*

15) *Non est cur hanc alii tempori quam praecedentem adscribamus, quanquam aliquis fortasse dixerit, exaratam demum fuisse quum priore nil effici videret autor.*

51.

LIBERTETUS FARELLO.

Claudii negotium post Calvini reditum Genevae tractabitur. De quo tamen non optima quaeque sibi promittit.

(Ex autogr. Biblioth. pastorum Neocomensium fascic. epp. Chph. Fabri N. 25.)

Carissimo fratri Gulielmo Farello

Lausannae.

S. Fratres omnia in congregatione rite praescripserunt quae ordinanda erant. *Claudius* 1) in ea non adfuit sed nunc Genevae exspectat tuum et *Calvini* adventum, 2) quo seorsim inter aliquot vestrum postremo tractet negotium suum. At vereor ne tandem sermo illius serpat illic quemadmodum huiusmodi cancri corrosiones modo hic deprehendo quotidie. Nec immerito dixit apostolus huiusmodi operarios esse subdolos. Quamvis sperem divino auxilio brevi me dissipaturum quae quorundam animis suggessit 3) . . . . Tononii, 2. Martii 1537.

Tuus Christoforus Libertetus.

52.

MEGANDER BULLINGERO.

Praeter alia huc non pertinentia summatim de negotio Caroli et futura synodo, ubi de ministris gallicae nationis universim spectatis parum reverenter loquitur.

(Ex I. Conradi Fueslini centuria prima epp. Reformatorum eccl. Helvet. Tig. 1742, p. 170. Editor unde sumpserit non indicat. Nos autographum, sicubi hodieque exstat, non vidimus.)

— — — — — — — — — — — — — —

Ludus Lausannae 1) certo instituetur, nec modo ludus literarius, sed et lectio quoque theologica, quemadmodum proxime tibi significaram; quare non usque adeo gratum est *Frisium* 2) ludo Abbatissano praefectum esse. Spem enim mihi certam de ho-

---

51. 1) *Vide supra N. 39 et 45 maxime vero infra N. 59. Ep. Farelli ad Capitonem.*

2) *Tunc Lausannae et Bernae commorantis.*

3) *Caetera transscribere non attinet.*

52. 1) *Ruchat IV. 434.*

2) *Io. Friess Turicensis ludi magister v. Hottinger, KG. III. 290.*

mine faciebam; placuit consilium *Calvino, Carolo* et *Vireto* fratribus . . . . . Controversia non vulgaris intercedit inter *Carolum* et *Viretum* Lausannensis ecclesiae ministros, idque propter defunctorum corpora. Voluit enim *Carolus*, ecclesiam catholicam pro cunctis fidelibus pie semper orasse et adhuc orare, ut liberentur a morte et ut resurgant, vitamque futuri saeculi corpora defunctorum consequantur. At *Viretus* plane diversum, imo minime rogandum esse Dominum ut corpora destinato tempore resurrectura excitet. Qua de re diebus duobus strenue contendimus:[3]) at quo pacto negotium compositum in praesentiarum non scribo.

Postremo: Gallorum quidam in ditione noviter occupata suspecti sunt nobis, haud recte de Christo personarumque trinitate sentire. Quam ob causam *Calvinus* Bernam veniens obnixe petiit ut synodus cogeretur, quod abnegatum est homini usque post paschatis. Vide quantum negotii nobis facturi sint Galli illi superstitiosi, ne dicam seditiosi. — — — Bernae 8. Martii 1537.

Megander totus tuus.

53.

GRYNAEUS CALVINO.

Rogat Calvinum ut de quadam puella Itala quam Sinapius ambit sciscitetur eamque, si per ipsum fieri queat, eidem conciliet. Sinapium mavult Tubingae quam trans Alpes haerere.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 112, fol. 171.)

Ioh. Calvino suo fratri carissimo.

S. Transiit hic *Sinapius*[1]) ac recta Tubingam tendit ut sese sistat principi. Dubius est animi. Retrahitur in Italiam, quantum non suspicari modo, sed paene liquido deprehendere licuit, quum assidue mentionem faceret cuiusdam puellae, ut videtur piae, quumque assidue hanc laudaret. Eam, quantum intelligo, etiam tu familiariter nosti, et unam ex omnibus istic pietatis ergo maximo laudasti. Postulat aetas ipsius nuptias. Vide si quid ab illa impetrari posset per te: nullam omnium cupiet magis. Et certe qui sic affectibus aestuat, opus tranquillitate habet animi, nisi perire hominis studia omnia volumus. Videtur autem non errore incidisse in hanc, sed iudicio, qui adeo diu convixit. Vellem de moribus huius indicares nobis. Francisca *Baleryna*, ni fallor, est nomen. Quod si tibi hoc *Sinapii* meumque consilium probetur, vellem explores omnia apud ipsam. Praestaret utrique in Germania versari hac quam in Italia, et e tenebris in lucem . . . .[2]) qualecunque migrare. *Sinapio* porro marito tali nunquam defecturus sumptus est quo honeste illa alatur: habet enim Tubingae conditionem egregiam. Rogo vehementer te ut dare nobis operam hanc velis. Certe nulla ratio hunc retinendi videtur, nisi potiri hac potest. Est autem occulte agenda res ut ne quo literae veniant quam ad ipsam. Vellemque ad ipsam tuo meoque nomine scribens istud te dicas pro amico quodam flagitare. Salutabis autem eam mihi necessariam quae me per *Sinapium* prior salutavit. Obsecro ut pro pietate diligenter et in tempore dare operam velis. Vale. 15. Martii.[3])

Grynaeus tuus.

Responsum . . . .[4]) scribes primo quoque tempore ad nos. Vale rursum.

54.

OPORINUS[1]) CALVINO.

Mittit autori duodecim exemplaria libelli recens excusi, offertque ex antea a se typis editis quaecunque eius studia iuvare poterunt. Textum accuratissime correctum affirmat, et novas Calvini, si quae fuerint, elucubrationes suo prelo committendas flagitat.

(Ex autographo bibliothecae Gothanae Cod. 404, fol. 772.)

Insigni theologo Dn. Ioanni Calvino sacrarum literarum professori Gebennis amico et fratri carissimo suo

Genevae.

S. Nuper discedens curavi ut per *Ludovicum* nostrum libellos epistolares tuos[2]) a nobis excusos XII. acciperes, plures etiam missurus perquam li-

3) *Vides ipsum adfuisse. Cf. supra N. 50, not. 1.*

53. 1) *Sinapius Schweinfurtensis, medicus, olim Ferrariae Calvino innotuerat. A. 1536 Tubingam vocatus, ut ibi suam artem doceret, munus recusavit et iterum in Italiam se recepit unde tandem redux episcopi Herbipolitani archiater factus est.*

2) *vox dubia.*

3) 1537. *Nam et Sinapius iam Tubingam profectus est et Calvinus Genevae degebat, quod Martio mense 1536 nondum evenerat.*

4) *Vox dubia. Grynaei literatura omnium horridissima et saepissime desperata.*

54. 1) *Vide N. 26, not. 1.*

2) *Cf. Prolegg. nostra T. V. p. 38 seqq.*

bentissime si plures habere cupias. Quin et ex reliquis libellis nostro prelo impressis, si quibus maxime vel oblectari te vel studia tua iuvari posse intelligam, mittam quoscunque iusseris. Tanta enim est tua in nos benevolentia, quae nullo tamen nostro in te mutuo possit officio rependi facile. Quod reliquum est, si in excudendis tuis illis forte non respondimus per omnia exspectationi tuae, dabis veniam quam soles pro humanitate tua, et quam dedisti hactenus, quanquam sedulo dedimus operam tamen ut quantum fieri posset emendate excuderentur, non semel super locis aliquot, in quibus forte nos non explicabamus, consulto et *Grynaeo* et *Ludovico* tuo. Neque in emendandi officio de negligentia aliqua nostra multum querebere.[3]) Cavimus enim id quoque ne erratorum nisi levinsculorum taedio gravius offendereris. Nam quod unum atque alterum forte irrepsit facile ignosces. Neque enim ullus unquam liber a quoquam est ita impressus emendate, ut non facile etiam inter imprimendum quaedam obreperent, quae omnia evitare impossibile sit, pro ea qua hodie passim utimur excudendi ratione. De Catechismo tuo[4]) scias, mi Calvine, magnam esse exspectationem, quando eum recognitum denuo editurus sis. Cupiunt hoc plerique et exemplarium antea a nobis excusorum nullum nobis superest amplius, hic saltem Basileae. Francofordiae autem vix 50 adhuc habere nos puto. Ita feceris rem gratissimam et sacrae theologiae studiosis, si editionem aut recognitionem illam tuam matures, et nobis inprimis, si in recudenda illa opera nostra uti non dedigneris. Audio te magna cum laude et utilitate praelegere D. Pauli epistolas. Oro igitur ut, quaecunque in iis praelegere et annotare tuis soles, aliis quoque uti per nos aliquando communicentur, operam dare non graveris. Salutabis meo nomine diligentissime *Farellum* utrumque,[5]) Dn. ab *Alto monte*,[6]) D. *Viretum*, *Rogerium* et amicos caeteros, quibus omnibus me quam diligentissime etiam commenda. Basileae die palmarum 1537.[7])

Raptim ut non licuerit relegere. — Tuus ex animo Ioan. Oporinus.

3) *sic!*

4) *Omnino de Institutione loquitur, non de Catechismo proprie sic dicto. Nam hunc Basileae impressum fuisse gallice, nemo est qui serio crediderit, multo minus in Germania tam rapide divenditum.*

5) *N.* 38, *not.* 1.

6) *de Hautmont, quo nomine Lud. du Tillet tunc veniebat.*

7) *i. e.* 25. *Martii.*

55.

SAMMARTHANUS CALVINO.

Viri illustrissimi ignotus amicitiam appetit, Institutionem eius usque ad interiora Galliae penetrare non posse queritur, quam Germaniae invidet, extorrem autorem desiderat. Pictaviensis academia magnis quidem nominibus clarescit sed et sycophàntas alit. Stephanum suum tabellionem commendat Genevae libertatem quaerentem.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 761. — Bretschneider p. 187.)

D. Ioanni Calvino doctrina omni et pietate cumprimis venerando ecclesiastae Lausanensi

Lausanae.

Carolus Sammarthanus[1]) sacrarum literarum in Pictaviensi Academia regius professor, D. Ioanni Calvino Lausanensi[2]) ecclesiastae viro pio iuxta ac erudito S. D. in eo qui est omnium vera salus.

Multae sunt causae, doctissime *Calvine*, quae me ad te scribere parantem optimo iure et deterrere poterant, et omnino a scribendo revocare. Quas si commemoravero, vulgares forte existimabis, et in huiusmodi accusationibus adduci solitas, sed graves tamen mihi, ut qui de iis optime conscius satis perspiciam, quam ille famam prostituit suam, qui ad tales tam cordatos, tam emunctae naris, tamque absolutos numeris omnibus viros audeat literis garrire, seriis studiis obstrepere, adeoque delicatas aures obtundere. Nam praeterquam quod neque tibi de facie notus sim neque de nomine, sentio deesse mihi omnia, quae ad scribendum loquendumve perquam necessaria sunt. Et tamen eo audaciae veni ut nihil minus dubitarim quam votis meis satisfacere, illud in sese recipiente communi amico *Normandio*,[3]) hoc vero mihi promittente singulari tua humanitate, quam spero communi literarum nomine, deinde arctiore vinculo eorundem studiorum, adde aeque flagrante pietatis desiderio propitiam mihi fore. Neque enim videtur quidquam recusaturus, quod amicitiae christianae legem non violet, qui per sese facilis est et perhumanus. Illud porro quod a te per literas contendo, Christum spectat solum et verbi eius maiestatem, nempe quum

55. 1) *De Saincte Marthe, cuius pater Francisci Regis medicus fuerat, Pictavii iuridicis studiis incubuerat, etiam caeteris non neglectis, maxime classicis et hebraicis. Ob religionem suspectus, nec immerito, vix summa discrimina effugit.*

2) *Vide quam incerti rumores de rebus exteris ad interiora Galliae pervenerint.*

3) *Laurent de Normandie, de quo vide Tom. VIII. p. 5 et Prolegg. T. VII. 37.*

eadem professione eandem animorum voluntatem et coniunctionem, certe ut Carolum *Sammarthanum* in amicorum tuorum numerum adscribas, et illo pharmaco subleves aegrotum. Hic ego carnalium more viam non curabo mihi sterni ad amorem tuum encomio divinae virtutis et pietatis tuae, qua permotus nihil parentes, nihil patriam, nihil opes aestimasti, te ipsum nudasti, ut alios locupletes faceres, magno interim vitae periculo. Et quanquam non diffidam, tui similibus aliter cedere non posse quam tibi cesserit, nempe felicissime, ego tamen multos optarim Calvinos, multas *Calvini* dotes, multos etiam qui *Calvini* imitatores tam benigne exciperent. Nihil tibi invideo: hoc doleo tantum quod praereptus nobis sis, quodque alter loquens *Calvinus*, nempe Institutio christiana, ad nos non perveniat. Invideo Germaniae quia, quod illa, adsequi non possumus. Forte hoc nos hic solatur quod academia nostra libera sit, plena viris piis iisdemque doctis; sed interim renascitur alicubi hydra, surgit nocte qui zizania superaspergat, quanquam pro dono gratiae Christi accingo me ad munus vocationis meae, quae partim ob novam dignitatem et aetatem, adde et doctrinae studium, multos mihi produxit sycophantas, larvatos cucullionces, desperatissimae sortis monstra. Quibus tamen tantum abest ut sim cessurus, ut etiam compunctionis spiritui vitam ipsam opponam, quando permittet Dominus. Oramus nos ad Dominum ut felicissima auspicia vestra dexterrimo progrediantur cursu. Vos vicissim pro nobis petite, spiritum Christi nobis dari, ad digne et intrepide in mediis flammis et hostibus evangelium pronunciandum, de cuius hic progressu audies a *Stephano* qui has perfert, viro et graece et latine docto, modesto, diserto et veritatis amantissimo, qui recta ad vos proficiscitur, ut sibi libere loqui et discere liceat. Eum patriae nomine et evangelii pietate pie tibi commendo. Tu eosdem nobis amicos isthic concilia et audaciam nostram boni consulito. Iesus, Dominus et deus noster, ausus tuos iuvet, teque sua gratia impletum ad sui evangelii propagationem diu incolumem servet. Pyctavii. Raptim 4 id. April 1. 5. 3. 7.

Tuus frater in Christo C. Sam.

56.

CALVINUS VIRETO.

Nova ex Vesuntione, ubi spes affulget evangelii cum fructu praedicandi. Igitur quaerendus aliquis qui hoc officium in se suscipiat, qui tamen nondum repertus est. Ad synodum Lausannensem proxime instantem bene praeparati omnes accedant oportet, et confessione et deliberatione unanimes. Viretum ipsum Genevae restituendum eo magis optat quod Farellus labore et taedio confectus videtur.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 106, fol. 8. Cuius apographa exstant plura: Cod 111a, fol. 27 manu Ionvillaei scriptum, Cod. 111, fol. 3 multo recentius: ex quo habuerunt Tom. VII. epp. in Arch. Bern. p. 211 et Simler vol. 43. Versio anglica ap. B.-C. Tom. I. p. 27.)

Vireto fratri mihi carissimo Lausannensis ecclesiae ministro.

Ut nulla mihi scribendi materia se in praesens offerre videbatur, ita scribere minime institueram, nisi *Farello* secus visum esset. Ergo eius postulationi ut satisfacerem potius quam quod necessarium esse ducerem pennam in manum sumpsi. Non enim dubito quin omnia literis suis complectatur quae venire mihi in mentem poterunt. Quum nobis bonus quidam vir recitasset, scriptum sibi nuper fuisse, fratrem illum[1]) qui Vesuutione in vinculis detinebatur magno populi consensu emissum et plane absolutum, quum iam ante in carcerem detrusus foret funestum et capitalem, e quo nemo unquam nisi ad supplicium extractus fuit, praeterea episcopum collectis vasis indignabundum sese in vicinam arcem recepisse: opportunitas illuc irrependi visa est nobis perquam idonea. Itaque Lingonem[2]) quendam, qui tum in manibus aderat, hominem optima et eruditione et morum suavitate praeditum, rogavimus ut provinciam istam susciperet. Sed quoniam adduci nullis precibus potuit, nos in *Tornacensem*[3]) respeximus, si qua ratione Aquilea evelli queat. Quod ipsum non fore nimis difficile arbitramur, si *Frumentius* eo concesserit ad sustinendas eius vices. Fingere enim licebit accersitum esse Genevam ad paucos dies ab amicis Gallis, quo tempore tentabit an qua rima ad faciendam irruptionem pateat. Et si quidem successerit salva res est, sin videbit segetem nondum maturuisse tempore se recipiet. Tu instu quantum poteris, quo diem conventus[4]) antevertamus, ad quem ut omnes nostri optime comparati accedant, interim effice. Nam adversus tantam improbitatem stare non possumus, nisi summa inter nos consensione cohaerentes. Quare et in edenda confessione et in omni deliberatione unam omnium vocem esse conveniet. *Michelius* universo fratrum collegio reclamante, a se uno

---

56. 1) *De hoc neque Beza quidquam neque historia Martyrum.*

2) *Lingones vetus nomen oppidi* Langres.

3) *N. 44, not. 7. Vide etiam epp. Vireti Iul.* 1542 *Dec.* 1543.

4) *Lausannensis, de quo vide epp. mense Februario scriptas.*

lectus Albonae[5]) episcopus, hinc demigravit, nihil moratus plurimas fratrum obtestationes quibus ipsum a coeptis usque adeo audacibus avocare conabantur. Si tale semel exemplum admissum fuerit quid erit nostrum ministerium nisi merum latrocinium? De homine ideo taceo, quia, ubi primum videris, quid secum ferat facile olfacies. Te nobis restitui omnino necessarium iudico, nisi *Farellum* perdere volumus qui maiori taedio conficitur quam in pectus illud ferreum[6]) cadere posse arbitrabar. Eius te monitum volui, quo de successore per otium cogites. Vereor enim ne chasmate peritura sit illa ecclesia, si quid hiulcum in ea relinquamus. Dominus te novis subinde spiritus sui incrementis locupletet, frater amicissime. Dominus ab *Alto monte*[7]) de petenda Gallia consilium captat. Ideo si vectorem fidum et idoneum nactus fueris, vestem et quidquid librorum allatum fuerat remittes. Salutat te ipse, *Sonnerius* et *Cognatus.*[8]) Genevae, 23. April.[9])

Calvinus.

57.

GRYNAEUS CALVINO.

Iterum de Sinapii nuptiis cum Ferrariensi puella procurandis.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 112, fol. 169.)

Ioh. Calvino suo fratri.

S. Valde te oro ut si qua possis Ferrariam ad illam[1]) scribens animo eam, si quidem esse ex utriusque re putaris, confirmes, idque primo quoque tempore facias. Nam ipse ad me non ita pridem scribens, se voluntatem consensumque illius obtinuisse, ac se in ea re totum esse ostendit. Valde bonus est vir et ingenio felicissimo, et conditionem apud nos quantum valet obtinebit. Non puto repugnandum esse diutius, postquam tam magna amoris, et eius honestissimi et tam diuturni, vi concilientur. Spero felix et sanctum utrique futurum. Quaeso te valde ut si quid in ea re potes iuves nos. Ita tibi propitium Dominum Christum eadem in re instituenda precor. Vale bene. Obsecro ut in omnibus istis motibus stare fortibus animis velitis. Scis, Domini negotium est, non deseret nos. Stemus igitur, et ne molestiis illis succumbamus eriget nos Dominus Christus. Vale in Domino. Amen.[2])

Simon Grynaeus tuus
in animo amicus semper.

58.

CALVINUS VIRETO.

Vireti priores intercciderunt. Colloquium expetens amico diem dicit quo se Tononium uterque conferat.

(Ex apographo Ionvillaei Cod. Genev. 111 a. fol. 27 v. Exstat quoque Cod. 111, fol. 3 v. et ap. Simler vol. 43. Haec duo postrema valde mendosa. Denique in Arch. civ. Bern. Epp. VII. p. 215.)

S. Literae quibus omnia fusius te prosequutum nuper scripsisti ad nos non pervenerunt. *Gendronius*, huius frater, a nobis ea de re appellatus, testatus est sibi quidem semel datas fuisse, sed postea per *Iacobum* repetitas. Addebat etiam iniectam ex ea sibi fuisse quandam suspicionem ac si de sua fide dubitares. Colloquendi facultatem prima quaque occasione dari nobis expetimus. Tu si sabbatho[1]) navem conscenderes, quo die ordinarius est traiectus, posset tua opera non mediocriter iuvare *Christophorum* die dominico, qui suam in alias ecclesias conferret. Nos de tuo adventu certiores facti, die Lunae illuc conveniremus. Videbis ergo an tot dierum inducias obtinere a collega possis, quot illi ultro sis concessurus, quoties illi visum fuerit. Mihi gratum fuerit si tecum *Buceri* commentarios afferas. Reliquam suppellectilem asservabis, donec fuerit nobis de gallica profectione aliquid constitutum. Vale. *Farellus* et D. ab *Alto monte* tibi prosperam navigationem precatur. Genevae, 5. nonas Maias.[2])

Calvinus tuus.

---

5) *Aubonne quod oppidum eo ipso anno sacra sua reformavit. Primum eius diaconum Ruchat* (*IV.* 409) *Michaulx vocat, pastorem vero Iac. Valier, quae huc quadrare non videntur.*

6) *Versio anglica haec de valetudine physica accipit.*

7) *M. de Hautmont i. e. L. du Tillet; de cuius reditu in Galliam plura infra. Cf. N.* 20, *not.* 5.

8) and his relative (B.-C.).

9) *In margine Cod.* 111 *longior annotatio Viri docti* (*Turretini?*) *legitur qua is in eo est ut efficiat hanc epistolam ad a.* 1537 *esse referendam. Verum hoc pluribus non eget, quum Farellum collegam dicat, et pars die anni sequentis ambo Geneva pulsi fuerint.*

57. 1) *Vide supra N.* 53.

2) *Sine die et consule, de quibus tamen vix ambigi potest, quum non longo a prioribus literis in eundem finem scriptis intervallo hae missae videantur.*

58. 1) *quinta Maii. Epistola enim tertia scribebatur, die Iovis.*

2) *Plurima hic satis obscura, maxime quae de gallica profectione dicit, quod nequaquam de abitu Tilletii intelligi potest* (*N.* 56, *not.* 7) *ut Turretinus vult in margine cod.* 111. *Attamen de anno non dubitamus. Mensem enim Maium cum Tilletio et Farello nullum alium nisi anni* 1537. *Genevae transegit. Eadem de causa conventum Tononiensem institutum arbitramur, ut ibi inter se de modo Lausannae procedendi deliberarent. Instabat enim synodus.*

59.

FARELLUS CAPITONI.

Epistolam Capitonis tardius accepit, singularem ob causam, de qua conqueritur. Vireti laudes, qui et olim multa passus ex invidia et negligentia hominum, nunc a collega Carolo, novum dogma spargente, titillatur. Quid huc usque de hac turba componenda factum sit. Arianismi crimen in Genevenses ministros temere delatum, dum revera ipsi Genevae contra Claudii errores circa eundem articulum contendunt. Ibidem Anabaptistae extranei novas res moliuntur, et pii undique hostili civium animo pressi vix libere munere suo fungi nedum bonam morum disciplinam instituere possunt. Etiam in Gallia varia rerum facies. Synodus Lausannae proxime habebitur.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argentorati. In tergo manu Capitonis scriptum legitur: Redditae sunt 30. Maii an. 1537.)

V. F. Capitoni Christi servo ecclesiastae Argentinensi

Argentinae.

S. gratiam et pacem a Deo. Nuper reddebantur tuae literae 6. Ianuarii scriptae. Tandem olfeci causam quare tardius ad nos pervenerint: et quod hostes senserim atrociores quam unquam, nimis me gravas titulis et plus satis invidiosum reddis. Utinam ita tibi temperares quam ego refugio. Re praestare sine nomine in votis esset: nomen aliis facile cederem, tantum currentes non impedirent. Quam putas hostes infensissimos evangelii fuisse motos, dum in tuis literis vident me apostolum Allobrogum dici? En papam, en apostolum, en alterum pontificem; solus hic censetur omnia peregisse, alii nulli sunt. Nosti hoc genus homines, gloriae amans, quam moveatur dum non ad sidera tollitur, aliis contemptis: quod apud *Viretum* non fuit dissimulatum, ubi *Viretus*, dum regnarent pontificii, in maximum discrimen se coniecerit a nemine vocatus, sed praeter spem, tum suam, tum [illegible]rum, verbum incipit adnunciare in summa egestate. Nam qui cibum praebere debebat, saepius domum deserebat, et post labores *Viretus* cibum sumpturus neminem offendebat, et nisi Dominus excitasset aliquem bonum virum Christi amantem, quoties feriandum fuisset ventri, ut taceam oportuisse capitium vendere prae egestate. Hic alii dicunt se non venisse nisi vocatos et rogatos conditione honesta, domo etiam insigni proposita, quae faciunt ut ministerium non vilescat, ut nonnulli quos iam fastidit orbis et eorum conciones. Sic labores pii fratris vere apostolici ab apostatis ridentur, et si quid probetur per bonos viros insaniunt, et qua possunt occasione contendunt sanctis piorum conatibus obsistere. Plebs haec post bellum, imo a tempore quo gravius coeperat per hostes urgeri, non viderat nec audierat *Viretum*, nisi per aliquot dies post disputationem visum fuit ut huc concederet: nam nemo huic urbi est gratior. Venit et multo cum fructu docuit.

Interea suus collega, theologus sed Parisinus,[1]) utinam non mataeologus, nova incipit proponere dogmata, ac aperte taxare quotquot vicatim docent et enarrant precationem dominicam, quod non docent orandum pro vita hac functis, quod facere debemus et remur ac cum Christo una precari. Admonebatur ut cum piis conferret, sed gloriae avidum animal, minis additis histrionice et tragice, dogma produxit in medium. Vocabatur cum *Vireto* Bernam, ut facti rationem redderet. *Viretus* me vocat ut ecclesiae consulam ita ruinam minanti: accurro ocyus, tantum unum propono Christum, ne verbum quidem faciens contentionis, sed ad Christum invito omnes. Assertor dogmatis interea nititur sua firmare. *Viretus* improbat, cui *Calvinus* adfuit. Assertor satisfacere non potest, ideo iubetur tacere, ac ubi occasio fuerit recantare, sed quasi intellectus non fuerit: verum per lacrymas et gemitus rigor remissus fuit: tantum non fieret verbum aliquod, neuter victoriam iactaret. Datae dextrae: novit Christus quam dispari animo. Interea per cavillos dialecticos *Carolus* transfert erratum verum in calumniam manifestissimam, Arianos nos audet facere, qui tanti fecimus Christi divinitatem, ut saepius morti nos exposuerimus pro ipsius gloria, ubi pastor ille suo timens ventri, ob idola quaedam suspensa trucidari curavit oves Christi quarum curam gerere dicebat. Praeterea, quantum intelleximus, referebat nos Lausannam venisse ut omnia turbaremus et sibi negotium exhiberemus. Accipio literas de quibus nihil dico: ex responsione possunt intelligere, an sic eram conveniendus. Arianismi nulla fiebat mentio, sed metus quem putabant excitandum, quum nihil esset falsius.

Interea Genevam repeto, ubi *Claudius*,[2]) erat missus a fratribus ut nobiscum conferret, per quem suspicio etiam piis generabatur, quod non recte de Christo sentiremus. Paucis contulimus, tam aperte indicantes quam erraret, ut quid responderet prorsus non haberet. Tantum afferebat loca de humanitate. Non poterat assequi Deum in carne manifestatum, verbum carnem factum, sed putabat ita carnem factum ut verbum non amplius esset. Diximus nos non posse eum fratrem habere, sed prorsus alienum a nobis ducere, quamdiu in ea esset

59. 1) *Petrus Carolus.*
2) *De Claudii Sabaudi antitrinitaria docendi formula cf. Trechsel. I. p. 56 et infra Megandri ep. N. 61.*

sententia, admonentes ne quid tam pestilentis doctrinae uspiam traderet, caveretque sibi. Pauper, si unquam, deiectus fuit tunc maxime, adeo ut mortem ultro expeteret: tam grave erat a nobis eiici. Lacrymis et precibus tandem cum *Christophoro* disserens coepit nonnulla amandatus capere. Rursus aliam demum apertam fecit de divinitate Christi confessionem, in qua plene sentire cum piis constat.

Quum colloquimur cum *Claudio*, Anabaptistae [3]) iam huc appulerant, quod *Calvinus* abesset, et fore diutius me Lausannae coniicerent nonnulli illius faecis. Egimus cum illis in coetu diem totum et partem rursus coram diacosiis. Sed quum resciremus plebem varie sentire variaque iactare, modis omnibus conati sumus in publicum ipsos producere, ut aperta disputatione fierent omnia. Plebi nota fuit ipsorum amentia. Sed tandem alii sequuti sunt, qui priores laudabant a zelo, verum imperitiae eos taxabant, quod parum essent in literis edocti, simplices et idiotae. Semel nobiscum convenere. Plus frontis quam priores habebant, absurda admisere multa. Sic emigrarunt hinc. Fatentur aliquot perditi novatores, neque priores neque posteriores satis suam causam defendisse, quos male habet coram plebe actum fuisse: quod si non fuisset, multos corrupissent.

Interea hostes nostri, quantum olfacio, venantur omnia, si nos possint perdere. Si quid ad nos venit literarum, exacte perquirunt, et potissimum si quid ipse scripsero. Nec nunc primum ordiuntur telam hanc: iam ab annis aliquot parturiunt. Admonemus fratres ut sobrii sint in inscriptionibus, et qui me saepius literis invisunt, aliud non scribunt nisi *G. Farello Genevae*. Modis omnibus invidiam declinare contendo, ac quantum possum cum Christo me subduco, et per alios cupio fieri potiora, ut et per Dei gratiam fiunt. In *Calvinum* et *Viretum* reiiciuntur omnia, quod commodius et dextre magis fiant, et sic non tam sim hostibus invidiosus, qui et pios aliquot fratres in suam trahunt sententiam, siquidem quidquid est studii, non in gloria Christi exaltanda, sed in uno vermiculo perdendo collocant. Ideo velim te ob Christum et omnes obtestatos, ut non aliter ad me scribatis quam ad nihili prorsus hominem, ut vere sum, et severe eorum admoneatis quorum oportuerit. Sunt enim plurima. Belli tempore non sic insaniebant in me tam insignes theologi: nemo iubebat ut hic me continerem, non edicta in hoc evocabant. Existimo, si tuae literae non tam gravi titulo me pressissent, citius fuissent redditae, nec prodiissent *Calvini* epistolae, quin prius eas vidisses, sed quum excusae sint, puto te ac pios omnes ipsas non improbare: siquidem qui in Galliis agunt, et praecipui, severius sunt admonendi, ne in suis peccatis computrescant. Qui tantum abest ut se errare fateantur, ut potius suas impietates etiam post agnitam veritatem fateantur cultum Dei, et observationem mandatorum Dei impietatem et offendiculum pusillorum, et ubi belle collegerunt iuxta propriae voluntatis sensum, dati in reprobam mentem prorsus Dei timorem excutiunt, sine Deo fiunt, cum Luciano omnem rident religionem. Quod facile fit ubi quis audet contra apertum Dei verbum agere et suas colligere rationes, et non se totum mancipat in obedientiam verbi Domini. Quod non potest satis inculcari nobis, ut revereamur Deum toto pectore, ac nos nostraque omnia subiiciamus verbo et voluntati divinae, et quidquid non fit secundum divinam voluntatem, quam nobis suo verbo Dominus manifestavit, id vere peccatum agnoscamus, ac ut peccatum refugiamus. Nec hic ad ea quae sequi possunt dirigenda est cogitatio, sed in id quod fieri praecipit Dominus. Affers multa quae sequuta sunt incommoda, ubi nonnulli non satis edocti et firmi fide suas sedes deseruerunt: nimirum quod foedius quam prius impietati colla submiserunt. Hoc nos in paucis novimus. Plures egressi constantiores evasere, et habentes aliquid aucti fuere ac abundarunt. Sed multo plures scimus, dum haerent in luto ac putant se non adeo male agere, qui tandem omnem pietatem abiecerunt et plenum naufragium in fide fecerunt, in hoc toti ut hominibus placeant ac quo ventus flat ferantur maximo omnium offendiculo. Si quis eos non sequatur, nec eos probet, is damnatur ab illis. Ne credas, mi *Capito*, iis qui aliter de rebus gallicis admonent: nam ita rem habere tandem rescies. Nos novimus probe ita esse, ac a cordatis fratribus et ex animo Christum amplectentibus cum gemitu intelleximus, nullos in Galliis esse qui deteriores sint, et pietati magis obsint, quam eos qui censentur stare a verbo, et non male affecti esse in evangelium, adeo ut horror sit vel audire quae per has aguntur pestes, quas puto severius verbo Domini perstringendas. Infirmioribus errata sunt amice ob oculos ponenda, sic tamen ne se fallant in errore perdurantes, ac putent se inculpatos apud Deum et haereant in luto: sed se ac suos ritus detestentur, et modis omnibus contendant vitam novam vivere priore relicta. Summa cautione sane est opus, et perditis nebulonibus obviandum, qui rident Deum et quidquid est Dei, quum via illis pateat ad illustrandam Christi gloriam: tantum abest ut curent quod datur impendere Deo et proximo. Verum animo etiam repugnante ac condemnante ipsos propria conscientia, rationes afferunt quae possent pro

3) *De his Anabaptistis legendi Roget, hist. du peuple de Genève p.* 31. *Gaberel, hist. de l'église de Genève p.* 280. *Kampschulte, Calvin I. p.* 294. *Qui tamen in nominibus hominum inter se discrepant. Praeterea ap. Roget ex errore typothetae d.* 9. *Maii senatum adiisse dicuntur, quum id Martio factum sit. Vide Reg. du Conseil* 1537, *p.* 189.

summe infirmis, quique parum aut nihil de Christo audierunt, adduci: in quibus nullus aut admodum exiguus est Christi sensus, qui tantum suspicione aliqua moventur, ob impiam rasorum vitam, quod non recta sint quae fiunt ab ipsis. Et quum eiusmodi infirmiores ferendi sint ac instruendi donec de Christo aliquid gustarint, alii qui pridem ex scripturis norunt quam impia sint pestifera, ac etiam testati fuerunt, nunc fucos quaerunt quibus se linant, dum contra conscientiam agunt et alios offendunt. Quos deprehendimus dum conferremus, ac ea quae satis tenebant ob oculos poneremus, eorum proprio ore sese damnare convinceremus:[4]) aiebant: contuli cum doctis piis, et quid non? ii suadent ita vivere nec nos damnant. Quibus quum obiiceremus: quid tu consilium quaeris contra tam apertum Dei verbum, quod vides tuum damnare opus? quid tu agis contra conscientiam tuam, quae te arguit? tacebant ac indigne ferebant nos non subscripsisse ipsorum affectibus. Sicut damnandi temere non sunt omnes qui alicubi levioribus erratis peccant, ita multo minus probandi vel excusandi sunt qui gravius peccant, et nutans antichristi regnum stabiliunt et collapsa reaedificant. Plus satis condonatum missarum exsecrationi, idolorum abominationi et aliis pontificum impietatibus. Ego, ut plane dicam, in quo versor orbe prorsus nescio: dum recentia lego scripta tam diversa ab iis quae paulo ante edebantur, ac pseudoprophetas pseudoque episcopos tam video commendari, quid dicam nescio. Unum precor Christum ut suo spiritu nos afflet plenius, ut toti feramur huius impulsu. Quamvis sacra non nisi interrupte et rarissime detur evolvere, tamen non video hac via processum fuisse. Videbis igitur, mi *Capito*, ne uspiam edas quod impietati patrocinetur, nec unde sese tueantur pontificii. Pure quae pura, ac sancte sancta tractemus, idque multa cum diligentia et cura ne quid nostrum divinis admisceamus.

Quod cupis clavium usum quo contineatur ecclesia . . . . .[4]) hoc faxit Christus. In hoc eramus qui hic docemus, ut iuxta praeceptum Christi publice offendentes ecclesiam et qui admonendi sunt, delectis aliquot probis cum ministris, admonerentur semel atque iterum, tandem per coetum: quod si non audirent, ut ethnici haberentur, relicta gladio sua semper potestate in omnes qui civilibus iussis non obtemperarent. Sed, ut nosti, divina ab hominibus non fide perfecta curantur: lente fiunt omnia, ne dicam lentissime. Nos urgemus, sed non pro dignitate. Quam procul a meta cursus est, quem det Christus ut ocyor sit et ad metam propior, totus propendeat non a prudentia humana sed a simplici verbo Domini.

Synodus dicta est Lausannae ad 13. huius mensis. Utinam tu adesses. In hoc erant nonnulli ne vocaremur, neve una cum fratribus, qui in ditione Bernensi agunt, ecclesia censeremur, et, quod timent, non haberemus vocem. Sed Dominus per suos aliter fieri voluit. Vocati sunt et Neocomenses et qui Genevae docent ut componantur omnia. Quod etsi difficile putamus, per Christum tamen speramus futurum. Sunt enim nobis pii fratres Christi amantes non pauci, per quos speramus Christi gloriam illustrandam et impiorum conatibus obviandum. Unde non tantum hic et in tota regione nuper bello parta speramus plurimum fructus, verum et in tota Gallia, in qua audimus novas surgere Christi plantas, ad pietatem aspirantes, modo quis remoram non iniiciat, quod factitare solent qui Erasmico more clara ingenia bene in Christum affecta carneis consiliis continere volunt, quae praestaret de Christo nihil unquam audivisse nec novisse. Nam retrocedentes tum se tum plurimos in perniciem trahunt. Audivimus nonnullos qui invitarent alios ad missaria sacra, ad venerationem idolorum, et silentium eorum quae Christi sunt, et volunt haberi non postremi inter amantes Christi et sectatores evangelii, qui aiebant aliquibus ex fratribus, posse se vel horula nobis indicare, non adeo malum esse missis interesse, idolis caput retegere. Salutem mihi dicebant, hoc tamen poscebant ne ad se scriberem: se velle omnia iuxta verbum fieri, sed non temere multa damnare. Mi *Capito*, quam perdunt multos qui aras Balaam et excelsa prorsus non detestantur, quique bona conscientia aiunt pium aliquem mensae daemoniorum participem esse posse, aut ipsi Baal genu posse incurvare, quum esset satius docere ut fateretur unusquisque Christum et damnaret impietatem pontificiam aperte, aut, si non potest per infirmitatem, sese subduceret, mortemque potius appeteret, quam Christum inhonoraret ac suam doctrinam omnibus suspectam redderet. Non moveat nos, plerosque relicta Aegypto obmurmurare, deteriores et insolentiores fieri, quam quum iugum Aegyptium ferrent. Precemur Dominum, et tantum quod iubet Dominus agamus, impio suam adnunciemus impietatem, praedicemus evangelium omni creaturae, quae docemus adnitamur praestare cum Christo.

Quod est reliquum, imo quidquid est, Domino committamus: purissima sit doctrina et a larvis humanis semotissima. Quamvis veritas omnis a Deo sit, quid opus est testes citare diabolos Christum virtutem Dei clamantes? Quid ab incantatoribus et magis, et iis qui pure divina non tradiderunt, pro firmandis divinis suppetiae petendae? Paucissima Pauli ex profanis adducta non debent impellere nos sacra profanis ut misceamus: ex puris fontibus haurienda sunt pura, et ab indubitatae fidei

4) *vox dubia.*

autoribus quae ad sanguinem usque tueri et sequi debemus. Tu, cui Dominus dedit non pauca talenta, invocato Domino iudica quam ita expediat, et quod Dominus dat purum pute ut fiat et tractetur. Sed multo quam par sit longior sum, nec animadverto quam sis occupatus, et ipse ad alia vocor, quamque parum haec tam multa oportuit apud te, quae forte, ut alia plura, tibi non reddentur. Potes satis capere ut habeant omnia apud me: igitur precare Dominum ut nobis adsit. Precamur ut te servet, ac tecum pios omnes quos salvere optamus, ne Bucerum taceam et alios in verbo laborantes. Salutant vos omnes pii. Genevae, 5. Maii 1537.

Tuus totus Farellus.

60.

MYCONIUS BULLINGERO.

Genevensium orthodoxia in articulo de trinitate valde suspecta est.

(Ex autogr. Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 155 olim B. epp. tom. 33, fol. 171. — Simler vol. 43.)

D. Heinricho Bullingero antistiti Tigurinorum Domino colendissimo suo.

Ecce tibi, mi *Bullingere*, quae olim miseras.[1]) Visum est enim praestare ut librum apud te seu *Froschoverum* expleant, quam ut pereant apud me. Vix enim potest fieri ut non usui sint aliquo * descriptori. Caeterum quod nihil scribis tametsi miror, invenio tamen quo hactenus te excusarim. Si perrexeris, tu videto quam causam excogites silentii. Tempora sunt quibus tacere ratione tali bonis viris et populi christiani ducibus non convenit. Si arianismum isti[2]) reducere conantur, uti coepisse audio, vel potius *Serveti* Hispani pessimum errorem confirmare, erit quod agant viri docti. Quamvis vero sciam propter meam parvitatem hic nihil futurum mihi negotii, scribendo tamen monere, seu hortari, seu narrare quid possem quod ad rem foret forsitan aliqua ratione. — — — Basileae die Pentecostes[3]) 1537.

Myconius.

60. 1) *Praecesserant Bullingeri, Myconii et aliorum Helvetiorum literae mutuae de Buceri syncretismo ipsis et suspecto et odioso. Cf. Pestalozzi, Bullinger p.* 199 *seq.*

2) *Genevenses puta, et quidem potius de ipso Calvino et Farello loqui videtur, calumnias Caroli incautius amplexus, quam de Claudio Sabaudo.*

3) *i. e.* 20. *Maii.*

61.

MEGANDER TURICENSIBUS.

Paucis synodi Lausannensis acta et decisiones enarrat.

(Ex autographo Bibl. Turic. civic. F 62 olim Epp. T. 27, fol. 261. — Simler vol. 43.)

Bullingero ac Leoni viris piis et doctissimis, amicis et fratribus suis observandissimis Zürich.

Synodus fratrum Gallorum decimo quarto Maii me praesente Lauzannae[1]) celebrata atque felicissime transacta est. *Claudius* Sabaudus arianismum revocavit.[2]) *Farellus*, *Calvinus*, multique alii fratres, viri pii ac doctissimi, malo huius haeresis iniquius aspersi et insimulati sunt. *Carolus*, qui hanc tragoediam movit, non ob eam solum sed impia vana et rara quaedam alia, communibus fratrum suffragiis munere suo privatus est. Non dubito Dominos quoque hanc fratrum sententiam adprobaturos. . . . . . Bernae, 22. Maii anno 37.

Megander totus vester.

62.

FAREL AUX SYNDICS DE GENÈVE.

Le séjour de Calvin et le sien à Berne se prolongeant il propose au magistrat les mesures à prendre pour que la personne qui a prêté les moyens de transport n'en soit pas privée plus longtemps.

(Autographe de la bibliothèque de Genève, dans la vitrine.)

A Messeigneurs Messeigneurs les Syndiques de Geneve.

La grace, paix et misericorde de Dieu nostre bon pere par nostre seigneur Iesus son seul filz. Messeigneurs iay entendu comment M^r. *Morlet*[1]) a

61. 1) *Quam cave confundas cum Bernensi conventu proxime sequenti, quod accidit Kirchhofero, Farel I.* 225. *Vide Tom. VII. p.* 310.

2) *ad tempus scilicet. Nam paucis annis post veterem suam cramben recoxit v. Trechsel l. l. p.* 57.

62. 1) *Cela pourrait-il être le S^r. Morelet de Museau dont il a été question au N.* 37, *note* 1? *Cela ne nous paraît guère probable. Il s'agit sans doute de quelque bourgeois de Genève qui avoit prêté son cheval pour quelques jours.*

besoing de son cheval lequel ne pensoye tant garder: mais esperant de iour en iour partir lay garde iusques a present et de luy envoyer il sera las quant sera arrive et sera fascherie a ce bon personnage: par quoy sera vostre bon plaisir luy trouver une monture iusques a Lausanne et lundy au soir il trouvera sa monture et ie prendray celle quil aura amainee et ce a semble le plus commode pour tous deux: car aussy bien ne sauroit on si tost amainer cheval comme iespoire men pouray retourner et vous savez que le temps ne porte plus que soyons si long temps absent: Pourtant ie vous prie que vostre bon plaisir donner si bon ordre que ledit *Morlet* puysse avoir monture et avoir esgard quelle soit commode pour luy: car *Calvinus* luy avoit promis quil ny auroit faulte que la sienne ne luy fust renvoye dans dimenche. Quant lon sera de par dela de tout seres advertis priant le Seigneur vous avoir en sa garde et protection. *Calvinus* et *Viret* vous saluent. De Berne ce 29. de May 1537.[2])

Vostre humble serviteur en nostre
Seigneur Iesus
Farel.

2) *Le 29 étant un mardi les autres jours mentionnés dans cette lettre se détermineront en conséquence. Calvin a dû arriver à Berne le 26 ou le 27; le synode peut avoir commencé le 28. Ce fut le 7 juin que le magistrat rendit son arrêt en faveur des trois ministres de Genève et de Lausanne.*

63.

DÉCLARATION DU SÉNAT DE BERNE.

Certificat d'orthodoxie délivré à Farel, Calvin et Viret, après les conférences de Berne.

(Autographe de la bibliothèque de Genève, avec le sceau, Cod. 145, fol. 8 sous le titre de: *Magistratus Bernensis pro orthodoxia Calvini Farelli et Vireti.* — Copie à la Bibliothèque impériale, Collection Dupuy vol. 102, fol. 70 sous le titre: Lettres d'innocence pour Farel, Calvin et Viret, contre les blasmes de Caroli. — Ruchat, V. p. 39 et Oeuvres de Calvin VII. p. 337.)

Nous l'advoyer et Conseil de Berne faisons scavoir a tous par ces persentes Comme ainsin soit que docteur Petrus *Carolus* ayt note maistre Guillaume *Farel*, Iehan *Chauvin* prescheurs de Genesve, Pierre *Viret*, predicant a Lausanne et aultres prescheurs en nous pays nouvellement conquestes de lheresie arrienne dont yceulx lont premierement convenu au synode de Lausanne, secondement au Synode icy en nostre ville tenu, sur lesquels sont este ouys dung couste et daultre, Ains ledit *Carolus* na peult monstrer ne veriffier ladite accusation, dont lesdits accuses sont cogneuz innocens, et lesdites accusations iugees iniques. Surquoy lesdits *Farellus, Calvinus* et *Viretus* en leurs et au nom de leurs adherans nous ont supplie leur vouloir administrer iustice contre ledit *Caroli* pour avoir reparation de liniure a eulx faicte. Surquoy avons remis la cause devant nostre consistoire pardevant lequel les parthyes sont comparues, ains ledit *Caroli* ne sest voulsu soubmectre a lordonnance et advis dudit consistoire. A celle cause lesdits parthyes sont remises pardevant nous, dont lesdits *Farell, Calvinus* et *Viret* sont hier comparuz par devant nous, ains ledit *Caroli* na este present, dont par ung de nous sergeant lavons laisser cercher en son logis, lequel nous a rappourte non estre present ains soit retire. Surce nous a este par lesdits *Farell Calvin* et *Viret* supplie de remede et provision et leurs conceder et donner Lectres testimoniales de leur innocence. Ce que ne leur avons par raison sceu denege [1]) A ceste cause leur avons oultroye ycestes, mandans et commandans a tous nous officiers lesquels seront par lesdits *Farell, Calvin, Viret* et leurs adherans particulierement et generalement requis de leur administrer contre ledit *Caroli* et ses adherans iustice de cella faire summairement. Car ainsin le voulons en vigueur dycestes seelees de nostre seaul. Datum VII° Iunii Anno M. D. XXXVII.

(L. S.)

63. 1) denier *Paris. On voulait écrire:* deneguer (*denegare*).

64.

CALVINUS GRYNAEO.

Fuse narrat totam controversiae cum Carolo historiam, a principio ad finem, transmittitque exemplar confessionis trinitariae a se et collegis hac occasione editae.

(Epp. et Resp. Ed. Genev. p. 362, Laus. p. 9, Hanov. p. 10, Chouet p. 497, Amst. p. 227, Streuber p. 51. — Versio anglica l. c. T. I. p. 29. — Manu scripta non exstat.

Quando mirificas et prope incredibiles esse Satanae artes, quibus una cum opere nostro assidue nos impetit, satis iam experti sumus, minime nos fefellit malitiosa eius vafrities, qua nos per *Carolum* suum nuper adortus est. Nam et eiusmodi certamina omnia multo ante opinione conceperamus, et ad ea sustinenda eramus animo parati. Itaque quum Arianae primum haereseos, paulo post etiam Sabellianae insimulari nos audivimus, nihil nos istorum valde perturbavit, quum et ad tales calum-

nias aures nostrae pridem obduruissent, et spes certa esset, in fumum mox exituras. Purgationem duntaxat, quae prae manibus erat, obiecimus, qua piis omnibus ac integris viris satisfieri abunde posset. Conscriptus enim aliquanto ante Catechismus a nobis fuerat, gallice etiam editus,[1] ubi sub una Dei essentia nos patrem, filium et spiritum complecti testabamur: alterum tamen ab altero sic distinguebamus, ne quis sinistrae suspicioni locus relinqueretur. Christum nempe docebamus verum et naturalem esse Dei filium, qui unam cum patre divinitatem ab aeterno possedisset, carnem nostram suscepisset secundum tempus redemptioni nostrae destinatum. Quum pergeret rabiosa illa bestia, conventum ministrorum totius Bernensis ditionis dari nobis petiimus, apud quem innocentiam nostram defenderemus. Fratres gallicae linguae prius Lausannam coacti sunt, quo etiam duo e Senatu Bernensi, ac ministri duo missi sunt.[2]) Quaecunque conflari mendacia potuerant, bonus ille vir in unum fasciculum collegit. Venerat enim ad accusationem instructus, quomodo iurisconsulti praecipiunt, nempe cum sacco paratus. Verum totum illum saccum nostra refutatione sic exhausimus, ut ne minima quidem suspicio in hominum animis resideret. Demum ventum est ad nostrae confessionis recitationem, in qua decem circiter errores ipse quidem animadvertit, alii paene omnes, nihil non pium esse ac sanctum iudicarunt. Ita nos synodi sententia fuimus absoluti, ille indignus iudicatus, qui ministerio fungeretur.[3]) Tali exitu nihilo demissiorem factum arguit perpetua eius impudentia: saccum illum futilem, magis quam antea refertum attulit: ubi a nobis excussa omnia fuerunt, quibus suspicionem aliquam de tempore praeterito iniicere conabatur, producta est confessionis nostrae forma, quae omnibus aliis criminibus absoluta, uno duntaxat capite rea fiebat: quod Christus illic affirmatur ille esse Iehovah, qui a se ipso semper habuit ut esset.[4]) Quam criminationem discutere promptum fuit. Nam si distinctio spectatur, quae est inter patrem et verbum, hunc ab illo esse dicimus. Si autem verbi essentia consideratur, quatenus unus est cum patre Deus, quidquid dici de Deo potest, in illum competit. Iam quid nomen Iehovah significat? quid illud quod Mosi dictum fuit: Ego sum qui sum? Huius dicti Christum autorem facit Paulus. Apud te quidem piosque omnes in approbanda eius sententiae veritate non laboramus: sed noluimus tacitam praeteriri perditi huius calumniatoris malignitatem, ne quidquam ad vos, secus quam res haberet, rumor deferret. Nihil enim dici apertius poterat, quam habet nostra confessio: Christum sermonem esse illum aeternum ex patre ante saecula genitum. Verum nisi duplicem Deum comminisci libet, de eius essentia disseramus oportet non aliter, ac de unius Dei essentia. Atque hac ratione, cui non satisfaceret, nemo praeter ipsum repertus est. Fratres, ut dignum erat fidis Christi ministris, nos iniquissime in suspicionem aliquam adductos sibi videri pronunciarunt. In nostra autem confessione nihil improbandum se animadvertisse. Dum haec geruntur, afferuntur a *Myconio* literae publice ad conventum scriptae. Aliae rursum a *Capitone* ad *Farellum* generatim missae: quibus utrisque intellectum est, horrendum longe lateque rumorem de nostra controversia pervagatum esse.[5]) Denique ad excitandam erga nos gentium omnium invidiam malitiose a certis hominibus fabrefactum. Quod autem homo nihili futilissima sua vanitate tantum proficere potuerit, ut tot ecclesiis sinistram de nobis opinionem iniiceret, id vero est, quod nos vehementer perturbavit. Siquidem non levis momenti rem esse ducebamus, si caput religionis nostrae praecipuum, inter nos controverti adversarii nostri audirent, vel ecclesiae quidquam de nobis tale suspicarentur. Eo autem gravius hoc nuncio perculsi sumus, quod id ne timere quidem unquam in mentem venerit. Speramus tamen fore, ut Domini bonitate inanes illi fumi discutiantur propediem, ac in capita impiorum recidat, quidquid mali Christo eiusque ecclesiae intentarunt. Coepit enim iam affulgere Domini manus, atque virtus eius sese exserere, ad exstinguenda haec qualiacunque exordia. Sycophanta ille senatusconsulto in exsilium actus est: nos plane absoluti, non a crimine modo, sed ab omni quoque suspicione.[6]) Quanquam vero se Athanasii titulo nunc venditet, qui poenas luat defensae fidei: nullum tamen fore periculum videtur, ut orbis pro Athanasio sacrilegum, scortatorem, homicidam sanctorum multorum sanguine madentem agnoscat. Qualem dum istum praedicamus, nihil dicimus quam quod solidis testimoniis revincere sumus parati. Haec tibi paucis significata volui, ne iniquis improborum delationibus absentes sic inauditi (ut fit) opprimamur. Exemplar etiam confessionis ad te mitto, quod cum tuis collegis communices. Magnopere enim referre duco, ut ne obscuris rumoribus exagitentur. Simul te obtestor, ut

---

64. 1) *Cf. supra N.* 49, *not.* 3. *Gallice etiam editum dicit, non quod antea latine quoque fuerit, sed utpote non tantum scriptum.*

2) *Synodo Lausannensi adfuerunt a senatu missi Rud. de Graffenried signifer et Nic. Zerkintes archigrammateus reipublicae. Ex ministris Megander colloquio praesidebat.*

3) *Quae sequuntur ad Bernensem conventum pertinent, quem ipse Calvinus memoria lapsus alibi* (*VII.* 325) *circiter tertio mense post Lausannensem habitum dicit quum vix dimidii intervallum intercessisset* (*Ruchat, V.* 30).

4) *Opp. T. VII. p.* 313, *T. IX. p.* 707 *seq.*

5) *Has Myconii et Capitonis epistolas non habemus.*

6) *Tom. VII. p.* 317. 336.

tum confessionem ipsam, tum has literas ad illos ipsos etiam fratres mittendas cures, aut potius ipse propriis tuis literis eorum animos placare intendas. Vale. Dominus Iesus vos omnes spiritu suo impleat, quo unanimes nominis sui gloriam propagare possitis. Bernae. [7])

Tuus Calvinus.

65.

GRYNAEUS CALVINO.

De crimine Arianismi in Genevenses ministros delato per rumorem publicum olim certior factus, nunc lecta eorum confessione quid de his calumniis sentire debeat probe novit et sibi plane satisfactum esse dicit. Carolum iam valere iubet, istum talem qualem Calvinus depingit.

(Manu scripta non exstat. Impressa legitur apud Bezam ed. Genev. p. 363, Laus. p. 13, Hanov. p. 14, Chouet p. 499, Amst. p. 227 denique ap. Streuberum p. 53. Beza in margine ex gallico se vertisse testatur quod vix crediderimus.)

Quae istae et quorum de vobis tam graves querelae sint, ego nescio. Nullae dum enim ad nos venerunt. *Capito* non semel ad me scribit ultro vestra omnia excusans, et valde ecclesiae vestrae bene cupiens. Rumor principio gravis sane fuit, qui me ipsum quoque turbavit, quum in isto praesertim argumento contendere vos audirem de appellationibus personarum divinarum, et a consuetis vocibus instituere recedere. Ea enim res videbatur amplius prae se ferre. Verum ubi ad nos confessio tua venit, neminem video qui non satis sibi factum putarit. Mihi privatim valde doluit, ab iis gravem in ecclesia contentionem esse exortam, quorum uterque mea esset amicitia et consuetudine usus diu. Etiam hoc mirabar, quomodo tantum incendium et tamdiu durans, et vixdum exstinctum me latuisset. Hoc queri apud *Farellum* memini, ac aliud praeterea nihil: nisi quod dicerem vereri me, ne rudis et nova ecclesia, nisi caute administraretur sub initia, capere magnum incommodum possit ab istis contentionibus. Sic igitur ex me habe, neminem scire me qui de vobis queratur. *Carolum* talem esse qualem pingis, haud aegre adducor ut credam, postquam ad illos a vobis secessionem facit. Quid enim instituit aliud, quam quod tu melius praedicis. Promiserat mihi et *Mauro* hic amplissime. Valeat igitur, valeat. Nostrum est in ista magna rerum difficultate modis omnibus iungi, et divelli minime pati. Pestis est ecclesiae nostrae una haec perniciosa maxime, quod suspicionibus valdo inter nos laboramus: et fratres de fratribus raro candide vereque sentimus, quum lenire oporteat, et in partem optimam omnia trahere: et non ante sinistre de fratre suspicari, quam ipsa res eventusque coegisset. Ah quam malum est eos, quos nosse Christum credimus, in suspicionem pravam rapere subito. Ita quod suspectum erit nobis, inutile reddimus. Literas *Capitonis* quibus optime de vobis sentire se testatur, misissem ad te nisi putem ipsum de re eadem ad te saepius scripsisse. Quod *Farellus* de comite consulit exsequar apud *Capitonem*. Tu valebis interea. Amemus in Domino vere nos, et illi toto corde serviamus. Saluta fratres omnes diligenter. *Farellum, Viretum* cumprimis diligentissime. Dominus Iesus nos in suam sanctam voluntatem servet. Amen. [1])

Grynaeus tuus.

66.

CAROLI AU MAGISTRAT DE LAUSANNE.

Il maintient tout ce qu'il avait soutenu et prêché, tant à l'égard des prières à faire pour les morts, que relativement à l'hérésie arienne de ses adversaires, et jette le défi à ceux qui l'ont condamné.

(Ruchat, V. 40. Nous n'avons point retrouvé l'original.)

A tresmagnificques et honorez seigneurs Messieurs les bourguemaistre et conseil de Lausanne.

Tresmagnificques et honorez seigneurs. Apres humble recommandation et salut en nostre Seigneur Iesus Christ ie vous pry vous maintenir le plus sagement et modestement que pourrez sous les puissances ordonnees de Dieu sans blecer vostre conscience ou consentir a erreur. Ie remercie Dieu lequel par sa grace ma tire honorablement dune bande laquelle de long temps me desplaisoit. Et touchant nostre debat il nest pas finy: il fault que les autres nations chrestiennes en iugent pource quilz touchent visceralement la fundamentale doctrine de leglise,

---

7) *Quum de Senatus consulto dicat quo ab omni suspicione ipse et collegae absoluti fuerint, quod Senatus consultum d. 7. Iunii editum est, patet hanc epistolam eodem fere tempore scriptam fuisse quum vix credibile sit Calvinum ultra quam necesse fuerit Bernae remansisse.*

65. 1) *Quum de confessione contra Caroli calumnias missa dicat, patet eum hac epistola respondisse ad praecedentem. Utrum tamen tam cito ut iam hic inserenda fuerit, an paulo serius, non liquet. Serius factum esse ex eo colligere posses quod de Caroli secessione loquatur, si quidem hoc de apostasia intelligi debuerit.*

et si Dieu me doint force et vertu comme il a bien commence, ie le poursuyvrai iusques au bout, si que les ennemys de la tressaincte et individue trinite et de la generation eternelle de nostre Seigneur Iesus Christ ne sesiouyront gueres longuement de leur vaine victoire. Les choses en sont ia bien avant sur le bureau. Dieu conduyse le demeurant: auquel ie prie vous consoler par son sainct Esperit si que ne devoyez iamais de la verite. De Soleure 16 iuing.[1])

Tout tant quilz mont obiecte ie lo maintiendray devant toute leglise universelle, tant de la messe que de la priere pour les trespassez et autres propos. La fin fera le compte. Gardez de vous laisser abuser. Ie vous envoye un blanc signe pour 4 sepmaines depuis le 6 may iusques au 6 de iuing. Vous pourrez calculer combien elles monteront.[2]) Si iestoye bien riche rien ne vous en demanderoye. Vous signifiant que la ou ie soye tousiours demeureray

Vostre treshumble serviteur
P. Caroli.

67.

MEGANDER TURICENSIBUS.

Iterum collegis inter alia Lausannensis Synodi sententiam declarat, de illis quae postea Bernae acta sunt nihil addens.

(Ex autogr. Arch. Turic. Plut. VI. vol. 108 olim Epp. Tom. IV. pars 1, fol. 135. — Simler vol. 43.

Eruditione et pietate viris spectatissimis Bullingero ac Leoni Iudae Tiguri a concionibus, fratribus suis carissimis.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Quod synodum Lausannensem attinet atque controversiam *Caroli* adversus *Calvinum*, *Farellum* et *Viretum*, iam dudum vobis constat Genevenses de Deo, Christo et spiritu sancto sancte et catholice, nec denique aliter atque nos de sacramentis sentire. Voculas personarum et trinitatis non requirunt nec recusant, eas tamen in gratiam *Caroli* recipere nolebant.[1]) . . . . Bernae, 26. Iunii anno 37.

Megander totus vester.

---

66. 1) *Après sa condamnation Caroli s'était retiré dans cette ville qu'il quitta bientôt pour rentrer en France et dans le giron de l'église catholique.*

2) *Il veut parler sans doute de la liquidation de son traitement.*

67. 1) *Cf. Confessionem Genevensium Tom. IX. p.* 707 *seqq.*

68.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE NEUCHATEL.

Communication officielle du résultat du Synode de Berne tenu au sujet de l'affaire de Caroli contre Farel et consorts.

(Archives de Berne. Welsche Missiven. B. fol. 24 v.)

Es quatres ministraulx conseil et communaulte de neuffchastel.

Nostre amiable salutation devant mise. Nobles prudans singuliers amys et treschiers Bourgeoys.

Nous avons veuz vostre missive aussy la copie de la lectre du docteur *Caroli*[1]) aussy en parthye entenduz le contenuz des responses que maistre Guillaume *Farel* et vous predicants sur cella ont faictes. Surquoy vous advertissons que ledict affaire a este debatuz par devant le Synode dernierement tenuz icy en nostre ville enapres maistre Guillaume *Farel* et ses adherans nous avoir requeste de arrester ledict docteur *Caroli* pour lenduirre a reparation des iniures sur eulx mises et les accusations dheresie contre eulx faictes, implorant iustice, avons ambes parthyes le premier iour ouyes, enapres remises devant nostre consistoire, lequel apres les avoir entendues ne les ont peuz accorder, ains remises par devant nous, a laquelle remission ledict *Caroli* nast obeyr, ains soy retirez, dont ledict *Farel* et ses adherens nous ont prie de pourvision de laquelle leurs avons donne lectres[2]) et seaulx, a quoy nous arrestons, pour autant sy vous y voules faire sur ce que ledict *Caroli* vous az rescript et vous predicants et *Farel* ont responduz plus ample pourvision, le pouves faire. Datae xxix. Iunii anno etc. xxxvij.

Ladvoyer petit et grand conseil
de Berne.

---

68. 1) *Nous n'avons retrouvé ni la lettre des Neuchâtelois aux Bernois, ni celle de Caroli aux Neuchâtelois, ni celle des prédicants. Il paraît que Caroli avait essayé de donner le change à ceux de Neuchâtel sur ce qui s'était passé à Berne, afin de s'insinuer auprès d'eux, et qu'ils avaient demandé à être renseignés par les magistrats de Berne.*

2) *Voyez ci-dessus au N.* 63.

69.

MYCONIUS BULLINGERO.

Confessionem Genevensium Lausannae Caroli criminationibus oppositam Calvini iussu cum Turicensibus communicat, simul opinionem suam de toto hoc negotio declarat Carolo aequiorem quam eius adversariis.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 155 olim Epp. Tom. 33, fol. 164. — Simlerus descripsit vol. 43.)

D. Heinricho Bullingero doctissimo in Domino colendo suo.

S. *Calvini* iussu his colligata mittimus. De confessione [1]) appendix ad finem amputatus est: nescio si quid subsit latentis causae. Displicet nobis, non dico confessio per se, sed consilium confessionis. Quid enim opus erat de sanctissima adorandaque trinitate quidpiam velut in dubium per illam vocare? Deinde trinitatis et personae vocibus tam iniquum esse, ut eis pertinaciter non utatur ille, quibus est tamen usus in Catechismo? Verum quid ad me quid quisque confiteatur, quum iudicare nec possim, nec debeam, nisi quantum ad ecclesiam meam pertinet? Hic quidem pro virili cavebo ne contentiones oriantur ob verbula. Istud tamen iudicare plane libet: iniquissimum esse ita se velle purgare, ut alium adeo turpiter quis accuset. [2]) Tales fratres sumus. Haec est mansuetudo christiana. Equidem *Carolum* non defendo, quamvis olim, id est ante annos duos, [3]) ipse se apud me coram defenderit, postquam a *Farello* turpissimis literis huc scriptis esset accusatus de iisdem criminibus: non tamen probare possum, taliter eum tractari apud bonos et pios viros. [4]) Et quid, putas, evangelici Galli confecerunt, si *Carolus* se publico scripto defenderit? [5]) Hic erit evangelio consultum egregie. Scio *Carolum* publice dixisse: Si consenseritis in confessionem Basileae communiter scriptam, vel in eam quae oblata est Caesari in comitiis Augustanis, et subscripseritis Athanasii symbolo, ego vester ero, nihil contra vos movebor: sin aliter, erit quod ferre non licebit. Quid est igitur quod istos movet, nisi spiritus dissidii, ne quid dicam aliud? Utinam vel evangelium non tractaremus, vel pacis in Domino spiritum recto animo quaereremus. Verum de his satis rerum omnium ignaro et stulto viro. [6]) — — — — — — Basileae, 9. Iulii anno 1537.

Os. Myco. tuus.

69. 1) *Cf. ep. Calvini ad Grynaeum supra N.* 64 *et Megandri ad Bullingerum N.* 67. *Quid amputatum hic dicat non assequimur, nec Appendicem quam indigitet.*

2) *Myconius quae Lausannae totius controversiae origo fuerit ignorasse videtur, et Caroli indolem minus cognitam habuisse, dum a Farello et Calvino ex praeiudicata opinione aliquatenus alienus erat. Vide supra N.* 60.

3) *Carolus Basileae fuerat post disputationem Genevensem mense Augusto* 1535 *habitam, ubi tamen satis dubiam et parum dignam personam egit.* (*T. VII. p.* 305.)

4) *Idem tamen Myconius d.* 26. *Iul. de Carolo*: Taliter egit ut irascerem, bonum esse virum. *Cf. Kirchhofer, Farel. I.* 220. *Farelli literae Basileam missae non exstant. Vide interea supra N.* 39 *et* 44.

5) *Quod vero iste non fecit, sed ad suos papistas rediit, sic Genevensium de se ipso iudicium omni iniquitatis suspicione eximens.*

6) *Quae sequuntur nihil ad nostra.*

70.

LOPINUS CALVINO.

Magno movetur desiderio studiorum Genevae Calvino duce persequendorum, sed patre invito et ideo stipendio destitutus aliter non potest ac si ipse vir clarissimus, cui Lutetiae non ita pridem innotuisse se gloriatur, ei aliquo modo et itineris et commorationis copiam fecerit.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 109, fol. 177.)

A Monsieur et frere Monsieur Cauvin Lecteur public a Genesve

A Genesve.

G. Lopinus [1]) *Calvino* totius Galliae ornamento et Genevae graecarum literarum professori doctissimo S. Quum ab ineunte aetate vitam ab omni impietate alienam ducere instituissem, vir doctissime, nihil perinde cupivi atque quantum possem eorum familiaritate uti qui vere pietatem docerent, ut primum et pie et sincere imbiberem. Tanta est enim eius vis ac magnitudo, ut nihil putem esse quod ad vitam perducere possit si eam tollas. Verum quum modis omnibus id efficere tentassem, res ita tamen processit ut nihil me assequutum esse videam. Quid enim suapte natura peccator hic, inter eos apud quos purissima quaeque male audiunt, et a quibus nihil discas praeter meras impietates, assequeretur? Quo nomine dici non potest quam mihi vitam esse acerbam putem. At dicet quis: Bonorum consortium hic non deesse, et si desit, in bibliothecam abdendum me, ut nihil aliunde vitii contraham. Cui ego responsum volo, hic non deesse qui sibi sapere videntur, sed tam frigide res tractant ut nihilo doc-

70. 1) *Quis hic fuerit, non nisi ex hac epistola eruendum videtur; alibi enim in eius nomen non incidimus.*

tior evadas, permultos etiam videas quorum animi ambitione victi eo perducti sunt ut pro fide simulationem quandam amplectantur. Adde etiam summas impietates et insignes abominationes, quocunque oculos verteris, hic esse: quo fit ut neque bonorum, si qui sunt, consuetudine, neque solitario studio adversus huiusmodi portenta defendere me queam. Ea causa consilii mei rationem et quid te maxime velim, scribendum esse putavi. Quum Basilea Lutetiam venisses,[2]) simul atque adventum tuum accepimus, te salutatum ivimus in hospitium, ubi tuo colloquio ita affecti fuimus, ut te unum ex universa Gallia, quae latissime patet, hactenus suspexerim, ita ut tibi in Germaniam redeunti et nos itineris comites futuros amicis praedixerimus, et mihi credo fuissemus, si per morbum in quem tum incidimus licuisset. E quo ubi primum liberati fuimus, dedimus operam ut istuc proficisceremur, idque ut ex voluntate patris fieret et amicorum sermonibus et literis tentavimus. Sed primum bellorum tumultibus viam in Italiam praeclusam obiectum est, deinde ubi Italiae nomine me Genevam iter praetexere sensit pater, res ei molesta fuit ut quum maxime, monuitque ut si se amarem ne id auderem. Tum ego prope exanimatus: num me e pistrino gallico eximam? num e summis miseriis liberabo? num eos deseram qui blasphemias et impietates horrendas adversus evangelii simplicitatem tutantur? Ita faciam, si eum audiam qui ait: Qui plus diligit patrem quam me non est me dignus. Itaque, amabo, fac ut quacunque conditione poteris hinc evocemur. Nihil oneris detrectabo, modo liceat publicos professores audire qui istic sunt, quorum te praecipuum accepimus. Neque id a te peteremus, si alium quam patrem, qui studia nostra iuvaret, haberemus. Sed solus est et morosus, nec ut ad te commigremus pecuniam dabit, nec quum istuc venerimus mittet. Praedixit id non semel. Tute scis quam male audiant qui istic sunt, neque profecturi tantum pecuniarum ab amicis accipiemus, ut nos diu istic alere possimus, sed quae vestitui et libris comparandis par sit. Quod ad victum pertinet velim quocunque modo poteris (malo enim istic iniquissima conditione agere quam hic optima apud homines impios esse) pro necessitudine nostra perficias. Quod si feceris, nos quam primum ad te conferemus. Idibus Iuliis.[3]) Bene vale.

Tuus Godofredus Lopinus.

2) *Quod vix alio tempore fieri potuit quam a.* 1536 *post iter italicum.*

3) *Anni* 1537. *Nam Calvinus Genevae est, et quidem non ita dudum quin in Gallia professor litt. graecarum haberi potuerit, quod sane inde ab a.* 1542 *nemo amplius sibi finxisset.*

Sed quia veremur ne non satis cognitos nos habeas, adscribendum fuit, me eorum fratrum quos hic vidisti maiorem natu esse qui se *Annam Aureliam* in Anglia vidisse narravit, et qui utebatur *Cognentio* familiariter, quem habuisti tui itineris socium. Vale.

Si quid rescripseris cura literas tuas perferri in vicum ut vulgo receptum est, magistri *Gervasii*, in aedes quibus signum trinitatis appensum est.

Tuus Godofredus quantus est.

71.

BULLINGERUS MYCONIO.

Respondet ad Myconii literas quibuscum hic ipsi Confessionem Genevensium et epistolam Calvini ad Grynaeum transmiserat. Confessio non displicet, verum tam ardua mysteria simpliciter credere quam curiose scrutari praestat. Quantum ad Carolum, inter utramque partem arbiter esse recusat.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 129 olim Epp. T. 30, fol. 75. — Simler vol. 43.)

D. Oswaldo Myconio antistiti Basileensis ecclesiae carissimo fratri.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Recepi literas illas tuas, *Myconi* doctissime, una cum *Calvini* ad *Grynaeum* nostrum epistola,[1]) et praedicatorum Gebennensium confessionem. Et primum quod confessionem attinet, nihil in ipsa nunc quidem video quod displiceat. Videtur enim plane exprimere sacrosanctae trinitatis unitatem et personarum distinctionem. Quod voculas Substantia et Persona attinet, non arbitror illos fore tam praefractos ut illis uti nolint, aut alios iis utentes damnare velint, quando in ipso intellectu nullum sit vel periculum vel dissidium. Haud bene cessit nobis illa pugna de verbis Substantialiter, Realiter et Corporaliter habita: pessime cedet, si revocaverimus priscam illam de unitate substantiae et personarum distinctione in sancta trinitate multo periculosissimam disputationem. Satius enim mihi videtur, adorandis hisce mysteriis toto animo accedere, illaque credere quemadmodum de his simpliciter loquitur scriptura, quam docte subtiliter et acute in tremendam illam maiestatem perrepere velle. Nos certe curabimus ne hac in re et propter voculas ulla

71. 1) *supra N.* 64.

apud nos moveatur disputatio. Apostolus Paulus iubet suos sapere ad sobrietatem et ad proportionem fidei, vitare concertationem verborum. In his ero. Quod *Carolum* attinet, hominem neque absolvere neque damnare possum. Ex aequo enim *Calvini* accusationem et *Caroli* repurgationem ignoro, nisi quod dira quaedam legimus appensa in epistola *Calvini* ad D. *Grynaeum*, ad quae certe obstupui, necdum intelligo quo spectent.[2] Nihil de his scripserunt nobis Bernates. Nihil ergo de his iudicare possum. Nec si possem debeo. Debeo autem curare ut omnis inter fratres dissensio sopiatur. Huc quum tu quoque horteris, studebo magis sedulo.[3] — — — — Iulii, 23. Anno 1537.

H. Bullingerus tuus.

2) *Non solum rabiosam bestiam vocaverat, sed et scortatorem, sacrilegum, homicidam sanguine sanctorum madentem, quorum criminum ratio Bullingerum Caroli antecedentia fata ignorantem fugiebat. Vide T. VII.* 302. 326 *ss.*

3) *Caetera huc non pertinent.*

72.

MYCONIUS BULLINGERO.

Carolus in Galliam reversus Lutheranis reclamare dicitur. Quid rei sit nondum satis apparet. Interim de Gallis timendum ne ab evangelio potius absterreantur quam ut illud recipiant. Simile exemplum dubiae fidei in Bigotio.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 155 olim Epp. T. 33, fol. 168. — Simler vol 43.)

D. Heinricho Bullingero doctissimo fratri in Domino suo colendissimo.

S. *Carolum* audio receptum in Gallias[1]) quod rex audierit ipsum reclamare Lutheranis. Nescio si res ita habeat. Illud certum est, evangelii sectatores non ob aliam causam peius apud illum audire, nisi quod putat eos non recte sentire de divinitate Christi. Quod si nunc recepisset istum, ut ad nos nobilis vir et pius hodie retulit coram, is vereor frigidam suffusurus esset non segniter. Affirmavit idem, *Carolum* propemodum delirare, unde quidam divinant, quae facit, non bene sibi conscium facere. Equidem nescio quid rei sit. Quamdiu fuit apud nos taliter egit ut iurassem bonum esse virum. Haec ideo scribo ut mecum timeas, Galliam habere qui absterrent magis magisque, ne recipiat evangelium, atque hoc profecto contra animi mei sententiam. Receptus est item *Bigotius*,[2]) vir philosophus, scientia magnus, poeta, linguarum peritus, interim miles et homicida, quamobrem hactenus caruit gratia regis. Et receptus est beneficio cardinalium quorundam. Dum hic fuit, incepit *Grynaeo* doctore sapere de Christo pulchre: nunc postquam beneficium sensit, imo plane accepit ab illis viris, nescio iterum quid cogitem. Timeo iam alterum esse qui relicta cognitione veritatis inter Gallos remoram iniiciat. Utinam non vere divinem.[3]) — — — — Basileae, 26. Iulii anno 1537.

T. Myconius.

72. 1) *Berna Solodurum se receperat unde medio mense Iunio ad Lausannenses scripsit. Absque mora in Galliam redux Cardinalem de Tournon patronum novum adiit et ab eo Romam missus abiurata haeresi absolutionem nactus est. Ruchat, V.* 40 *seqq.*

2) *Guil. Bigot, ex oppido Laval oriundus, cum legato regis Du Bellay de Langey in Germaniam venerat et aliquamdiu Tubingae professor philosophiae fuit. Postea Basileae degebat ubi etiam mense Decembre* 1536 *commorabatur. Videtur vere sequentis anni in Galliam rediisse, ubi postea Nemausi et Tolosae sibi domicilium elegit.*

3) *Plura omittimus a nostris aliena.*

73.

LE SÉNAT DE BERNE A FAREL ET CALVIN.

Réprimande au sujet de leur enseignement relatif au dogme de la trinité, et de leur prétention de faire croire au public que leur confession de Lausanne aurait été officiellement approuvée à Berne, tandis qu'eux-mêmes y avaient consenti à souscrire à celle de Bâle.

(Archives de Berne. Welsch Missiv-Buch B. fol. 13 v. Imprimé dans Roget, hist. du peuple de Genève I. 57. Ruchat, V. 499.)

A maistre Guillaume Pharel prescheur de leglise et Iohan Caulvin lecteur en la saincte escripture a Geneve nous bons amys.

Scavants discrets chiers et bons amys, nous somes este advertis par aulcungs de nous predicants tant de la terre de Gex que aultres que cherches tousiours de leurs jnculquer vostre jntention et opinion de la nullite des moctz trinite et personne, pour yceulx jadictz predicants devier de la costume et maniere de parle[1]) de trinite recephue de lesglise Catholique, et mesmement est venuz a nostre notice que vous *Caulvin* ayes escript une lectre a certain francoys estant a Baslo, disante, que vostre

73. 1) *lisez* parler.

confession soit este adprouvee en nostre congregation, et nous predicants avoir ycelle ratiffiee. Ce que ne ce [2]) constera pas, ains le contraire que vous et *Pharel* aves adoncq este consantent et accordant de subsigne [3]) la nostre faicte audict Basle, et vous tenir dycelle dont nous esbaissons [4]) que taches dy contrevenir par tels propos, vous prians vous en voulloir deporter, aultrement serons contrainct dy pourveoir daultre remede. De Berne ce 13. daoust 1537.

L. et C. de Berne. [5])

74.

MINISTRI GENEVENSES TURICENSIBUS.

Apologetica relatio controversiae cum Carolo a Calvino in eum potissimum finem scripta ut a crimine Arianismi se et collegas vindicaret.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 106, fol. 9 item altero in Archiv. Turicens. Plut. VI. vol. 105, fol. 260. — Apographa exstant in Arch. Bern. Epp. Tom. VI. p. 1. 12 et 17 et Tom. VII. p. 216; in bibl. Genev. Cod. 145, fol. 1 et apud Simler vol. 43. — Edidit Trechsel, Antitrin. I. 273 ex tribus prioribus apographis Bernensibus quorum potiores variantes annotavimus.

Ornatissimis viris et observandis in Christo fratribus Tigurinae ecclesiae ministris
Tiguri [1])

Gratia vobis et pax a Deo patre et Domino Iesu Christo.

Fratres observandi. Quum nobis eas turbas *Carolus* excitasset quarum rumor ipse omnes prope Germaniae ecclesias commovit, etsi eas paulo post exstinctum iri sperabamus, ut inanes prorsus erant et ex frivolis duntaxat calumniis natae: ne quis tamen scrupus [2]) bonorum virorum animis insideret, operam quam licuerat dederamus, ut innocentia nostra vicinis ecclesiis testata foret. Neque dubium nobis est quin confessionem ad vos [3]) nostram adiuncta brevi epistola *Grynaeus*, ut rogatus erat, ad vos miserit, unde perspicere facile fuit quam iuste ab illa belua essemus impetiti. Verum quum esse isthic quosdam audimus, qui non dissimulanter adhuc obmurmurent, ac nos moliri clancularium nescio quid fremant, alios vero qui nostra improbitate et petulantia impulsum fuisse *Carolum* causentur, non pessimum alioqui hominem [4]) ut tanta intemperie Christi ecclesias perturbaret, utrumque, ut res [5]) se habeat, paucis perstringere visum fuit. Nam ut totam historiam pluribus in praesens persequamur per temporis angustias minime licet. Sed enim quid morosis illis censoribus respondeamus, qui in re tam plana et expedita suspicionis materiam quaerunt, non habemus. Quid enim sibi volunt? Nos callide aliquid machinari obloquuntur: sed unde vel [6]) minimum eius vafritiei argumentum colligunt? Siquidem in nostra confessione nihil omissum nobis esse videtur quod tollendae suspicioni conveniret, nihil ita obscure aut perplexe positum, quod tergiversationis speciem praebeat. [7]) *Carolus* initio, qua [8]) mordendi libidine aestuabat, decem circiter locis eam impugnare conabatur, [9]) et sane iure suo id sibi sumere videbatur, quando [10]) Sorbonistis satis est, ubi damnatum aliquid volunt, plenis buccis haereses et schismata crepare. Nostra tamen responsione deiectus et tot calumniarum convictus quod adversum nos verba fecerat, turpiter pedem reduxit nec aliud in tota criminatione vitio tandem nobis vertere ausus est, quam quod nomina trinitatis et personarum nimium pertinaciter illic tacerentur: deinde quod divinam Christi essentiam a se ipsa esse asseramus. Sed quid priore illo cavillo dilutius? Ab eiusmodi enim vocibus quam [11]) non abhorreamus, hinc liquet, quod liberum earum usum in ecclesia constare semper voluimus, et confessionem helveticam Basileae editam nobis piam sanctamque videri pronunciavimus, [12]) quae tamen personarum mentionem continet. Tantum nolebamus hoc tyrannidis exemplum in ecclesiam induci, ut is haereticus haberetur qui non ad alterius praescriptum loqueretur: quum ille contra strenue

2) se.
3) subsigner.
4) esbahissons (*étonnons*).
5) *Le ton de cette missive diffère singulièrement de celui de la déclaration du 7. juin* (*N.* 63) *et accuse un changement notable dans la disposition des esprits à Berne à l'égard des ministres Genevois. Aussi ceux-ci se hâtèrent-ils de se rendre à Berne pour se mettre dans de meilleurs rapports avec une puissance qui prétendoit alors à une espèce de patronage politique sur l'Eglise de Genève.* (*Reg. du conseil* 27. *Sept.* 1537. *Roget, p.* 56 *suiv. Trechsel, I.* 162. *Kampschulte, I.* 298. — (L. et C. *L'advoyer et Conseil.*)

74. 1) *Haec inscriptio ex Turicensi exemplari repetita. Genevense authenticum simpliciter exhibet:* Fratribus Tigurinis.
2) scrupulus *T.*

3) ad vos *om. T.*
4) *loco verbi huius T. habet:* futurum.
5) utcunque res *T.*
6) vel *om. T.*
7) habeat *T.*
8) qui *T.*
9) *Cf. T. VII. p.* 317 *ss.*
10) quum *T.*
11) quod *T.*
12) *Quam hac prima vice iam laudat, alias altissimo silentio sepultam, scilicet litteris senatus Bernensis* (*N.* 73) *monitus et Turicensibus omnem suspicionis praetextum praerepturus.*

contenderet neminem sine tribus symbolis esse christianum. Ac ne quis rixandi studio id a nobis factum fuisse arbitretur, scitote nos subinde istud diserte esse testatos, non alia magis ratione nos tum [13]) refugere personarum appellationem, quam quod eo postulante recipi a nobis non poterat, quin simul, quod nobis crimen intenderat, agnosceremus. Id enim pro sua versutia apud omnes ordines caverat, ut si suis postulatis concedere visi essemus, fides nostra suspecta redderetur: quod etiam ipse palam prae se ferebat, quum suspectam sibi fore nostram doctrinam assereret, donec symbolorum subscriptione sibi approbata foret. Ita si obtinuisset quod postulabat, non tantum nutabat quidquid hactenus ministerio nostro aedificatum fuerat, sed radicitus corruebat. Quid ergo aliud nobis restabat, quam luculentum doctrinae nostrae specimen edere, quo constaret ipsam immerito fuisse [14]) insimulatam? Id sane officii nostri esse putavimus. Iam vero locus ille, cui horrendam inesse haeresim *Carolus* vociferatur, vix ulla excusatione videtur indigere. Nam ubi de Christi divinitate seorsum sermo habetur, quaecunque in unum verum aeternumque Deum competunt illi iure [15]) tribuuntur: distinctionis autem notatio locum habet ubi cum patre comparatur, quae a nobis quoque diligenter observata fuit. Neque enim infitiamur quin sermo ille aeternus sit a Deo patre genitus. Verum nos genitum non intelligimus diffluxu quodam, ut pars sit essentiae patris, sed totus sit in patre, totum illum vicissim in se habens. [16]) Hunc in modum Cyrillus qui saepe filii principium patrem vocare solet (Dial. 3 de trin.), pro ingenti tamen absurdo alibi ducit, nisi filius vitam a se ipso et immortalitatem habere credatur. Idem docet (lib. 10 Thesauri), si ineffabili naturae proprium est ut a se ipsa sit, in filium id iure [17]) competere. Quin etiam ratiocinatur patrem nihil a se ipso habere, nisi filius etiam a se ipso habeat. Sed quid tam anxie hic immoramur, quum nihil plus [18]) verba illa nostra exprimant, quam in se nomen Iehovah complectitur, quo Christum scripturae insigniunt: et proinde non videmus quid in nobis desiderent Aristarchi illi qui nos astute nimis agere cavillantur. Nunc ad alterum obtrectationum caput venimus. Coactum importuna nostra procacitate fuisse *Carolum* obiectant, antequam tumultus istos excitarit. Si calumnias suas colore aliquo praetextas esse volebant, oportuerat paulo verecundius mentiri. Nos enim rabidam illam beluam, tametsi nocendi cupidine exsultantem ultro et ferocientem, nostra modestia ad menses aliquot continuimus ne suum virus effunderet, donec pro publica concione eos omnes conviciose est insectatus, qui mortuos precibus non esse iuvandos docuissent. *Viretus*, eius collega, qui recte supra aetatem sapit, ne contendendo maius etiam incendium concitaret, id publice dissimulabat, et perinde plebem instituebat ac si nihil esset inter eos controversiae, donec illius factione ad senatum Lausannensem protractus cui verbum Dei exsecrabile erat, non obscure nec figurate sed apertis verbis Arianismi est insimulatus. *Calvinus* quoque, quum ecclesiae nostrae rogatu illuc accurrisset, coram legatis Bernensibus, qui ad res provinciae constituendas sub id temporis missi fuerant, Arianismi una cum *Farello* a sacrilego illo ore notatus fuit. Respondit, satis firmum innocentiae suae praesidium se habere in suo libello. Verum ne *Farelli* causam desereret, cuius integritas non minus quam sua illi compertum erat, protulit locum ex Catechismo quo ecclesia nostra utitur, ubi disertis verbis asseveramus unam esse patris filii et spiritus [19]) divinitatem, gloriam, essentiam: Christum autem docemus filium Dei praedicari, non ut fideles adoptione duntaxat et gratia, sed naturalem et verum ideoque [20]) unicum, ut a caeteris discernatur: Dominum etiam nostrum esse, non tantum secundum divinitatem, quam cum patre unam ab aeterno habuit, sed in ea carne in qua exhibitus nobis fuit. Suntne haec Arianorum verba? Verum quum scelestus ille finem rixandi et contendendi nullum faceret, cognitio ad senatum Bernensem delata fuit, quo profectus est *Calvinus* ad postulandam publico ecclesiae nostrae nomine synodum, ubi mendacia illa quibus nos impudentissimus calumniator asperserat, ampliori purgatione abstergerentur. Res tandem eo quo videtis, praeter nostram exspectationem, sed non sine admirabili Dei providentia, progressa est. Quid enim non ausus esset robus dubiis, quem nondum pudet ubique serere, Christi divinitatem a nobis negari? Actio autem causae talis fuit ut illum plane furere appareret, nos eius furori duntaxat obviam ire: sed haec ab aliis vos intelligere malumus, et literae nobis e manibus paene a festinante tabellario excutiuntur. Tamen a vobis poscimus ne in aliam partem nostram hanc apud vos apologiam suscipiatis quam quo animo scripta fuit. Scimus enim quae sint delatorum artes et quantum proficiant, ubi nullae pro veritate eduntur voces. Imo iam experimur aliunde quam noxium fuerit nobis silentium. Quum ergo non dubitamus Satanam idem quoque apud vos conari, occurrere voluimus ne eiusmodi susurrones falsis obtrectationibus vestros animos a nobis abalienarent. Neque

13) tam *T.*
14) esse *T.*
15) pure *T.*
16) habeat *T.*
17) pure *T.*
18) plus *om.* *T.*

19) *T. add.* sancti.
20) adeoque *T.*

vero prudentiae vestrae diffidemus, sed nulla adhiberi satis magna diligentia potest in praecidendis divisionum occasionibus. Quantum ad nos attinet, sic erga vos affecti sumus, ut rationem nullam omissam velimus, quae ad confirmandam ecclesiae nostrae cum vestra coniunctionem valeat. Plus satis hactenus inter Christi ecclesias odiis et contentionibus certatum fuit, quibus malis nunquam ita laboratum fuisset, si mutuo se candore certatim omnes excepissent. Iam vos per sacrosanctum Christi nomen obtestamur, ut si quid ulla in re a nobis peccari existimetis, eius nos ne gravemini admonere. Nihil magis enim cupimus, quam quidquid in hac nostra administratione agimus vobis vestrique [21]) similibus approbari. Dominus Iesus novis spiritus sui incrementis vos subinde locupletet. Genevae, 3. Calendas Septembr.

Fratres amantissimi et observantissimi vestri ministri ecclesiae Genevensis.

21) vestrisque *B. quod iam ex conj. emendavit T.*

75.

CAPITO AN DEN BERNER RATH.

Butzer, vom Berner Magistrat eingeladen nach Bern zu kommen, um dort Aufklärungen zu geben über seine den Schweizern verdächtigen Bemühungen um die Vereinigung mit den sächsischen Theologen, befindet sich dermalen krank im Bade; sobald er zurückkömmt wollen sie sich zusammen auf den Weg machen, und wünschen dass auch die Genfer Theologen eingeladen werden mögen.

(Berner Archiv. Kirchl. Angelegenheiten 1534—1539. N. 28. Original mit Siegel und eigenh. Unterschrift.)

An groszmächtigen frommen Edlen vesten Ersamen vnd weysen Hern Schultheisz Räth vnd Burger der loblichen stat vnd herrschaften Bern seinen gnd. lieben hern.

Mein willige dienst nach gottes befelh zuuor groszmächtigen vnnd gnedigen hern. Nachdem herr Martin *Bucer* seiner schweren liebs kranckheit halb sich von Augspurg jns wildbad vsz rat der artzet gethon, ist mir am fünfften oder sechsten Augusti geschrifften an jnen von V. Gn. zukomen. Welche jch vffgethan vnnd verlesen, vnnd wurden vns gleich vff den weg gethon haben, wo sich eben der zeyt seine kranckheit im bad nit gemeret hette. Nun ist sein sach vff beszerung geschickt, wie er mir ytzund zuschribet, bin guter hoffnung er werde am vierden diszes monats hie sein, alsdann woellen wir des andern tags verrucken vnd den nechsten zu V. G. gen Bern riten, vnnd versihe mich das wir moegen am nünten oder zehenden tag disz monat bey vch zu herberg ankomen vnnd souerr vns der allmoechtig beystendig wollen wir vnser entschuldigung vnnd verantwortung also thun das es zu beszerung vnd friden und keiner zeruttung dienen vnnd vwer gnaden besonders gefallen sin soll. Vnnd bitten haruff die furnemen bruder vom Land vff furgenomen zeyt zu beruffen. Zu dem so were vwer kilchen nit schad das *Farellus*, *Caluinus*, *Viretus* vnd wer sonst jn der Sophoier kilch ein ansehen hette der zeyt vngeuerlich auch zugegen weren. Dann wir wol wiszen wie der Satanas ein zanck vber den andern anrichten vnd die kilchen auch bey jnnen vnnd vch gern vnder einandern verwurren wolte, dem wir durch vnnsern dienst vns von hertzen widersetzen sollen, deszen wir geflisszen sin vnd etwan nit on gottlichen beystandt nutzlichen gethon haben, welcher vns fürther auch nit verlaszen wurt. [1]) Habe jch jn abwesen des *Bucers* V. G. zu wiszen thun woellen deren jch noch meinen befelh allen dienstlichen willen further wie bisz her begere zubeweisen. Hiemit sy dem almoechtigen befelhend. Geben Straszburg am ersten Septembris Anno 1537.

E. Gn. vndertheniger
Wolfgang Capito D.

75. 1) *Näheres siehe beim folgenden Briefe.*

76.

CAPITO CALVINO.

Nunciat se cum Bucero paucis post diebus Bernam profecturum, ut illic a suspicionibus et falsis criminationibus se purgent, rogatque ut etiam Genevenses ibi adsint ea occasione.

(Ex autographo. Cod. Genev. 110, fol. 61.)

Iohanni Calvino sacras literas docenti Gebennae tamquam fratri in Domino dilecto.

S. In thermis fuit *Bucerus* necessitate id concedens otii. Iam sibi redditus, antequam alias curas admittat, statuit a reditu mox Bernam mecum concedere, ut illic se purget a suspicionibus et cri-

minibus [1]) vulgi acclamatione adversa intentatis, interea tamen, quod est christianae caritatis acturus tecum atque cum aliis. Intelligo satis quid nunc ansae Satanas apprehenderit, et commune illud consilium in Dominum respicientibus non defuerit. Prolixe multa agenda brevi illo tempore veniunt. In quam rem quidquid impensum temporis haud facile unquam poenituerit. Aderimus autem Bernae IX. aut X. huius mensis. Vos adestote [2]) quam cito dabitur. Citius significare id vobis non potuimus, nam nunc primum de valetudine *Buceri* reddor certior. Ad epistolas tuas [3]) sanctissimas nuper ac doctissimas respondebimus coram, ut eius sperem colloquii fructum aliquem ad nos perventurum. Vale et *Farellum* meum in Domino, item *Viretum* et bonos reliquos reverenter ex me salutabis. Argentorati, 1. Septemb. Anno 1537.

V. Capito tuus.

77.

LE SÉNAT DE BERNE A CELUI DE GENÈVE.

Il demande qu'on veuille bien envoyer Farel et Calvin à Berne pour assister à une conférence avec Bucer, Capiton et les députés de Bâle.

(Archives de Genève. Pieces historiques 1179. — Autographe. Au dos: De Berne Septembre 1537 pour envoyer les predicants.)

Aux nobles magnifficques prudans seigneurs Sindicques et Conseilz de Geneve nous singuliers amys et chiers combourgoys.

Nobles magnifficques seigneurs singuliers amys et treschiers combourgoys.

D. *Capito* et *Bucerus* de Straszburg aveсq deux de Basle [1]) sont comparuz ici par devant nous pour quelque affayre concernant la foy catholicque. Lesquieulx ont desire de vous vouloyr escripre que feust de vostre playsir depuis que vous et nous avec eulx tenons une mesme religion, de trametre par devers nous vous ministres assavoyr M. Guillaume *Farel* et M. *Calvin*. Ce quavons tant pour lavancement de la vraye verite de laquelle il sont ministre, comme pour lamenr deux bien voulsu fayre esperant que a cela deferies difficulte. Dequoy aussy vous en prions et ce le plus toust et commodeement que sera possible, priant dieu vous donner a tous bonne vie. Datum xiiij. Septembris 1537. [2])

Ladvoyer et Conseilz de Berne.

78.

MEGANDER MINISTRIS TURICENSIBUS.

Mittit iis confessionem de eucharistia et nomine Iehova nuper Bernae in colloquio verbis conceptam, simul se proxime ipsum adfuturum nunciat.

(Ex autographo Archiv. Turic. VI. vol. 105, fol. 264 olim Epp. Tom. I. Exstant quoque ap. Simler vol. 43.)

Dominis et fratribus in Domino observandissimis Bullingero et Leoni Tiguri a concionibus.

Zurich.

Gratiam a Domino. Placuit hoc nuncio Genevensis ecclesiae confessionem eucharistiae, vocis item Adonai explicationem perspicuam, visitatoribus *Capitoni* et *Bucero* iam pridem Bernae oblatam transmittere, quo quid boni viri illi et doctissimi hisce in rebus sentiant appareat. Spero me vigesima huius mensis prima sub noctem vobiscum Tiguri futurum. [1]) Dominus vobiscum. Bernae, 13. Octobris anno XXXVII.

Megander totus vester.

---

76. 1) *Bucerus propter commendatam concordiam Wittebergicam apud Helvetios male audiebat, maxime vero Retractationibus suis nuper editis apud eos in suspicionem inciderat. Ruchat, V. 52 ss. Kirchhofer, Myconius p. 300 seqq.*

2) *Calvini praesentiam exoptabat tam ob eius insignem doctrinam, quam ob maiorem in re controversa cum ipso affinitatem. Qui iam in Bernensi synodo a Buceri partibus steterat, ob eam etiam causam Bernensibus minus gratus.*

3) *deperditas.*

77. 1) *Myconius et Grynaeus.*

2) *Le colloque eut lieu le 22. et 23. Septembre et se termina à la satisfaction de tout le monde. C'est ici que se place la confession sur l'Eucharistie imprimée T. IX. p. 711. Voyez Hundeshagen, Conflicte p. 79 seqq. Ruchat, V. 43. Hac occasione Argentoratensibus dextra communionis porrecta et deinceps Bernensium studia magis ad Lutheri formulam inclinata.*

78. 1) *Bernenses, adeoque ipse senatus, Bucero autore ad concordiam propensi, in catechismo a Megandro conscripto articulum de eucharistia ad mentem recentissimae confessionis mutandum decreverant, et quidem per ipsum Bucerum. Megander reclamavit, et discordia graviore exorta tandem dimissus fuit.*

79.

SINAPIUS CALVINO.

Gratias agit de officiis sibi nuper praestitis, et denuo literas per Genevam ulterius mittendas eius curae commendat.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 112, fol. 20.)

Eruditione ac pietate clarissimo viro Domino Ioanni Calvino amico suo singulari et semper observando

A Genevra.

S. D. P. Etsi me antehac semper tum propter eruditionem tum propter eximiam illam pietatem tuam devinctissimum tibi habueris, tamen magna studii erga te mei facta est accessio, ex eo quod gratissimis me nuper officiis ac beneficiis cumulasti, quum non solum literas meas Basilea ad te missas tam diligenter Ferrariam perferri curaveris, verum etiam tuas ad me ornandum voluntatemque meam adiuvandam benignissime addidisti. Nam tametsi magna inter nos iam ante familiaritas intercesserat, valde tamen illam tua commendatione auctam sentio. Sed ea de re mox ad te plura et diligentius scribam. Nunc te oro ut, si qui has literas tibi dabunt non ipsi Basileam proficiscantur, tu eas quas ipsis ad *Grynaeum* dedi auferas et prima quaque occasione per certum tabellionem mittas. Quod officium una cum prius in me collatis ubi potero sedulo promerebor. Interea bene vale, vir ornatissime. Ferrariae XII. Cal. Novembr. Obiter. [1])

Tui observantissimus

Ioannes Sinapius.

80.

BULLINGERUS FARELLO ET CALVINO.

Suo et collegarum nomine confessionem eorum de trinitate nuper editam probat. Carolus qualis sit, iam omnes sciunt. Commendat tres Anglos Genevam studiorum causa proficiscentes.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 164 olim Epp. anglic. N. 69. — Simler vol. 43.)

Clarissimis viris D. G. Farello et D. Io. Calvino Gebennensis ecclesiae ministris carissimis fratribus.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Quod nihil ad vos scripserim hactenus, fratres in Domino colendi, non ideo factum est quod minus vos amem. Nam dona illa Dei in vobis rara et vos ipsos fideles Christi ministros semper amavi et feci plurimi. Faxit Dominus ut vestro ministerio plurimos Christo regi lucrifaciatis, pergatisque in regno Christi fideles esse ministri. Confessio vestra, quam Tigurinae ecclesiae misistis, facta de sancta trinitate mihi placuit plurimum, nec audivi inter nos quemquam cui illa displicuerit. Nemo est qui credat calumniatoribus. Didicimus quis sit *Carolus*. Utinam saperet ea quae pacis sunt et gloriae Dei. Multa ea de re fratres Bernenses scripsere nobis non semel. Dominus dissipet et in concordiam redigat omnes discordias, atque consilia contra veritatem et veritatis studiosos a Satana inventa evertat. [1]) Viri qui hasce ferunt literas Angli sunt. Veniunt ad vos *Calvini* et *Pharelli* videndi gratia. Habitarunt apud nos Tiguri anno integro et mensibus aliquot. Qualiter se gesserint docebit vos elogium ipsis datum a nobis. Quid pluribus? Viri sunt sancti et docti qui Deum et veritatem quaerunt ex animo. Ne ergo defueritis fratribus optimis. Cuperem autem ipsis per vos prospici de loco aliquo quieto in quo possent morari. Nam illi cupiunt ad tempus audire vos et pietati invigilare. Utinam ergo obtingat ipsis commodum hospitium. Opulenti alias sunt, honesto loco et nobilibus nati parentibus. D. Nicolaus *Eliottus* stipendio vivit regio, alii duo D. Ioannes *Buttlerus* et D. Nicolaus *Partrigius* suis impensis. [2]) Nihil dubito rem vos Deo facturos gratissimam si omnem his praestiteritis humanitatem. Quod si meae quidquam apud vos preces valent, age commendatos habete viros sanctissimos. Vivite, valete et orate pro ecclesia Tigurina. Tiguri, 1. Novembris 1537.

H. Bullingerus vester.

---

79. 1) *De Sinapio vide ad N. 53. Epistolam nihil cunctati ad a.* 1537 *referimus. Calvinum adit Genevae degentem, et Grynaeus adhuc in vivis est qui obiit anno* 1541. *Caeterum alludere videtur ad ea quae supra de matrimonio eius legisti.*

80. 1) *Alludit fortasse ad eas discordias quae hoc ipso temporis momento Bernates turbabant (N. 78).*

2) *Tres hi viri saepius producuntur in* Zurich letters, *ex. gr. I.* 311 *II.* 608 624 *etc. Horum notissimus fuit Bullerus, qui post varias per Galliam Germaniam et Italiam peregrinationes tandem Turici consedit, cuiusque nomen frequentius occurrit in epistolis coaetaneorum.*

81.

MINISTRI GENEVENSES TURICENSIBUS.

Persequutio denuo in Occitania exarsit, maxime Nemausi, et quidem crudelissima, non obstante promissione antea in contrarium facta. Rogant igitur ut apud suum senatum, recenti foedere cum Rege iunctum, enixe agant ut is causam miserorum fratrum suscipiat.

(Ex antographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 105 olim Epp. B. I. fol. 265. — Impressa legitur inter Epp. a Beza editas Genev. p. 7, Laus. p. 8, Hanov. p. 9, Chouet p. 4, Amst. p. 2. Anglice ap. B.-C. Tom. I. p. 34. Gallice in ed. Colon. p. 1 sed ubique falso nomine Basiliensibus inscripta. Incaute ergo Iulius Bonnet l. c. se hanc ex Cod. Genev. 106 habuisse dicit, ubi non exstat, et Basileae nomen ab ipso textu condemnatum non nisi ex impressis habere potuit.)

Fratribus et symmystis nostris in Domino observandis Tigurinae ecclesiae pastoribus.

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo, fratres amicissimi et nobis unice observandi.

Negotium, cuius causa hominem hunc data opera mittendum ad vos censuimus, paucis complectemur. Nemosi enim non incelebri linguae, ut nunc vocant, 1) Occitanae oppido, nova nuper impiorum saevitia in miseros fratres, qui illic dispersi agunt, efferbuit, quum nihil tale suspicaremur. Literas non ita pridem publicas Senatus Argentoratensis et Basiliensis obtinueramus, quibus omnium qui tunc per Gallias in vinculis tenebantur, salus et incolumitas commendabatur Comiti *Guillelmo*. 2) Ille a Rege impetrasse dicebatur, ut solverentur omnes. In hac spe securi acquiescebamus, dum renunciatum nobis fuit, ignem illic vehementer flagrare. Duo combusti fuerunt, de quorum morte ab ipso spectatore audietis. Siquidem latine vobis narrare queat, quod nobis retulit. Plurimi in vincula coniecti sunt, qui de capite periclitantur, nisi mature obviam eatur eorum furori, qui iam ebrii duorum sanguine, finem alioqui saeviendi nullum facturi sunt. Duo illi singularem constantiam ad extremos usque spiritus exhibuerunt: quum tamen exquisita crudelitate ipsorum patientia tentaretur. Verum qui scimus an eadem aliis constatura sit animi magnitudo? Ferendae ergo in tempore suppetiae, si qua ratione licet, ne terrore concidant, si qui sunt imbecilliores. Deinde summopere cavendum, ne vile fiat 3) nobis piorum sanguis, quem scimus esse in conspectu Domini pretiosum. Audimus recens fuisse a Principibus vestris percussum foedus cum Rege nostro, in quo mentio quaedam iniecta fuerit religionis, ne scilicet solita severitate posthac plecterentur, quibus in religionis sensu vobiscum conveniret. Id si verum est, non omittenda est nobis iuvandorum fratrum tanta opportunitas, quibus ad opem ferendam non modo clara voce nos Christus vocat, sed se deseri conqueritur, si deserantur. Proinde, fratres optimi et pientissimi, vos pro animi vestri sinceritate in hanc causam totos impendite. Quod quia vos ultro facturos confidimus, pluribus non agemus vobiscum. Agedum ergo, apud Senatum vestrum efficite, ut serio Rex appelletur: idque quam fieri poterit brevissime, ne furiosi illi antevertant. Scitis enim quam sedula sit eorum improbitas. Dominus Iesus vos novis spiritus sui incrementis magis in dies locupletet, fratres eruditissimi et nobis dilectissimi. Genevae, 13. Novembris 1537.

Fratres vestri amantissimi et observantissimi Genevensis ecclesiae ministri.

81. 1) as the place is now called. *B.-C.*

2) *Fürstenbergio, regi Galliae familiari et in rebus bellicis, ac militibus in Germania conscribendis saepius occupato. Iul. Bonnet vero cogitat de Guil. du Bellay, Domino de Langey, episcopi Parisiensis fratre. Qui an Comes dici potuerit dubitamus.*

3) vilescat *edd.*

82.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

En vue des dissensions et troubles survenus à Genève à propos du serment à prêter à la nouvelle confession de foi, Berne exprime son déplaisir, recommande l'union et annonce l'envoi de nouveaux députés.

(Copie authentique, Archives de Berne. Welsch. Missiv-Buch B. fol. 47. En tête est écrit: Jennff; à la fin: Klein und grossen räten. — Roget, hist. du peuple de Genève I. 58.)

Nobles etc. Nous summes certainement advertis par nous ambassadeurs que dernierement sont estes par dever vous, pareillement par aultres novelles, comme entre vous soit quelque dissension a cause de la Confession 1) quast este emprimee et

82. 1) *Voyez sur les mouvements et troubles provoqués par l'obligation imposée aux Genevois de jurer la confession de foi promulguée en avril* 1537 (*Tome IX. p.* 693), *Ruchat, V.* 54 *suiv. Roget, hist. du peuple de Genève I. p.* 37 *suiv. Kampschulte I.* 300. *Seulement M. Roget se trompe en combinant* (*l. c. p.* 57) *avec cette querelle en grande partie politique, la missive de Berne du* 13. *Août* (*ci-dessus N.* 73) *qui a un tout autre objet, et se rapporte à une tout autre confession.*

publiee, aussy aultres choses, dequoy summes tres-marris, lesquelles pour seder et apaiser avons advisez denvoye nostre ambassade ver vous, dont vous prions admonestons et requerons ce pendant estre et desmoure par ensemble en bone paix union et tranquillite, attendant la venue de nousdict ambassadeur laquelle en brietf partira. Considerant la ruine que pourroit suivre en persistant en tiel trouble et dissension, vous derrechieff comme nous freres chrestiens amis et combourgeoys admonestans et pour lhonneur de Dieu et ameur de nous instantement efflagitant en ce nous complaire. Dieu soit avecq vous. Datum vj. Decembris anno etc. xxxvij.

Lad. et C. de B.

83.

BERNER GESANDTSCHAFTS-INSTRUCTION.

Die Gesandten sollen in Genf zum Frieden reden und die Bürgerschaft über den Inhalt der Confession und die Absicht der Beschwerung derselben beruhigen. Auch die Angelegenheit der Taufsteine und die Händel von Thonon sollen sie erledigen.

(Berner Archiv. Instructions-Buch 1534—1541 O. fol. 168 v.)

Instruction Herrn Hannsz Rudolff von Graffenried vnd Hannsz Huber gan Jennff. Religionsunruw.

Erstlich nach ansagung gewonlichen erpiettens soellend jr jnen anzöugen wie dann min G. Herrn durch vch beid: Demnach durch *Farellum* vnd *Caluinum* bericht [1]) das sich etwas zweytracht widerwillen vnruw widerwerttigkeitt vnd merklich Spenn vnder jnen erhebt habind fürnemblich von der Confession wegen die Sy haben im truck lassen vszgan welliche vnruw vnd widerwerttigkeit minen G. Herrn von herzen leid. Harumb Sy vch ze jnen abgevertigt haben alles das ze handlen fürzenemmen mittlen vnd erstatten vngesparter muge kosten vnd arbeitt das zu hinlegung soellicher burgerlicher spenn erschieszlich furderlich vnd dienstlich sin mag, mit anzöug was usz söllichen wo die nitt erlöscht werdend erwachse namlich zerstoerung abfal vnd gründtliche verderbnusz der Stetten, das sy bedenken vnd betrachten woellind vnd insonders was jnen bracht habe jr standhafftige einigkeit die sy ghebt in jren vergangnon widerwertigkeitten vnd anfechtungen, jn was Fryheit sy dadurch kommen, darumb sy aberkon moechtend wann sy in soellicher zweyspalltung verharren soelltend. Ir soellend ouch jnen fürhalten mitt gutten geschickten vnd tugenlichen worten als jr woll thun koennend den miszverstandt das ettlich vermeint in obangereckter Confession standind die x gebott, so sy nun die Confession schwerind werdind sy meyneydig etc. das soellend jr jnen vszreden vnd erlüteren das es die meynung nitt hett etc. Zudem so habind m. g. H. gelerten dieselbige Confession ouch besächen erwegen vnd ermessen vnd demnach m. g. H. vor gesäsznem Rat anzöugt das sy dieselbige keinswegs schällten koennend, dann sy sye in gottlichem wort gegrünndt vnd der heiligen schriff gemäsz gutt vnd grecht vnd Christenlicher Religion in keinen Stücken widrig etc. Sy zum hoechsten pittende vnd vermanende soellich kleinfüg vrsachen sich nit bewegen lassen zu vneinigkeitt. Demnach soellend jr jnen anmutten vch ze endecken ob ettlich ander vnwillen vnder jnen waerend, wellend jr gern darjnn handeln alles das zu Friden vnd ruwen diene dann jr ouch desz bevelch vnd vollmechtigen gewalt habt. Vch ist ouch bevolchen mit jnen ze reden sich mit m. g. H. der Ceremonien [2]) halb ze verglichen insonders der Toufsteinen halb etc. Vch ist ouch angehenckt die Spenn ze verhoeren so die predicanten dajnen haben insonders die von Thonon mit Denis *Lambert* von Weygy [3]) etc. Harumb jr dieselbigen beschicken sy verhoeren vnd demnach entscheiden sollend etc. Actum viij. Decembris 1537.

Staatsschr. z. B.

Die potten sind nitt verritten hinderstellig gemacht usz widerbringen Hugs *Wanndels.* [4])

---

83. 1) *Diese waren selbst nach Bern gekommen dem Rath Aufklärungen zu geben, und wie es scheint gerade nach Absendung des Schreibens vom 6., wo von ihnen noch nicht die Rede ist angekommen. Die Stimmung in Bern wurde dadurch viel günstiger für sie, wie sich aus dieser Instruction ergibt. Vgl. jedoch Calvin an Butzer v. 12. Ian. 1538.*

2) *Die Genfer Reformatoren hatten den Gebrauch der Taufsteine und die Feier aller Festtage ausser dem Sonntag abgeschafft, das Abendmahl mit gewöhnlichem gesäuertem Brod gehalten, und den Bräuten bei Hochzeiten allen Schmuck (buchstäblich nach* 1. Petr. 3, 3) *verboten, was Bern tadelte, als ein Symptom von Kirchentrennung, da dort in diesen Stücken weniger radical reformirt worden war. Hier wird indessen sehr vorsichtig bloss von einem anzubahnenden Vergleiche gesprochen. S. überhaupt Hundeshagen l. c. S. 129 flgd. Ruchat, IV. 451, V. 62.*

3) *Veigy, Dorf in der Nachbarschaft Genfs, auf dem linken Seeufer.*

4) Hugues Vandel, *ein vielgenannter Genfer Parteigänger Berns und Gegner Calvins, der gerade zu Bern war, berichtete dem Rath dass die Ruhe in Genf hergestellt sei, s. Welsch. Missivb. 48 und den folgenden Brief. Ruchat, Kirchhofer, Trechsel sind also im Irrthum, wenn sie die Gesandtschaft wirklich abgehn lassen.*

84.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Les députés annoncés par la lettre précédente ne partiront pas, le conseil ayant reçu des nouvelles rassurantes sur l'état des choses à Genève.

(Archives de Berne. Welsch Missiv-Buch B. fol. 48 v.)

Jonnff etc.

Nobles etc. Nous avions desia ordonne et esleuz nous ambassadeurs pour aller ver vous suivant ce que le vj de ce moys vous avons escript lesquels demain feusent partir sy ne feust le rappourt que Huge *Vandel* nous a faict disant que vous esties en bone tranquillite. Dequoy summes tres joieulx. Surce avons retenuz nostre ambassade. Ce neanmoings vous prions et admonestons de tousiours tascher a civile voire chrestienne union: ce faisant vous feres vostre prouffit et honneur lequel a promover serons tousjours prests aydant Dieuz auquel prions que vous ayt en sa tresaincte garde. Datum dimenche ix. Decembris anno etc. xxxvij. [1])

Lad. et C. de B.

85.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Etant informé que la paix n'est pas encore rétablie à Genève, le Conseil réitère ses exhortations précédentes et annonce le prochain départ de ses députés.

(Archives de Genève. Pièces hist. N. 1162. Copie avec l'inscription: Missive de Berne touchant las Confession, recepue ce 3e de janvier 1538. — Autre copie aux Archives de Berne: Welsch Missivbuch B. fol. 52 v. avec la suscription: Jenff. Farell. Dans le même volume fol. 50 il s'en trouve une expédition plus sommaire, on rédaction abrégée portant la date du 22. C'est cette dernière qui a été insérée dans la relation de M. Roget p. 61.

Aux nobles magnifficques prudans Seigneurs Sindicques et Conseil de Geneve nous singuliers amys et treschiers combourgoys.

Nobles magnifficques Seigneurs singuliers amys et treschiers combourgoys Vous aves par nous lottres entendu nostre vouloyr et bone affection que pourtons envers vous pour apayser tous differents qui pourroyent exordre entre vous, Surquoy avions advise denvoyer nostre ambassade par devers vous. Les raysons que nous ont faict retenir icelle aves aussy asses entendues. Ce nonnobstant puis que sumes derechieff par maistre Guillaume *Farel* informes les choses non estre ancores bien apaysees vous voulons [1]) par icestes tresacertement et affectueusement comme nous freres chrestiens admonester de mettre ordre et paix au trouble et different quest entre vous: lesquels comme sumes advertis procedent daulcungs rebelles et malvuillants a la parolle de Dieu et es sainctes ordonnances quaves sur ce faictes: mesmement a cause de la confession quaves imprimee pource que au tiltre dicelle est exprime que debves iurer de la tenir et garder et puis que en icelle lesdits * commandemens assavoyr les dix de la Loy y sont comprins [2]) aulcungs veulent entendre que lon iure iceulx observer etc. ce que nest a homme poussible etc. dont aulcune rebellion et desobeissance est survenue entre vous, avons icelle confession en parthie regardee aussy la communicque a nous predicans lesquels nous ont rapourte en plain conseilz que icelle est selon Dieu et la saincte escripture et par ainsy conforme a nostre Religion. A ceste cause vous prions et admonestons les troubles que acause dicelle sont entre vous apayser et seder considerant la grace que Dieu vous a faict vous mettant merveillieusement non seulement en liberte exterieure ains aussy de vous consciences et par ainsy pour lhonneur de Dieu et entretenement de vostre bien publicque les choses mettre en bon ordre affin que ruine soyt evitee et les ennemis de la vraye chrestienne Religion nayent occasion de soy resiouyr du trouble et dissention quest entre vous et les maulvaix reculer de leurs sinistres machinations. A quoy fayre Dieu vous doingt grace. Nous avons aussy donne charge a nous ambassadeurs que en brieff seront par dela demployer toute diligence pour appaiser ce que pourroyt rester en desordre. Datum xxviij. Decembris anno etc. xxxvij.

Ladvoyer et Conseilz de Berne.

---

84. 1) *Cette lettre, arrivée à Genève le 13, ne satisfit guère le Conseil de cette ville. On résolut d'envoyer de nouveau Farel à Berne pour demander des explications et rétablir la bonne intelligence entre les deux républiques. Voyez pour plus de détails Roget p. 60. Reg. du Cons. 13. Déc.*

85. 1) *C'est ici que commence le résumé mentionné ci-dessus:* Nous voulons par icelle lettre vous admonester etc. *C'est évidemment une minute rédigée dès le 22, mais qui n'a été définitivement libellée que le 28.*

2) *La copie de Berne porte simplement:* en icelle les dix commandemens de la loys sont comprins.

86.

GRYNAEUS CALVINO.

Genevenses Bernensesque reconciliatos gaudet. Excusat se quod hominem dubium et levem iis commendarit. Ad Sinapium literas Ferrariam asportandas fratri Italo tradidit.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 112, fol. 170. Asterisco notamus quae lectu ita difficilia sunt ut de textu authentico non constet.)

Ioh. Calvino suo fratri carissimo.

S. Quae *Farellus* de reconciliatione fratrum Genevatum Bernatumque scribit, valde me refecerunt. Spero posse citissime deinde fieri. De ea re qua de me increpasti cum *Farello*, dum incertum hominem illi commendans obtrusi, fero non duriter. Pessimum certe nebulonem hunc esse oportet et levissimum. Ego nunc autem etiam *Farelli* gravitatem laudo quum nil meam aut cuiusquam opinionem * incertam irritam pro ecclesia facit, quae videtur esse certissima. * Equidem quum commendo aliquem non id certe ago, ut mox ad officium admittatur. Sed si quid in eo frugi sit, postquam aliquod specimen dedit, pro virili servetur a nobis . . . . . . * hominem ad evangelium adduci. Sic igitur valere et apud vos et apud omnes alios meam commendationem volo. Et . . . . . * de ignotis scribo. Certe non facile quemquam recipi ad officium pastoris iubeo. De literis quas ad illum scripsisti sic ut vis curabo. Frater Italus, quem Ferrariam mittunt isti, apud me fuit, cui literas ad *Sinapium* dedi. In literis cum amico veteri graviter expostulo. Sic enim . . . . . . * et caritate fratrum et gloria principis nostri Iesu Christi amplianda, te rogo pro illis . . . . . . * Vale. Valde oro te ut quam humanissime mihi omnes salutes. [1])

Grynaeus tuus.

---

86. 1) *Sine die et consule. Vergenti anno* 1537 *hanc assignamus quum reconciliatio Genevensium et Bernatum ea esse videatur de qua et literae proxime praecedentes agunt. Sinapius vero Ferrariam rediit, de quo vide N.* 79.

MDXXXVIII.

87.

CALVINUS BUCERO.

Queritur de importuna Bernensium circa confessionem Genevensem satagentium immixtione, deque Megandri exsilio mulctati immerita dimissione. Concordiam ineundam desiderari debere in re sacramentaria non diffitetur; sed aequabilem esse oportere, non ad solius Lutheri mentem excogitatam. Buceri conamina in hoc negotio persequendo indies difficiliora, et ex parte prae nimio pacis studio suspecta et periculosa. Quod ex novissimis eius libris probatur.

(Autographon habetur in Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 11. Apographa exstant in Arch. Bern. Epp. T. VI. p. 25. VII. p. 226 et apud Simlerum duo, in eodem Vol. 44. — Edidit Henry T. I. App. p. 36. — Partem excerptam Bucerus ad Turicenses misit in scheda quam reperies Turici in Bibl. civica MSS. F. 80, fol. 342 et inde descriptam F. 58, fol. 702. Ex plurimis apographorum et editoris variantibus non nisi paucissimas annotabimus.)

Ad Bucerum.

Plus satis est quod scribam, tametsi de rebus non adeo iucundis, si paulo plus otii suppeteret. Scribendum est tamen quantum feret temporis angustia, quando non exiguum hoc mihi erit solatii genus, quaecunque nos premunt mala in sinum tuum deposuisse. In literis [1]) quas ad *Capitonem* Berna scripseram, velut rebus ex sententia confectis exsultabam, et quis de successu tam bonae causae dubitasset? Confessio enim nostra, [2]) de qua tunc agitabatur, pia iudicabatur a ministris, sacramentum in eam confirmandam optima ratione a plebe exactum: quid restabat nisi ut legatio decerneretur, quae vulneri mederetur a prioribus Bernatium legatis inflicto? [3]) Atqui non modo [4]) aegerrime id fuit impetratum, sed quum postulato nostro non possent vel iniquissimi intercedere, designati sunt tamen defungendi causa legati, quos certum erat id muneris non obituros. [5]) Postquam illi recusarunt, demandata est illis ipsis provincia unde malum ortum fuerat: verum, ut intelligas quam serio, audita levi quadam obscuri rumusculi aura, quo res bene paratae ferebantur, protinus revocati sunt. Nihil audeo malignius suspicari, sed omnes fremunt, [6]) occasionem rebus novandis captare qui sic turbis et seditionibus oblectantur. Non multo post renunciatum est, *Megandrum* exsilii causa solum vertisse, [7]) quo nuncio perinde perculsi fuimus, ac si Bernensem ecclesiam maiori ex parte collapsam audissemus. Incipio vereri, mi Bucere, ne concordiam meditemur quae multorum piorum sanguine mactanda sanciendaque sit: neque hoc verbum est reducere pedem volentis, sed cupientis talem esse concordiam in quam se nobiscum adiungere boni omnes queant. Quod si nobis cordi est, omnia quae timidiores videntur impedire posse involucra tollantur. Illa autem sunt, quibus nos ipsi occurrendum putavimus, ne videatur *Lutherus* traducem quendam, aut carnis nostrae in Christi carnem, aut illius in nostram somniare, nec infinitum affingere Christo corpus, nec localem praesentiam exigere. Nemo est enim fere istorum qui hactenus reclamarunt qui non aliquid eiusmodi suspicetur. Si potest *Lutherus* cum nostra confessione nos amplecti, nihil est quod libentius velim. Sed interim non est unus ille in ecclesia Dei respiciendus. Ter [8]) enim crudeles et bar-

87. 1) *deperditis.*
2) *Genevensibus civibus proposita. Cf.* N. 83 et 85.

3) *Reg. du Conseil 26. nov. Roget p.* 57.
4) *Apographa correxerunt* non nisi.
5) *quorum tamen nomina non rescivimus.*
6) ferunt *Apogr. et H.*
7) *Ino mense Februario demum Berna relicta Turicum in patriam suam concessit. Ruchat*, V. 48. *Hundeshagen* p. 95.
8) Per. *H.*

bari sumus, nisi rationem habeamus tot millium quibus istius concordiae praetextu ferociter insultatur. Quid de *Luthero* cogitem nescio, quanquam de eius pietate optime sim persuasus.[9]) Sed utinam falsum sit quod a plerisque iactatur, qui nollent alioqui esse illi iniurii, esse eius constantiae nonnihil pertinaciae admixtum. Cuius rei suspiciones non minimas ille praebet. Si verum est quod nuper intellexi, volitare per Witembergensium ecclesias, quod ecclesias prope omnes adegerint ad errorem recognoscendum, quantae id quaeso vanitatis est? Nisi ambitionis morbo laboratur inter nos, annon satis fuerit Christum haberi veracem, ac illius veritatem hominum cordibus affulgere? Video sane quid futurum sit. Nihil salvum esse potest, donec rabies ista φιλονεικίας nos agitabit. Ergo praeteriti temporis memoria[10]) utrinque sepeliatur oportet, si solidam pacem quaerimus. Acrius enim et amarulentius certamen fuit quam ut possit commemorari, quin scintillas saltem aliquas excitet; et si *Lutherus* victoriae famam[11]) tantopere appetit, nunquam poterit sincera in puram Dei veritatem concordia coalescere. Neque enim fastu modo et maledicentia deliquit, sed ignorantia quoque et crassissima hallucinatione. Quam enim absurde initio impingebat quum diceret: panem esse ipsum corpus? Quod si nunc quoque existimat, corpus Christi involvi pano, illum foedissime errare iudico. Quid alii eius causae suffragatores? Annon deterius Marcione de Christi corpore commentantur? Si tales lapsus insectari in animum Helvetii inducerent, qualis ad concordiam via sic sterneretur? Quare si quid apud *Martinum* vel gratia vel autoritate potes, fac ut Christo quam sibi eos, quibuscum hactenus infaustissima pugna luctatus est, subigere malit, quin etiam ipse quoque veritati det manus, in quam manifeste offendit. Hic quidem agendum erat ut quisque pro se errorem suum ingenue agnosceret, nec facere potui quin tibi, ut te meminisse puto, testarer, istas insinuationes mihi displicere, quibus te et *Zwinglium* excusare conabaris: sed alios interim aliis insultare non docet. Utinam in caput meum omnia probra recidere possent, qui tamen mihi probe conscius sum, nunquam me ita derelictum a Domino, ex quo verbum eius gustare coepi, quin de sacramentorum usu et corporis Christi participatione pium sensum retinuerim. Nihil id certe concordiam[12]) moraretur: sed ut demus, praepostoram[13]) esse in una parte confitendi lapsus verecundiam, quis tamen non eam excuset prae insolenti, quam narrant, *Martini* ferocitate? Quare, mi[14]) *Bucere*, enitendum est tibi ut bene omnia utrinque habeant. Difficilis, inquies, provincia. Fateor certe: sed quoniam has in te partes recepisti, serio laborandum est, neque dico ut efficias sed ut coneris. Quam putas id videri intolerabile, tot ecclesias neque universae quidem Saxoniae poenitendas, ubi se ad concordiae aequitatem obtulerunt, tam diu suspensas tenere? Si ergo ab Helvetiis postulas ut pertinaciam deponant, age vicissim apud *Lutherum*, ut tam imperiose se gerere desinat.

Verum ad *Megandrum* redeo. Exsulare coactus est, quod tuis subscribere castigationibus non sustineret.[15]) Annon, dices, id satis causae est, quod veritati sine causa refragetur? Quid si ultro ipse dare veritati testimonium paratus erat? Quid ergo causae fuit, quominus ab altero bene dicta reciperet? Fingamus aliquid humani hic ei contigisse: annon satius erat retineri talem virum, condonata illi tantula infirmitate, quam suo ministerio depelli magna cum offensione, magno verbi[16]) Dei contemptu, magna ecclesiae iactura, maiori in posterum periculo? Quam petulanter nunc circumquaque evangelii hostes triumphant, quod in exsilium pastores deturbari incipiunt! Quam dissolute Dei evangelio illudunt! Quanto ludibrio nos habent, qui in procinctu habentes potentissimos et instructissimos adversarios mutuis vulneribus nos conficimus! Quid porro agent imbecilles dum[17]) vident suos pastores exsiliis mulctari, a quorum ore antea pependerant? Postremo nescis quanto cum dispendio eiusmodi pastore spoliata sit ecclesia Bernensis. Confidenter[18]) dico te nescire quod hic te caecutire aut certe hallucinari certo scimus omnes. *Sebastianus*[19]) scilicet et *Conzenus*[20]) relinquuntur. Sed quid ille aliud potest quam suis deliramentis invertere evangelii puritatem? Deprehendi enim nuper quae

9) *Lutherus d.* 1. *Dec.* 1537 *ad Helvetios amice scripsit de eorum ad concordiam Vittebergicam accessione. Quod tamen scriptum non nisi sub finem Ianuarii Bernam pervenit* (*De Wette*, V. 83.) *Cf. epist. Conzeni in Bern. Mausol. II.* 191.

10) memoria *in apogr. Bernensi casu inciderat. Simlerus et post eum Henry ex coniectura, sed parenthesi inclusum, restituerunt, autographo non inspecto.*

11) iam *Apogr. et H.*

12) exordium *H.*

13) perperam *B. S. Simlerus in altero suo exemplari correxit, unde H. utrumque simul recepit.*

14) *autographon habet:* mihi.

15) *Vide N.* 78. *Bucerus in Megandri Catechismo* 13 *articulos expunxerat*, 38 *novos addiderat, et sic mutatum libellum senatus mense Decembre in usum plebis typis mandaverat. Hinc illae lacrymae. Hundesh. p.* 93 *ss.*

16) *Apographa et H. habent:* ubique.

17) *Iidem add.* sic.

18) *Hinc incipiunt excerpta a Bucero cum Turicensibus communicata.*

19) *Seb. Meyer Neoburgensis ex Brisgovia, olim monachus discalceatus, postea Halleri in reformanda ecclesia Bernensi socius nunc iam septuagenarius, Buceri vestigia in studiis eius conciliatoriis legebat.* (*Scheurer, in Maus. I.* 119.)

20) *Petrus Kuntz, olim Lutheri Vitebergae discipulus, inde ab a.* 1535 *Bernae minister. Magis etiam quam Meyerus ad Saxonum partes inclinabat, erga Zwinglianos plus quam frigidus, ne plura dicamus.* (*Scheurer, ibid. II.* 177.)

superstitionum semina foveret, quod aegerrime admittebat, inane esse nugamentum scholasticum [21]) dogma de septem sacramentis, ac pessime urebatur, matrimonium et absolutionem a nobis inter sacramenta non recenseri. Atque ut ad haec conniveamus, gubernandae tamen ecclesiae nequaquam esse parem, praesertim tam difficili tempore, omnes vident. Est enim adeo etiam pro suggestu obliviosus, ut tertio quoque verbo sibi plerumque excidat: si quando irritatur, multa rapitur intemperie, ut ne sui quidem compotem esse appareat. Si quis illi assentetur, instar pueri quo libuerit illum deducet. Dices, me epistolis solere fulminare, mitescere [22]) vero quum ventum est in rem praesentem. Rixari certo non est mei moris. Sed mihi temperare nequeo, quin simplicibus verbis et coram et per literas animi mei sensum exprimam. Tu, ut voles, aestimabis: sed ubi diligenter expendi quanto praestet calliditati sinceritas, vim meo ingenio inferendam non arbitror, quominus libere tibi aperiam quod verum esse video. Scio enim apud quem deponam. *Conzenus* autem qualis sit, vix audeo effari. Vestra quidem modestia et lenitate videbatur nobis aliquantulum cicuratus, et nuper miram in negotio nostro sedulitatem prae se ferebat. Momentum unum praeteriit: se ipso factus est deterior. *Farellus* narrat, se nunquam vidisse belluam rabiosiorem, quam illum novissimo [23]) expertus est. Vultus, gestus, verba, color ipse, furias, ut inquit, spirabant. Ergo, utcunque mihi posthac excusetur, donec alium sensero, veneno turgere opinabor. Qua enim, obsecro, ratione nos ita capitaliter odit, ut extrema quaeque assidue intentet? Si tibi non persuadetur, videt Dominus, qui in tempore vindicem se exhibebit. Cuius iudicio contenti hominum theatrum non adeo anxie reiicimus. [24]) Quanquam ita studemus nos gerere, ne quis iure damnare nos possit. Quin etiam [25]) erga illum tales sumus, ut intelligat, nos sibi non esse inimicos, quamlibet nobis sit ipse infensus: tanta moderatione illum demulcemus, ut nisi aperte insaniendo debacchari in nos nequeat. Iudicio quidem nos ab eo vehementer dissidere fateor: nam quos ad verbi ministerium erigit, dignos esse iudicamus qui in patibulum tollantur. Atque ut sciat [26]) quam praepostere: bonos viros, qui a nobis probati sunt, non audet cooptare, nisi a tota eius regionis cui destinantur classe sint explorati, qui vero a tota classe indigni sunt pronunciati, [27]) non tantum ecclesiastica functione sed etiam communione, illos in sinu fovet. Qui anabaptismi notati sunt, qui deprehensi in furto, illos obtrudit invitis fratribus. Interim qui est omnium et pientissimus et doctissimus et prudentissimus in hac vicinia a praefectis duobus arcessitur capitis, [28]) plus quam inhumaniter vexatur, violentissime tractatur, istis *Conzeni* emissitiis strenue in eius ruinam incumbentibus. Quid praesagiemus ex talibus exordiis? Flagella dum se excitare nobis putat, vereor ne ruinam sibi machinetur. Et sane si ita est Domini voluntas, laqueo potius quem tetendit irretiatur, in foveam quam paravit praeceps ruat, quam ecclesiae Christi tantum molestiarum facessat diutius. Id Bernae multis cordatis viris causam vestram valde exosam reddit, quod ablegato pastore trucem bestiam sibi relictam esse vident. Quorsum, inquies, istae querimoniae? Nempe ut, si potes, remedium excogites aliquod. Sin nullum tibi suppetit, nobiscum tamen preceris Dominum, ne abripi nos extra viam, per istas tentationes [29]) sinat, gregem vero suum e ferarum ingluvie liberet. [30])

Iam ipse quoque (meo et collegarum meorum nomine nunc loquor) adiuvandus [31]) nobis videris, atque id licentiae sumere nobis in te audemus, singulari tua moderatione freti: quod in tractando verbo Domini, atque praesertim in capitibus hodie controversis, ita orationem temperare studes, ut quam paucissimos offendas. Id te optimo animo facere persuasi sumus. Sed concilium [32]) hoc magnopere nobis reprobatur. Id quum aliquoties antehac a nobis intellexeris, nunc de integro eandem repetere cantilenam cogimur, quod animadvertimus nocentiorem indies istam temperandi cautionem fieri. Quid praetexere soleas, novi: non esse contentiosis disputationibus alienandos a religione simpliciorum animos, quos allicere quoquo modo liceat, si modo quidpiam indulgeatur, quod citra impietatem concedi potest. Ego vero pro meo more tibi respondeo, si vis omnibus facere Christum plausibilem, tibi non esse fabricandum evangelium, et certe videre palam est quo recidat. Ubi audisti hominum superstitione sanctorum invocationem excogitatam magis quam Dei verbo fundatam, addis tamen mox: id deferendum sanctorum patrum autoritati, ne in totum damnetur eius modi invocatio quae illorum scriptis commendatur. Ita perpetuo soles eorum autoritatem

21) scholasticorum *S. H.* sophisticum *Bucer.*

22) vilescere *H.*

23) *N.* 83 *et* 84 *not.*

24) *Sic autographon et S. Qui tamen correxit:* respicimus. *Bucerus legit:* requirimus, *et sic H.*

25) *Sic ipse C. et Bucerus. Caeteri:* Quamobrem.

26) *Bucerus et H. scripserunt:* scias, *quod et S. probavit.*

27) indicati, *S. et H.*

28) *S. ex coniectura* capitur *scribendum censuit quod recepit H. Verum nihil mutandum. — Agit de Canierlo de quo v. epistolam sequentem.*

29) territationes *H.*

30) *Hic subsistunt Buceri excerpta.*

31) *H. cum altero Simleri apographo scribit:* admonendus. *Vide an lectio codicis calami lapsui debeatur?*

32) *sic. — Concilium hic dicit conventum Bernae habitum mense Sept.* 1537. *Hundeshagen p.* 95.

ingerere, qua praetexta quaelibet falsitas pro veritate censeatur. An hoc est Deum vere sanctificare, tantum deferre hominibus, ne sola eius veritas inter nos regnet? Annon satis patres honorat qui eos nec reiiciendos nec contemnendos censet, etiamsi in multis lapsi reperiantur? Si non potest cohiberi humana lascivia quin longius semper evagetur, ubi semel habenae illi laxatae sunt, quem modum, quaeso, tenebimus, ubi concessum fuerit extra verbi Dei fines nos egredi impune posse? Neque vero id una in re facis, sed ubique videris velle inter Christum et papam partiri medium quoddam regnum. Non dicimus, rem ita habere, ac ne suspicamur quidem. Sed qui perspicaci versutia valent id sibi videntur olfacere: simpliciores, dum interpretantes [33]) hanc esse retractationem, vehementer perturbantur. Initium feceras a commentariis in Psalmos, [34]) opere alioqui praeclarissimo si quod aliud exstat: sed illa sub alieno titulo pia vafrities utcunque tibi condonabatur. Quanquam, ut tibi ingenue fatear, id mihi nullo modo ferendum semper visum fuit, quod fidei iustificationem illic a fundamentis evertebas. Sed utcunque tolerabile censebatur, tam pretiosum qualicunque ventulo *[35]) thesaurum per totam Europam circumferri. Ut vero coepit tuus ille adversus *Cenalem* [36]) libellus legi, nemo fuit piorum qui non aperte clamaret, rem esse indignissimam a tali evangelii praecone evangelium tot involucris obscurari. Liber est, quod nemo infitiatur, reconditae eruditionis refertissimus, eximia arte laboreque non mediocri conscriptus sed tot naevis aspersus ut plurimi una litura correctum cuperent. Nec dubito quin idem animus tibi sit futurus, si scias quos in Gallia et Anglia fructus pariat. Quidquid postea edidisti aliquid faecis admixtum habet. Nec ulla dissentiendi libidine correptum iniquius ac malignius me de tuis scriptis arbitrari putes. Testis est Dominus, me differri non modo toto pectore, sed ipsis quoque visceribus, quoties mihi non convenire cum piis hominibus video, tecum praesertim cuius excellentissimas dotes praeter pietatem non possum non colere ac etiam suspicere. Sed quum me ad summam benignitatem composui, quaedam tamen assentiri nequeo quin a conscientiae testimonio deficiam. Et sane admirari soleo, quid in hac parte tibi velis. Nam dum ad consensionem cum *Luthero* quaerendam hortaris, tanti aestimas ut nihil debere nobis esse pluris affirmes, quam coniunctis animis et armis cum Satanae mendaciis confligere. In ista moderatione tam dissimilis es *Luthero*, ut ipsum ista tua agendi ratione gravius offensum iri existimem, si in opera tua incideret, quam prius fuerit *Zwinglii* et *Oecolampadii* opinione. Nulla enim maiore invidia sacramentarios gravavit, quam dum fidei iustificationem ab illis everti obiectaret, aut certe deteri ac implicari.

Haec apud te, amicissime et nobis observande frater, non sine gemitu conquerimur, quia ingentis ruinae exordia perspicimus in plerisque, si qua coepisti pergere instituas. Scis enim quantum in utramque partem valeant quos Dominus excellentiori doctrina, ingenio, prudentia ornavit et instruxit. Certe eo fastigii evectus es, cumque in ecclesia Christi gradum tenes, ut plerique in te oculos convertant. Quare ne mireris, si abs te exquisitam quandam perfectionem morosius quam a caeteris vulgo requirimus, quem scimus innumeris oportere praeire ac praelucere. Quo minore iactura nos minuti homunciones delinquimus, eo maior nobis conceditur libertas. Vos autem, in quorum exemplo multo plus est noxae, maiori religione obstrictos tenere ecclesia debet. Dominus te conservet ac sua dona in te adaugeat, integerrime ac nobis carissime frater. *Capitonem* meo nomine non vulgariter salutari velim. *Farellus* ac duo alii collegae nostri utrumque salutant. Genevae XII Ianuarii 1538.

Calvinus tuus.

Praeterieram quod postremo loco habendum non erat. Omnibus enim ministris qui vicinis ecclesiis praesunt interdictum fuit, ne quid haberent negotii nobiscum, aut ullo modo communicarent. Vide quo spectent ista dissidiorum argumenta, nisi ut ecclesiae penitus perdantur. Et id *Conseno* acceptum referimus.

33) *Sic autographon. S. ut lectioni mederetur pro:* dum, *scripsit:* autem. *Quod recepit H. Probabiliter Calvinus scribere voluerat:* interpretantur, *et currente calamo syntaxin verborum incaute mutavit.*

34) 1529 *sub Aretii Felini nomine editi, et Delphino dicati quasi a Gallo Lugdunensi v. Zwinglii Epp. II.* 316. 340.

35) *vox dubia in apographis simpliciter omissa.*

36) *Apographa male:* Corealem. *Est Robertus Cenalis episcopus apud Abrincatuos. Titulus libri est:* Defensio adv. axioma catholicum i. e. criminationem Roberti ep. Abrincensis Arg. 1534. *Baum, p.* 496. 499.

88.

FARELLUS LIBERTETO.

Deflet praefectorum Bernensium in agro Lausannensi erga Genevenses ministros hostilem animum, item Megandri casum et Anabaptistarum latius grassantium insolentiam, Conzenique inimicitiam.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. 1. Nr. 28. Exstat quoque in bibl. civic. Turic. B. 217. p. 81. et ap. Simlerum Vol. 44.)

Christophoro suo carissimo

Tononii.

S. Tibi et aliis gratulor felicitatem istam Deique misericordiam tam insignem de pio praefecto [1]) tam amante pietatis et studioso evangelii, qui non solum verbis promovet et adiuvat, sed et manu operantes in agro Domini. Contra, quid dicam, hic deflemus — quo exprimam nomine nescio — praefectos utrosque nobis vicinos, per quos gravissime affliguntur pii omnes. Si unquam aliquid iniquissime actum fuit, id maxime est quod cum *Canierlo* fit. Invertuntur omnia, et iura et consuetudines. Omnes quoque in hoc sunt ut fratrem perdant, iure iniquissimo agunt et interea vix sibi temperant a vi. In una causa admissus fuit ut vocarentur fratres, quorum consilio et decreto acta sunt omnia: in simili non fuit admissus, sed coactus ipsa hora respondere contra usum patrium et consuetudinem omnem. Et nisi cavisset, carceri mancipabatur. Dies constituta erat ad diem Iovis, sed praefecti iusserunt anticipare, et diem Martis indixerunt. Colloquia nostra fratribus sunt interdicta, et fratrum nobis. [2]) Scilicet iusserunt praefecti, ne nos fratres ad sua admitterent colloquia, neque nostra intrarent. *Henrichus* [3]) vetitus est concionari in ditione Bernatium: sunt qui dicant et cautum esse ne nos quoque concionemur. Sic bello geruntur res. Interea insignis Bachus, *Adamus* et *Gastius* cum Ioanne *Moynierio*, *Colineo* et aliis Anabaptistis triumphant. Victoriam suam ebuccinat *Gastius*, quam puto talem esse apud ipsum, sicut quum quis domum intrat et depraedatur, aut bursam aufert, ubi nemo contradicit, videt et sentit. Sic enim solent latrones, non solum dum iugulant homines, victoriam existimare, sed dum rapiunt. Videat *Gastius* an ex ipsorum fuerit numero. Rumor aliquis spargitur. Non puto *Casparem* [4]) tam fuisse caeci iudicii, ut ausus fuerit talem pestem admittere. Rependat Dominus *Conzeno* iuxta id quod meritus est. Qui perdere pergunt ecclesiam perdat eos Dominus. Si moleste feras nos *Caspare* privatos, moleste et nos ferimus, nec iniuria: etsi non erat ipsi ita deserenda ecclesia, cui consulat Dominus. Nam ruinam minatur, et gravissimam. Non multum moror impia impii, ne dicam perfidi, verba, quamvis non prodiere a tam scelesto ore, quum plures habeat suae iniquitatis conscios. Bona voluntas Domini fiat. Dolet mihi Arnunciis designatum non esse ministrum. Vide ut *Henrichus* in aliquibus pagis praefecturae istius doceat, postquam *Bernardus* victor evasit, ne doceret amplius in Ternensi. Vale et saluta omnes plurimum. Te omnes salutant. Genevae, 14. Ianuarii 1538.

Farellus tuus.

89.

MEYERUS BUCERO.

Concordiam nuper Bernae sancitam stabiliri nunciat, si quidem leviora quaedam minus anxie tractentur.

(Ipsa epistola non exstat. Servatum tamen est breve fragmentum quod Bucerus cum Turicensibus communicavit, aliis excerptis ex epistola Calvini subiunctum, de quibus supra ad 12. Ianuarii 1538 significata conferas. Descripsimus ex cod. Turic. F. 80, fol. 342.)

Ex literis Sebastiani [1]) datis ad me 30. Ianuarii.

Cum fratribus Gebennatibus belle nobis, quantum nobis scire licet, convenit. Item et cum *Vireto.* Quidquid hactenus, postquam abiistis a nobis, vel ipsi praesentes, vel per literas senatui nostro proponendum sive promovendum postularunt, diligenter curavimus. Sunt fortasse levicula quaedam de quibus non oportebat vos multum anxios esse. Sunt nonnunquam de rebus minimis etiam nimium queruli. Idcirco bono interim estote animo, nisi rem explicent ac alicuius momenti esse doceant, in qua illis defuerimus, atque tum nos libere obiurgate.

90.

CALVIN A DU TILLET. [1])

Il exprime ses regrets au sujet du départ de son ancien ami, et surtout des motifs qui lui en ont dicté la résolution. Discussion sur les vrais caractères de l'Eglise de J. C.

---

88. 1) *Io. Rud. Naegeli qui et Lausannensi synodo sub finem mensis Martii proxime instantis interfuit. Ruchat, IV.* 456.

2) *Quod postea Bernenses improbarunt in eadem synodo. Ruchat, l. l.* 452.

3) *De singulis qui hic nominantur nihil certi habemus cf. Kirchhofer, Farel I.* 238. *Caeterum Gastium hunc cave cum illo altero confundas de quo Grynaeus ad Calvinum* 12. *Febr. Bernardus et Henricus de la Mare ministri Genevenses.*

4) *Megandrum.*

89. 1) *De Sebastiano Meyero V. D. M. Bernensi v. Ep. Calvini ad Bucerum d.* 12. *Ian. not.* 19.

90. 1) Louis du Tillet, curé de Claix en Poitou, chanoine et archidiacre d'Angoulême. Il était frère de Jean du Tillet, le célèbre greffier au parlement de Paris, et de cet autre du Tillet qui devint évêque de Saint-Brieuc et de Meaux. Voué

(Bibliothèque impériale: Fonds Baluze, actuellement 2391. fol. 1. — Imprimé par Crottet p. 24. Bonnet Tom. I. p 1. et angl. T. I. p. 36.)

Monsieur, huict iours devant que ie receusse les lettres qu'aviez laissé à vostre partement pour me estre envoiees, *Jehan* estoit arrivé;[2]) tellement que quelques sepmaines devant que i'eusse eu aucunes nouvelles de par vous, le bruit estoit volé iusques icy de vostre partement. Combien que telle incertitude me feust assez grande occasion de fascherie, neantmoins ie tenois en suspend mon iugement le plus qu'il m'estoit possible. Ce qui me molestoit et tormentoit le plus, estoit la craincte que i'avois de vous avoir par mon imprudence offensé. Comme ie congnois et recongnois que ie n'ay pas observé envers vous la modestie que ie vous debvois. Bien est vray que ie sentois tel fruict de vostre compaignie et conversation que l'absence ne me povoit estre ioieuse. Mais d'autant que ie vous voiois icy comme languissant, ie portois patiemment ce qui me defailloit, estimant assez bonne recompance vostre soulagement. Finallement quand voz lettres sont venues des deux costez, par icelles i'ay congneu une partie de vostre intention. Pourtant combien que ie[3]) repute bien que ma compagnie ne vous povoit pas estre trop agreable en telle incivilité et rudesse dont ie usois envers vous, neantmoins ie me confie que ceste cause ne vous a pas aliené ni estrangé de nous. Ce qui provient certainement plus de vostre prudence, qu'avez eu a me supporter en cest endroict, que ce que ie me soie porté comme il appartenoit. Ie ne vous puis dissimuler que ie n'aye esté fort estonné apres avoir entendu vostre intention, et mesmes les raysons qui sont avec la declaration d'icelle inserees[4]) en voz lettres. Ce qui me cause la plus grande admiration est que ie vous estimois tant confermé et resolu en cest affaire, qu'il me feust nullement possible vous desmouvoir de ce[5]) propoz. Et quand vous n'eussiez pas eu, au train ia par vous commancé, fort solide rayson, si est ce que ce changement tant subit m'a esté fort estrange; veu la constance et fermeté que vous demonstriez. Dieu vueille neantmoins qu'il soit prins autant equitablement des autres, comme ie m'efforse de le prendre. Quant aux raysons qui vous ont esmeu a ceste deliberation, ie ne les puis appercevoir fort peremptoires. Ie scé bien que ma conscience est assez asseuree devant dieu du contraire; et espere quelle sera iusques au iour qu'il fauldra comparoistre a rendre compte. Davantaige ie suis bien abusé ou iay tellement declaré le bon droict de ma cause, qu'un chascun s'en doibt contenter. N'estoit que les uns se pardonnent trop facilement, les autres vouldroient bien donner entree à Iesus-Christ par les voies ou il ne veult nullement cheminer. Ie n'ay iamais[6]) nullement doubté que les personnages dont vous faictes mention,[7]) n'eussent aucunement aydé, sans y penser, a vous faire prendre une telle conclusion. Combien qu'en touchant ce propoz par lettres a moy escriptes, ilz le dissimulent. Et certes la grande doctrine et pieté qui est en eulx a grande apparence pour donner authorité a leurs[8]) consultations. Mais ie suis bien asseuré qu'en ceste matiere i'auré, oultre les vives raysons, plus de couleur que eulx, quand i'auré prins un masque pour me fere apparoistre semblable a eulx. Ilz me contraingnent l'un et l'autre, par leurs manieres de fere, de desirer en eulx plus grand fermeté et constance. Quelque credit qu'on ait, si ne faict il iamais bon d'estre tant liberal a espandre le bien d'autruy. Et si nous avons a nous garder de fere largesse aux despans des hommes, quelle caution doibt estre au pris[9]) a dispenser[10]) la verité[11]) de dieu: laquelle il ne nous commect pas pour[12]) en rien diminuer? Ie prie le Seigneur qu'il nous vueille tant donner d'intelligence que nous entendions qu'il ne veult pas estre servy a demy, comme nostre folie luy veult diviser sa portion; mais entierement selon sa volunté. Si vous recognoissez pour eglises de Dieu celles qui nous ont en exeeration, ie m'en rapporte a vous: mais nous serions bien mal en point si ainsi estoit: car certainement vous ne leur povez donner ce tiltre que vous ne nous teniez pour schismatiques. Ou il fault adviser comment vous accorderez vostre opinion avec la sentence de nostre maistre: *Quaecunque*[13]) *ligaveri-*

---

lui-même à la carrière ecclésiastique, ses premières inclinations le portèrent vers la Réforme. Il connut Calvin à l'université de Paris, se lia d'amitié avec lui, partagea ses périls, et le reçut, en 1534, à Angoulême, dans sa propre maison. Uni dès lors au jeune réformateur par la communauté des croyances, il résigna sa cure de Claix pour le suivre, sous le nom de Haulmont, à Strasbourg, à Bâle et en Italie. Il se trouvait à Genève (août 1536), lorsque Calvin y fut retenu par les véhémentes supplications de Farel. Mais les luttes auxquelles le réformateur fut dès lors condamné, convenaient peu à l'âme contemplative et douce de Louis du Tillet. En proie au doute, il quitta secrètement Genève, et se rendit à Strasbourg où ses incertitudes ne cessèrent que par son retour à la foi catholique (*Bonnet*). *Cf. N.* 20, *note* 5 *et N.* 56, *note* 7. *Florimond de Raemond, p.* 883 *suiv. et surtout l'Introduction à l'édition de Crottet* (*Proleg. page* 17).

2) *Jean du Tillet, frère de Louis.*

3) ie *om. B. C.*

4) inserees *om. C.*

5) ce *om. B. C.*

6) iamais *om. B. C.*

7) *Bucer et Capiton.*

8) telles *C.*

9) aupres *C.*

10) despenser *B.*

11) charité *C.*

12) convient point *C.*

13) quodcunque *B. C.*

tis, etc. Si vous entendez que tousiours il y demeure quelques reliques de la benediction de Dieu, comme sainct Paul afferme des Israelites, vous povez bien entendre que i'accorde avec vous, veu que quelques fois ie vous en [14]) ay declaré tel estre mon iugement: voire iusques aux eglises grecques. Mais si ne s'ensuit il de cela qu'en l'assemblee il faille recognoistre l'eglise. Et si nous l'y recognoissons, elle sera nostre, non pas de Iesus Christ, lequel marque la sienne d'autres enseignes quand il dict: *Oves meae vocem meam* [15]) *audiunt*. Et sainct Paul, quand il la nomme columne de verité. Vous me responderez qu'elle ne se trouvera nulle part, veu que par tout y a ignorance. Mais l'ignorance est telle entre les enfans de Dieu qu'elle ne les empesche point de suivre sa verité. [16]) Quand il seroit [17]) question de accomparer telles compagnies aux synagogues des Iuifz, ie craindrois de fere iniure a cestes cy en ne les preferant aux autres: ou pour le moins en les postposant. Car l'idolatrie n'y est pas telle, ne les abominations tant horribles. Ce qu'on y peult voir de bien, il est commun entre les deux: si non qu'il semble bien advis estre un grand advantage que le nom de Iesus est advoué des uns, non des autres. Mais la vertu n'est pas moins abolie. Ou si nous voulons trouver comparaison plus propre: c'est ung tel estat qu'il y avoit au peuple d'Israel soubz Iaroboam, ou bien soubz Achab, du temps que les esperitz par longue coustume estoient plus corrumpuz. Ie ne vous ditz pas ces choses sans cause. Car i'appercois combien plusieurs se commancent [18]) a flatter soubs le tiltre de l'eglise, condamnant hardiement tout ce qui ne leur ressemble: dont ilz rendront compte. Qu'ilz regardent de quel droict ilz le font. Car ie scé bien que nostre asseurance est trop certaine pour ceder à leurs [19]) vaines obiections. Quant a vous ie n'estime pas que vous nous teniez autres que si vous conversiez avec nous; mais c'est un degré pour se diviser de l'eglise de Dieu, quand on se conioinct a ce qui luy est contraire. Au surplus ie pense cognoistre en vous une telle craincte de Dieu, qu'il me fauldroit voir de grands argumens pour m'oster la persuasion que i'en ay conceue. [20]) Pourtant soiez asseuré que legiers [21]) rapportz n'auront pas telle puissance envers moy que de renverser l'experience que i'ay eu de vous par si longues annees. Mais combien que ie vous supporte en ceste infirmité, ne vous reiectant [22]) non plus que

14) en *om.* *B. C.*
15) meae vero meam *C.*
16) volonté *B. C.*
17) soit *B. C.*
18) s'aiment *C.*
19) de *B. C.*
20) receue *C.*
21) que les premiers legiers *B. C.*
22) resistant *B. C.*

si vous estiez entre nous, si ie ne puisie [23]) nullement consentir a ceste entreprinse. Et plustost que soie osté du monde par mort amere, [24]) que d'approuver vostre faict: lequel ie cognois estre damnable en soy, et oultre cela plain de ruine, ou pour le moins de merveilleuses offenses envers plusieurs; avec ce que ie voy la promptitude que nous avons pour nous bien iustifier, d'induire les autres a fere le semblable. Toutesfois de ces choses dont pour le present estes resolu, ie ne feré longue dispute. I'ayme mieulx de prier le Seigneur que son plaisir soit vous delivrer de tous scrupules tellement que sa voie vous soit toute plaine et ouverte en cest endroict, en attendant l'opportunité quand elle vous sera offerte.

Du departement de Lois *Dartois*, [25]) ie n'ay iamais eu suspition qu'il foust procedé de vous, d'autant que i'ay esté deuement [26]) adverti du contraire. Mais ce a esté une pauvre cautele a luy de se cacher de moy es choses esquelles il ne peult pas tromper Dieu. Car ce n'est pas chose legiere que de tenter Dieu, ce que font ceulx qui voluntairement se reiectent en captivité. Les sacz mouillez dont nous avons coustume de nous couvrir devant les hommes, ne pourront pas porter la chaleur du iugement de Dieu. Vous m'avez de longtemps donné a cognoistre que le vostre estoit mien de vostre grace: pleust a Dieu que ie vous en peusse fere bonne recognoissance. Mes compagnons se recommandent a vous, desquelz le iugement est tel que le mien: combien que ie me suis efforsé, sans monstrer voz lettres, d'obvier a toutes offensions. Ie n'ay pas peu donner autre conseil a *Iehan* que celluy que ma conscience portoit: si ie ne voulois estre traistre a la verité de Dieu et au salut de luy. Ce que i'espere que [27]) ne prendrez en mauvaise part. Ie vous supplie d'avoir singuliere memoire de nous en voz prieres. A quoy, combien que la cognoissance que vous avez de nostre infirmité vous doive assez inciter, neantmoins les difficultez que nous sentons vous doivent encores plus enflamber lesquelles sont plus grandes que iamais.

Apres m'estre humblement recommandé a vostre bonne grace, ie prieré le Seigneur vous conserver en sa saincte protection et vous diriger tellement que ne decliniez pas en la voie tant lubrique ou vous estes, iusques a ce qu'il vous aura monstré la pleine delivrance. Vous me pardonnerez si ceste presente est assez confusément escripte: car la briefveté du temps en partie en est cause, et en

23) *sic* (*puis ie*).
24) monde terrien. *C.* par mort amere *om.*
25) *Cf.* 34, *note* 3.
26) dernierement *B. C.*
27) iespere que *om* *B. C.*

partie les troubles que nous avons, oultre que l'argument ne m'estoit pas fort propre a traicter. De Villefranche, ce dernier de Ianvier.

Vostre humble serviteur et frere,
Charles D'espeville.[28])

91.

GRYNAEUS CALVINO.

Excusat Gastium de Calvini confessione liberius iudicantem. De Luthero ad concordiam cum Helvetiis ineundam iam propensiore bene sperat.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 112, fol. 167. — Exstat impressa in Collectione a Beza edita Genev. p. 365, Laus. p. 49, Hanov. p. 55, Chouet p. 501, Amst. p. 228 et inde apud Streuberum p. 54.)

Ioh. Calvino suo fratri carissimo
Genevae.

S. Rogavit me *Gastius*,[1]) ut se apud te excusarem diligenter. Nam[2]) intelligit te offensum esse iudicio ipsius de confessione tua, veritumque ne quod olim, quum illa exorta est, de ea iudicavit, id nunc etiam iudicet et te suspicionibus gravet. Hoc promittit *Gastius* de se mihi, et ego tibi de *Gastio*[3]) minime futurum. Nos enim te fratrem in Domino libenter ac cum gaudio ecclesiae nostrae[4]) agnoscimus Itaque noli hic tibi molestus esse amplius, mi frater. Haec de *Gastio*.[5]) De *Lutheri* super nostra confessione responso[6]) benignissimo credo te audivisse. Spes est optima nobis eum recte processurum. Vos isthic in Domino Christo optime valete. Saluta venerandum mihi virum[7]) *Farellum*. 12. Februarii.[8])

Simon Grynaeus tuus.

---

28) *C'est la première fois que ce nom se présente dans la Correspondance française de Calvin. Le choix du pseudonyme doit cependant remonter à une époque antérieure.*

91. 1) *Nomen suppressit Beza, in cuius locum substituit N. Sic edd. omnes. Io. Gastius Brisiacensis, pastor ad S. Martini Basileae. Inter eius scripta laudatur liber de Anabaptismi erroribus, ideoque autor ab illo distinguendus de quo Farellus sub N.* 88.

2) Nam . . . gravet. *om. Edd. Confessionem de eucharistia intelligi arbitramur.*

3) *Edd.* de ipso, se de tuo scripto sentire ut par est, *omissis vocc.* minime futurum *et antea:* Gastius.

4) *Edd.* cum gaudio agnoscimus ac pro eximio ornamento ecclesiae nostrae amplectimur. — *Caeterum vide N.* 65.

5) Haec de Gastio *om. Edd.*

6) *N.* 87, *not.* 9.

7) virum *om.* Edd.

8) *De anno non est quod haesites; confessio Calvini et collegarum edita est, item Lutheri responsum, datum nuperrime, denique Calvinus adhuc Genevae sedet. Male igitur Streuberus ad a.* 1537 *refert.*

92.

GRYNAEUS FARELLO ET CALVINO.

Ex modo acceptis eorum literis tempestatem Genevae orituram et quidem gravissimam praesagit, et ipsis neque a Senatu suo neque a Bernatibus praesidium sperandum putat. Hortatur, fortiter in re, suaviter in modo persistant.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium coll. cum apographo bibl. civic. Turic. B. 217, p. 82 et Simleriano vol. 44.)

Guilielmo Farello et Iohanni Calvino fratribus carissimis suis in Domino.

Genevae.

S. Legi utriusque epistolam non sine dolore. Video tempestatem, video procellas, saevit utique Satan et vos iactat agitatque. Atqui, o fratres mei carissimi, non vestra sed Iesu Christi regis regum causa est. Is oculis suis et vos ministros suos et saevientem Satanam videt. Explorari vim spiritus Dei in vobis necesse est, ac artes Satanae notas fieri. Itaque unum est, fratres mei carissimi, unum est remedium, unum praesidium, utcunque totis sedibus mare hoc convulsum turbine videatur, placide tutoque ad gubernacula verbi Dei fortibus ac certis animis consistere ac non discedere. Ergo certo cum consilio, certa cum fiducia Iesu Christi Domini, quotidie ad conciones prodibitis more vestro, certa fide, certa caritate appellabitis omnes. Hoc officium nostrum est. Caetera Dominus Iesus ipse in tempore curabit. Video, Senatus non est sincerus, video, praesidium a vicinis Bernatibus non est fidele. At vivit Dominus. Ergo consistite vos solum in officio vestro immoti. Summa gravitate ac fide in concionibus agite. Potens est verbum Domini, ac nunquam hoc magis quam quum maxime saevit Satan. Igitur isti quum vos per insidias petunt, vos pro concione pro illis Dominum orate; quum maledicunt, vos benedicite omnibus timentibus Dominum, quum conciliabula sua cogunt, vos cum bonis, etsi hi pauci sunt, inter secreta cordis, ac rursus palam in oculis Domini, collectis animis, ac omni fide in Iesum Christum advocata, consilium capite, quomodo potenti Dei verbo sit retundendus Satan. Scio, impossibile est, tamdiu isthic auditum esse Christi evangelium: non temere locum perditissimi homines habebunt. Artibus impetant vos ac dolis circumveniant, ludant ministros Domini et regnum sibi stabiliant istic superareque videantur: omnia (videbitis) ad delectandum Satanam et capiendum de bonis experimentum spectant. Spectator tragoediae huius Christus Dominus ipse est: nemo in hoc theatro frustra sese ingeret. Ergo imperterriti

simus. Negotium suum Dominus ipse curabit. Ad Argentinenses fratres statim soleo mittere omnia, quum aliquid accidit. Dabimus operam omnes, quomodo rebus duce Domino succurramus. Multum auxilii positum apud Bernates est, verum videtis qui istic quoque motus fuerint hactenus. Spero, Dominus Christus omnia ad utilitatem ecclesiae suae convertet. In illum respiciamus: potens est, ac viam, ubi videbitur, certam inveniet, quomodo statum aliquem rebus addat. Interea sedulo apud fratres agemus omnia. Valete mei fratres carissimi. Dominus Christus confirmet vos in ipsius ministerio sancto ad veram salutem suorum. Amen. Febr. 13. anno 38. [1])

Simon Grynaeus vester frater.

92. 1) *De rebus Genevensibus hoc ipso tempore gestis adeundi prae caeteris Roget, hist. du peuple de Genève p. 64 suiv. et Kampschulte I. p. 302 seqq.*

93.

CALVINUS BULLINGERO.

Status ecclesiae Genevensis tristissimus et fere deploratus. Excommunicationis disciplina et urbis in parochias distributio a senatu impetrari non potuit. Synodus publica plurium ecclesiarum cogi deberet in qua communi deliberatione de rebus omnibus utiliter instituendis dispiceretur. Lutheri benignam, quae fertur, responsionem nondum vidit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 105 olim B. Tom. I. fol. 287. Descripsit Simler vol. 44. Anglice legitur ap. B.-C. Tom. I. p. 41.)

H. Bullingero Tigurinae ecclesiae vigilantissimo pastori fratri et symmystae mihi observando.
Tiguri.

Gratia et pax a Deo patre et Domino Christo. Integerrime simul et eruditissime frater. Si miserrimae nostrae conditionis iustam narrationem apud te persequi instituam, longa mihi texenda sit historia. Nostram autem appello quae ecclesiam, cui praeesse nos Dominus voluit, iam aliquamdiu vexavit et nunc etiam magna ex parte premit. Sed quia neque ad singula explicanda satis in praesens suppetit otii, et boni isti viri nonnulla per se recitare poterunt, longiore epistola non ero tibi molestus. Etsi enim ipsam forte mali scaturiginem non animadverterunt, nec quorsum tenderent improborum conatus, ipsa tamen rerum facies qualis esset, non obscure perspexerunt. Utinam vero dies unus ad liberam commentationem nobis daretur. Inde enim, ut spero, non discederetur sine ingenti fructu. Habeo certe quae nec literis complecti nunc tuto posse video, nec a nobis nisi mature ultro citroque expensa et discussa transigi. Hoc tamen obiter indicabo, mihi videri, nos diuturnam ecclesiam non habituros, nisi restituta in integrum antiqua illa, hoc est, apostolica disciplina, quae apud nos in multis partibus desideratur. Nondum extorquere potuimus, ut pura sanctaque reduceretur excommunicationis observatio. Ut urbs quae est pro amplitudinis suae modo populosissima in paroecias distribueretur. Quemadmodum enim fert confusanea haec administratio, vulgus hominum concionatores nos magis agnoscit quam pastores. Alia sunt permulta quae quum emendata vehementer cupiamus, nullam inire possumus rationem, nisi id agatur communi et fide et studio et industria. O si pura sinceraque tandem inter nos concordia sanciri queat. Quid enim tunc impediret, quominus publica aliqua synodus cogeretur, ubi singuli, quid ecclesiis suis maxime conducat, proponerent, ratio efficiendi communi deliberatione dispiceretur, et, si opus foret, civitates ac principes etiam mutua et hortatione se adiuvarent et autoritate confirmarent? Sed in tanta perplexitate magis rogandus est Dominus ut viam expediat. *Lutheri* responsionem ad vos pervenisse admodum benignam et amicam, *Pellicanus* nobis indicavit: qua *Grynaeus* sibi multam spem fieri obtinendae pacis altera ex parte testatur. Sed ea qualis sit nondum rescire potuimus. Quae ob propinquitatem ecclesia [1]) nobiscum omnia posset opportunissime communicare, nullo unquam apiculo nos dignata est. Tu, si qua se offeret occasio, non gravaberis summam saltem nobis exponere. *Farellus* te salutat. Salutabis meo nomine non vulgariter fratres mihi in Domino colendos, tuos collegas, *Pellicanum, Leonem, Bibliandrum,* [2]) praeterea *Phrisium.* Dominus vos omnes in regni sui propagationem vos [3]) incolumes servet. Genevae, 21. Februarii 1538.

Calvinus totus tuus.

93. 1) *Bernensis scilicet.*
2) *Simlerus de suo praenomen Theodori addidit, translator anglicus hunc Theodorum a Bibliandro distinguit.*
3) *sic!*

94.

FARELLUS PELLICANO.

Quae de Lutheri responsione et animo nunciantur, laetissima sunt et spei plena. Verum aliunde est quod ipsum turbet et tantum non conficiat. Genevae lites et tumultus non cessant. Commendat fratres Turicum proficiscentes.

(Ex autographo bibl. civic. Turic. MSS. F. 47 olim Epp. T. 12, fol. 22. Apographa exstant ibidem B. 217. P. II. fol. 2 et Simler vol. 44. Autographon in margine mutilum, lectio passim dubia.)

Conrado Pellicano vere pio.

Tiguri.

S. Gratiam et pacem a Deo. Quem valde commendas, dignum sane *Vincentium* vidimus fratrem carissimum, ac am[*ice*] contulimus cum eo, habemusque tibi gratiam omnes quod nobis depinxeris tam christianum pectus, ne si peccatum [. . . .] in non excipiendo tanto fratre multo magis fuisset. Dominus multos eiusmodi suscitet vere pios, disturbatis tot fucis quibus omnia plena sunt. Multa affecti fuimus laetitia de iis quae scribis de *Luthero*. Faxit Dominus ut tandem ple[*na*] constet concordia et tam firma, quam est ad aedificationem omnium necessaria. Plurimum expediret ut constituta [*concordia?*] dispicerent omnes ecclesiae super disciplina quae prorsus sublata periit, sine qua nemo non videt non pos[*se con*]stare ecclesiarum aedificationem. Christus suorum iungat[1]) corda ut huic incumbant. *Capito* et *Bucerus*, alii repu[*lsi*] fuere propter tam diu dilatum[2]) *Martini* responsum, sed nunc puto abunde factum esse satis per literas *Marti*[*ni*] quas vellemus communes omnibus: ex te tantum rescivimus. *Grynaeus* aliquid scripsit. Aliunde habemus quod nos conficiat et ecclesiam turbet, non quod consolationi serviat. Verum Dominus turbatoribus tantum excitabit turbarum, ut satientur plene. Non satis habent, domi perpetuas si habeant lites, nisi et aliis tumultus excitent, nihil veriti evangelium in discrimen vocare, sic ut paene profligatum curarint, quod mire anxium reddidit bonum illum *Vincentium*, qui mire laboravit, ut nos animaret ad ferenda omnia. Grave est quod a domesticis est perferendum: sed Domini est, crucem pro sua bona voluntate suorum humeris imponere, nostrum est impositam ferre, non imponendam eligere. Fratres hi vos optarunt videre, ac aliquamdiu istic haerere, et non solum vos, sed et alios fratres Germaniae. Conversatio eorum hic fuit pia et christiana. Speramus incrementum eos suscepturos ex impertitione spiritualis gratiae per fratres, consolatione fidei piorum. Duo ex Anglis[3]) ante aliquot dies hinc solverunt, ad vos iterum redituri. Sane non parum ad omnium aedificationem fecerunt. Speramus utiles futuros in agro Domini, qui gressus tam piorum fratrum et omnium dirigat. Pluribus non est quod tecum agam super rebus nostris: nam hi abunde poterunt referre quam sit necesse ut precibus fratrum adiuvemur, ut sua bonitate nos tueatur et foveat sic ut nihil admittatur indignum tam sancto ministerio, quod pure det ut geramus, plebe rursus, ut est Dei, excipiente cum fructu. Vale bene, ac tecum pii omnes, quos salvere cupimus in Domino. Salutant te fratres omnes, *Calvinus* praecipue. Genevae, 22. Februarii 1538.

Farellus tuus totus.

94. 1) tangat?
2) *scilicet iam Februario* 1537 *Iac. Meyero consuli Basileensi quasi promissum* (*De Wette V.* 54).

3) *De quibus Bullingerus d.* 1. *Nov.* 1537 *supra N.* 80.

95.

TOSSANUS FARELLO ET CALVINO.

Scholam Monbelgardensem Michaele Muloto dirigente florentissimam laudat. In cuius locum, si forte abierit, sibi Pontanum mitti cupit.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium.)

Farello et Calvino fratribus meis in Christo Iesu plurimum observandis

Genevae.

Farello et Calvino suis in Domino colendissimis fratribus S.

Michael *Mulotus*[1]) frater noster carissimus scribit ad vos de rebus nostris et quid habeat animi. Adserit se lubenter et ex animo suscepto munere fungi quod certe mihi vehementer gratum est et iucundum. Habet pueros circiter octoginta et indies advolant novi, non solum ex urbe sed etiam ex hac vicinia et aliunde, quos pie ac diligenter in literis et pietate format, et unde plus certe spero fructus rediturum ad Christi gloriam, quam ex omnium qui hic sumus opera et concionibus: quod videamus hodie (si unquam alias) mundum in malo positum esse totum, paucissimosque adultos vere redire ad Dominum, ut, si quid sit hoc tempore spei

95. 1) *De Muloto vide Calvinum ad Farellum scribentem infra* 8. *et* 20. *Augusti.*

in hoc deplorato saeculo reliquum, in pueritia recte instituta aut instituenda situm sit. Nec sic sum adfectus in hanc urbem ut vel aliarum ecclesiarum iactura eidem, vel carissimi fratris nostri *Muloti* incommodo, consultum velim. Cui semper liberum fuerit facere quidquid aut suaserit conscientia aut iudicarint fratres ad gloriam Christi magis pertinere. Caeterum quoniam in abrogandis confraternitatibus istis impiis ac decernendo scholae stipendio recepimus apud principem et cives, curaturos nos, ut hic habeamus qui pueros non solum scribere sed etiam pingere doceat, obsecro vos per Christum ut huc primo quoque tempore mittatis Franciscum istum *Pontanum*, qui apud vos agit, quique per *Pignolum* ad me scripsit, cuius pictura facit satis nostris, et poterit universae scholae provinciam sustinere, si forte *Mulotum* alio vocarit Dominus. *Farellus* me accusat quod huc tam multos vocem, sed hoc facio quod in dies exspectem et sperem huius ecclesiae instaurationem: alioqui nollemus hic consistere, nec sic haeremus in hoc luto, quin parati simus omni hora alio confugere, si ita visum fuerit Domino, qui vos ecclesiae suae sanctae incolumes servet. Valete. Mombelgardi, 28. Febr. 1538.

Salutate mihi plurimum *Morandum*, *Coraldum*, *Sonnerium*, *Olivetanum* et caeteros fratres.

Vester Tossanus.

96.

COMPTE DE BERNARD.

Relevé des dépenses faites par ordre du Conseil en faveur des ministres de Genève pendant la seconde moitié de l'exercice 1537—1538.

(Archives de Genève. Pièces historiques N. 1178.)

Le contez de ce que Glaude Bernard a debource pour les predicants lan 1537 par vigueur dung comandement faict le 26. de juing 1537 comme avons veheu sur le registre du secretaire.

A maistre Guill. *Farel* le 26. de juing 1 ▽[1]) valliant. . .	fl.	4	8 s.
Audit le 28. dudit moys 2 ▽ valliant.	fl.	9	4 s.
Audit le 5. de julliet 2 ▽ valliant.	fl.	9	4 s.
Audit le 12. de septembre 4 ▽ valliant	fl.	18	8 s.
Audit le 6. febvriez 1538. 3 ▽ valliant	fl.	14	—
Audit ung bossot de vin de lan 1537 tenant 11. septiers et quant jl sen allat je en retiray 4. septs. et demy ainsy reste 6. septs. et demy a 28 s. le septier	fl.	14	7 s.[2])
A Anthoine *Froment* quant il preschoit a S. Gervaix 3 ▽ valliant	fl.	14	—
A ung predicant de Muings[3]) du commandement de Messieurs 2 ▽ valliant	fl.	9	4 s.
A maistre *Calvin* un bossot de vin tenant 9. septiers et demy a 28 s. le septier. Lequel ledit sen allant avoit pris dargent dessus iusques a la somme de 2 ▽ Restent que jay retire. Par ainsy reste que me est debeu	fl.	12	10 s.
A la donna *Granta* pour du baccon que elle a ballie a maistre *Guillaume*	fl.	3	11 s. 9 d.
Au minusier que fit les Rammes en la mayson de Monsieur de la Magdeleine[4]) . . .	fl.	2	1 s.

97.

GRYNAEUS FARELLO ET CALVINO.

De Bernatibus nimis eos queri et temere suspectos habere arbitratur, quorum animos a Genevensibus minime alienos affirmat. Pacem et concordiam commendat, monendo, precando, obtestando. Conzenum maxime a nimia eorum severitate vindicat, mores rusticos excusat, studia et indolem viri quantum potest exornat. Privatas simultates publico ecclesiarum commodo cedere debere enixe asseverat.

(Ex autographo Bibl. Genevensis Cod. 112, fol. 165. Difficillima lectu ut pleraeque Grynaei. Dubia asteriscis notamus.)

Fratribus in Domino carissimis Guil. Farello et Ioh. Calvino. Genevae.

S. Per Dominum Christum hortor, ut animis

96. 1) *écu.*

2) *Le compte ne paraît pas être exact.*
3) *Village des environs.*
4) *C'est-à-dire, sans doute, du ministre desservant cette église. — Les deux derniers articles auraient besoin d'un commentaire linguistique* (baccon, *lard;* ramme, *chassis*).

iis, quibus par est esse antistites sacrorum Christi, paululum me audiatis fratres. Video enim Satanam saevire potentissime et conari modis omnibus nos divellere. Querelae vestrae[1]) sunt Bernatibus plus quam graves. Valde vereor ne Satan prave vobis illorum facta omnia interpretetur. Alioquin quomodo fieri potest, ut suspicionibus tam immanibus laborent apud vos. Ego certe, ut dicam quod me caritas iubet, persuadere mihi de neutro possum, quod tu tibi, *Calvine*, de utroque non persuasum solum, sed prorsus, ut video, infixum animo habes. Ipsi, quum de vobis ad nos scribunt, videntur sentire de vobis optime. Et moniti a nobis saepe ut alerent modis omnibus institutam concordiam, integram esse scribunt, nisi quod quaedam leviuscula[2]) obrepant, quae nata ex suspicionibus non ante possint recipi quam fuerint a nobis edocta ac probata. Esse paratos, nobis de omnibus satisfacere, si quid accusati apud nos fuerint. Haec ipsi de vobis scribunt. Unde liquidum est, sic esse erga vos animatos ut qui sint amicissimo primum, * contra scriptum, *Calvine* carissime, longe est infensissimum. Ah Iesu Christe, quis dabit nobis sensum hunc ut fratri ob communem ecclesiae utilitatem etiam aliquid de nobis nostroque iure concedere parati simus. Nusquam gentium, locorum, temporum, tam bene composita unquam capita duo fuerunt, quae nisi parata fuissent ob Christi Iesu reverentiam etiam stultis et insipientibus per omnia se subiicere, adversariis et inimicis benefacere, quin omne foedus in Christo Iesu semper fuerint rupturi. Est utique illud non christiani spiritus et animi, adeo nihil ferre a fratre velle. Iesu Christe, citius mille ecclesias dissipabimus quam unam colligamus, nisi omnia fratrum vitia dissimulare parati sumus. Vitia dico, qualia sunt quae vos utique seiungunt. Qui torve respondit, tumide et inflate agit nobiscum. Quid, mi *Calvine*, si nos de nobis tam multum sentimus ut nisi alius tribuat quantum postulamus nos dari nobis, nos, * fuisse superbus ipse et iniurius videatur?

Mihi, ut dicam quod sentio, mores *Contzenii* improbantur.[3]) Sunt enim perquam rusticani. At quum video animi propositum et fidem hominis quantumvis inculti et rursum ecclesiarum sedulitatem, non possum certe fratrem abiicere. Cur non inspicimus naturam hominis, cur non educationem, cur non gentem, cur locum unde natus est, in Alpibus mediis?[4]) Certe quum talem tecum in Gallia media inter eruditissimos a teneris educato confers, cur in ipso statim congressu offendare, facile intelliges. Certe sic est negligens officiorum huiusmodi, ut nuper tecum nobis praesentibus agens, qui alioquin scribit nec inepte nec barbare, soloecismos ac barbarismos multos in oratione admiserit. An ego fratrem cordatum eam ob rem, propter quam a doctis istis prorsus explodatur, contemptius haberem, et fuerunt * etiam mores * quibus tum agebat non multo culti magis. Quid igitur ego in faciem praesente te illi dixi? fustuarii dignum esse. Quod haec illi tam facile sit mutare, quam est tibi difficile ferre, aut quam facile cautius animadvertere ac reprehendere, dignus acerbiore criminatione sit, quam est tua, si non mutaret. Verum quid sic ingenuo, sic moribus natura composito facias? Ipse saepe hac ruditate commendari apud suos volunt. Sed vobis non torvitas, sed urbanitas ac comitas placet. Quanquam scis tu, mi *Calvine*, ista quam fallax hominum humanitas sit. Ego in eo, qui est in Christo philosophatus tam feliciter, sublimiorem certe animum requiro, ut omnibus omnia fieri possit. Profecto ars haec est, quae nisi hoc tempore a nobis usurpatur, mi *Calvine*, evertet nos prorsus. *Farellus* noster habitus est diu feroculus, sed is incipit prae te mitescere. Spero in Christo Iesu, etiam te mitius cum fratribus acturum. Deum sanctum, quae virtus est, quae praestantia caritatis divinae. Age enim, mi *Calvine*, existima vel unum tantum momentum apud te, fratrem esse tuum *Contzenum:* iuro tibi per Dominum, te multis de causis fratris huius non solum non pudebit, sed etiam quae tibi nunc vitia videntur, ea conversus animi iurabis esse virtutes praestantissimas. Rigiditatem dices esse constantiam, barbariem dices esse simplicitatem, istum officiorum cunctorum neglectum alio quodam honestissimo nomine *πατροφιλίαν* dices. Ac utut maxime laudare non possis, aut etiam reprehendenti non reclamare, tamen mitissime vitia omnino in fratre tuo germano interpretari. Denique, ut accuses etiam ac pro merito palam apprehendas, certe sine hostilitate, sine omni mentis tuae alienatione facies: quum enim possibile illud sit ob ullam causam te vero a fratre alienari, quantisper illa talis cum illo est conspiratio in Christo Iesu patreque Deo communi, ac quantisper sanguis idem, eadem patria. O Iesu domine, quae vincula sunt tua, quibus tu fratres nobis copulas, spiritus tuus sanctus, tua ossa, tua caro, tuus sanguis. O coniunctionem, o necessitudinem. Et vero quem non in usum copulas nos intime spiritu tuo in cordibus nostris idem dicente, faciente, laudante, comprehendente, unum Dominum praedicante ac sanctificante, in collectionem populi tui, ad salutem dissipati gregis tui, in terrorem immanium luporum, qui gregem tuum parati sunt vorare, Iesu Christe Domine.

Hos certe istinc abeuntes in extremo complexu,

97. 1) *Vide Calvinum ad Bucerum* 12. *Ian.*
2) *de ritibus loquitur a Bernensibus servatis, a Genevensibus abolitis.*
3) *Cf. Calvinum l. l. Hundesh. p.* 70. 99.
4) *in valle Simmenthal* (*Mausol. Bern. IV.* 177).

quum vos dulcissimos fratres dimitteremus a nobis, non sine gaudio ac solatio cordium nostrorum reconciliatorum, equidem atque equidem istud hortabamur, ut ne quid cuiquam crederetur temere de fratre deferenti, ut si qua offensa contentiove incidisset ipsi, placide inter vos praesentesque componeretis, ut ne locum Satanae quaquam faceretis. Ah quam certa cum spe, quam magno cum gaudio post has pollicitationes discessimus! Sed quid ego apud vos diu multa? confido in Domino Christo: hanc tentationem Satanae non succedere scio, profecto dum in vobis spiritus Domini virtutis suae sanctae vim exercet, quam ut sitis unquam passuri, ob privatam illam contentionem ecclesiam Christi detrimentum accipere. Ergo submittamus nos fratribus, nos praesertim, in quibus muneris * est Christi praestantioris. An enim non verum est hoc: maior qui sit, is ut ministret caeteris? Ah Domine Christe, quantam * tu rem in unionem dedisti, et fac ut ne dividamur, officiorum studium, morum delicias * ac rerum omnium diversitatem ac distinctionem. Cur enim omnes oculi non sunt? aut quid pes olidus * ad oculum? At tu, Iesu, unum omnium caput es, tuus est unus omnium doctor spiritus. Unius omnia membra corporis sunt. Cur animi oculus sapientiam in pede requirit, cui debet ipse sapientia sua prospicere? Aut ulla res alia in ecclesia requiritur quam ut una sint omnia, quum ab uno acceperunt, ad unum tendunt omnia? Quaeso igitur te, mi *Calvine*, vel ipsum *Farellum* mitescentem tum simul ac canescentem collegam tuum, nobile Domini instrumentum, hac in re . . . . * tere ac . . . . * omnia pro lenitate spiritus Christi cum fratre transigere. Oro te per Iesum Christum. Ego apud illos Bernates efficiam per virtutem Domini Christi, ut ne vos negligant. Oremus Dominum utrique fideliter. Dominus Iesus Christus vere et ardenter flagranti spiritu suo, ardenti caritatis calore, et vere coelesti igne conflatos in unum reddat. Amen.

Is qui has adfert, est nostri consulis filius, pius iuvenis, piissimi viri filius. Venit ex negotio ad vos, quaerens apud quem puer quem eo adduxit institui apud vos gallica lingua possit. Pater ipse, quo nemo fidelius in omni negotio Christi agit, me oravit, ut orem vos, operam detis ut recte puer et pie gallice instituatur. Valete carissima pectora, fratres dulcissimi, *Farelle* et *Calvine*. 4. Martii 38.

Simon Grynaeus
vester servus in Domino.

Simon *Sultzerus* [5]) Bernam adiit: is per nos iussus est omne vobis obsequium in Domino praestare. Valete.

5) *De Sulzero, viro variis casibus agitato, ex vico Interlaken oriundo, Buceri discipulo, et paululum lutheranizante,*

98.

LIBERTETUS FARELLO.

Rogat ut sibi mittantur qui ecclesiis praefici possint. De rebus Genevensibus non desperandum.

(Ex autographo passim lacerato bibliothecae pastorum Neocomensium, fascic. epp. Cph. Fabri N. 9. Inscriptio adest nulla.)

S. Recepi binas ex te literas [*qui*]bus ex ordine non vacat respondere ob literas praefecti [1]) que[*m ra*]ptim exoravimus in gratiam fratrum ad regem nostrum, tum ob p[*raecipitem*] *Gaucherii* [2]) discessum. Cavebimus a peste illa quam nihil mi[*nus su*]spicati fuissemus. Gaudeo tamen nullas a me illi traditas literas, etsi urgeret me supra modum ut patronum agerem Meldunum [3]) pro obtinenda *Ioanna*. Rogo te, mi frater, ut quotquot istic reperies boni animi, mediocris doctrinae, huc ocyus mittas praecipuis praeficiendos ecclesiis, quas nisi mature occupaverimus, vereor ne inconsultis nobis offendiculis mox oppleantur, et lupis pro pastoribus. Quid adeo . . . . endum est in re tam seria? Sinite ingratos, qui regno Domini [*in*]digni fame ministros pellere conantur, quum gladio aut igne non audeant. Hoc dico quod pauci illis sufficiant, qui [*cunc*]ta utcunque ad tempus tueantur: nam brevi immutabuntur haec sinistra. Dominus tristitiam vestram in gaudium feliciter mutabit. Vale salutatis omnibus. Praefectus accepit proxime [*futu*]ram disputationem publicam Bernae adversus catabaptistas. [4]) Si diem nosti significato mihi. *Fru*ᵗᵘˢ et *Alexander* [5]) satis inconsulte, ut solent, Bernam ineunt. Moleste fero quod *Claudium* illic non offenderint. Vale, salutato *Calvino* et omnibus. Tononii raptim 4. Mart. 1538. [6])

Tuus Christoforus.

vide Ruchat, III. 91 V. 225. 345. Hundesh. p. 105, Hagenbach, Gesch. der ersten Basler Confession p. 90 et: die theol. Schule Basels p. 15. — Is tum temporis Basilea Bernam vocatus ibi per decennium ministerio functus est, usque dum propter suas opiniones anti-Zwinglianas rursus Basileam migrare coactus fuerit.

98. 1) *Io. Rud. Naegeli, supra N. 88.*

2) *Guilielmi Farelli fratris.*

3) *Moudon.* (*Ruchat, IV.* 454 *not.* 7.)

4) *Quae habita est* 11. *Martii, Ruchat, V.* 88. *Ottii Annal. p.* 88.

5) *Froment et Alexandre tum temporis Tononii ministri, De Alexandro posthac saepius.*

6) *Quum siglum* 8 *parum distincte scriptum sit, alius quispiam temere in tergo posuit* 1536, *quod vel sola Calvini mentione redarguitur.*

99.

DU TILLET A CALVIN.

C'est uniquement par des motifs de conscience qu'il a quitté Genève et qu'il s'est séparé d'un ami qu'il ne cesse d'estimer. Il a peut-être eu tort de partir sans lui faire part d'avance de sa résolution, mais il en a agi ainsi de crainte de le fâcher. Du reste il persiste à reconnaître l'église dans laquelle il rentre, comme la vraie, et comme possédant le vrai baptême, malgré les abus qui peuvent s'y être introduits.

(Bibliothèque impériale. Fonds Baluze: aujourd'hui 2391, fol. 3 verso et suiv. Imprimé chez Crottet p. 29—49. A la fin de la copie on lit cette note: La precedente epistre ne peult [*put*] estre rendue a Espeville lequel en esté ensuivant fut par certaines menees chassé hors la ville ou il preschoit, parquoy il se retira a Basle et aiant faict voyage a Strasbourg de la escripvit a son compaignon la subsequente. — *La subsequente*, est la lettre de Calvin du 10. Juillet (N. 127).

Si ma retraicte en ce pais vous a causé grande fascherie, comme ie l'ay bien cogneu par vostre lettre du dernier de Ianvier, aussi n'en avois ie iamais moins pensé: estimant que la roupture de nostre conversation et familiarité acoustumee et principalement mon contrevenir au iugement vostre, ne pourroit ne vous engendrer point tel ennuy, mais que y eusse ie peu fere? Si estant par dela au sciour [1]) de plus de deux annees, ma conscience n'a iamais peu s'appaiser de ce que sans certaine vocation de Dieu, ie me estois retiré du lieu que ne devois delaisser sans commandement do Dieu (dont i'ay esté mis en langueur que avez veu, telle que pour les grandes et continuelles afflictions quo mon esperit en a eu, i'ay esté faict en tout ce temps la inutile a toutes choses) n'ay ie point deu penser que le Seigneur n'avoit agreable quo io continuasse ce que sans luy i'avois encommencé, et que ma faulte ne me seroit pardonnee tant que persevererois en icelle, et que pourtant il mo falloit retourner requerant pardon au Seigneur, et me presenter a luy pardeca pour estre prest a l'y servir en co qu'il luy plaira cy apres m'emploier? Certes, nulle chose de ce monde que i'aye eu a porter en tout ce temps la qui m'ait peu estre dure, ou pour la mutation de mon auparavant acoustumee forme de vivre, ou pour la destitution de puissance en biens et facultez terrienes (laquelle ie puis au vray dire m'avoir esté plus dure a cause d'autruy que a cause de moy) ne m'a esté moleste pour me mouvoir a m'en revenir, et mesmes, quand i'en eusse eu a porter sans comparaison plus que nostre Seigneur par sa bonté n'a voulu, si n'ay ie (graces a luy) iamais esté destitué de volunté ferme a les porter, qui qui me faict estimer qu'il m'en eust tousiours faict vaincre [2]) la molestie quand pour demourer pardela, ie n'eusse eu a combatre [3]) que cela: estant autrement en voie que i'eusse veu plaire au Seigneur que ie feusse, et que pourtant i'eusse eu repoz en luy. Car il m'a faict grace de cognoistre que c'est grand heur de porter la croix en le suivant: et que l'amertume d'icelle a qui le suit n'engendre que douleeur. Mais l'affliction de conscience fondee en la raison que i'ay devant dicte (par laquelle ainsi que ie puis voir nostre Seigneur m'a voulu advertir et corriger) m'a reduict a ce que i'ay faict, a quoy nulle autre chose ne m'eust peu mener. Pourtant la craincte estoit vaine qu'avez eu que cela feust procedé d'offense que m'eussiez faicte en la conversation qu'avons eu ensemble, oultre ce que aussi vous ne m'y avez point offensé. Et n'a esté besoing que par prudence ie vous aie mais bien vous moy supporté en cest endroict. Parquoy vous faictes beaucoup mieulx de vous confier que telle cause ne m'a point alienė ne estrangé de vous comme aussi vous en povez estre tout certain, et que mesmes ie ne suis pas alienė ne estrangé do vous pour m'estre retiré pardeca, entant qu'en Dieu ie pourré neantmoins garder union et amitié avec vous: ce que de tout mon cueur ie desire estre perpetuellement et espere que Dieu le nous donnera estre, encores que pour un temps nous aions en quelques choses iugement divers l'un de l'autre et que pour cela (possible) l'un donne a l'autre quelque [4]) occasion d'alienation et estrangement. Ie cuide que par l'affaire auquel vous m'estimiez conformé et resolu et par le propos duquel pour celle [5]) confirmation et resolution vous estimiez n'estre nullement possible me desmouvoir (laquelle estime vous dictes vous avoir causé admiration du faict de mon retour) vous entendez [6]) l'affaire de la parolle de Dieu et pureté de religion et le propoz de la suivre et tenir. Et si ainsi est, vous aviez l'estime de moy que ie desire quo vous gardiez encores, non pas que ie me sente l'avoir meritee si grande peult estre quo vous l'aviez conceue, car mon imperfection ne m'est pas du tout incogneue, si est ce toutesfois, graces a nostre Seigneur, que mon cueur a vrayement esté resolu de plusieurs choses que indubitablement il a cogneu estre de la parolle do Dieu et pureté de religion et a esté affectionné a les suivre et tenir, sans que i'aye demonstré en cela constance no fermeté autre que ie n'eusse et est encores mon cueur ainsi resolu

99. 1) sein *C.*

2) vaincre *om.* *C.*
3) rabatre *C.*
4) luy donne quelque *C.*
5) telle *C.*
6) etendes *C.*

et affectionné autant qu'il fut oncques et espere de Dieu qu'il le sera tousiours[7]) de plus en plus. Mais celle[8]) estime que vous aviez de moy ne vous eust causé admiration de mon retour si l'eussiez prins selon qu'il a esté faict, d'autant que a la verité il n'a esté faict pour[9]) chose qui contrarie selon que l'ay peu congnoistre a celle estime. Et ceste admiration me monstre que vous avez (pour tenir des choses resolues que ie ne puis approuver) iugement autre de mon retour que en tant que ma conscience peult iuger, il ne merite comme i'espere[10]) que quelque iour vous mesmes[11]) le congnoistrez. Si ne veulx ie pas pourtant nier que es circonstances du faict de mon retour, ie n'aie bien commis quelque faulte, comme en ce que rien ne vous en communiqué[12]) ne declaré ne aux autres qui sont avec vous, iusques apres la resolution prinse de le fere, et que vous en dissimulé les cogitations que ie commancé a en avoir environ deux mois auparavant que me departisse du lieu ou vous estes. Mais imperfection mienne[13]) en fut cause, c'est ascavoir la peur que i'avois de n'y proffiter rien et d'esmouvoir irritation et malcontentement entre nous: laquelle peur toutesfois[14]) ne me devoit retenir et empescher de fere ce qui estoit le plus honeste et meilleur de soy. Ce neantmoins ie pense que telles faultes commises es circonstances du principal faict seroient[15]) facilement pardonnees de vous si icelluy principal faict vous sembloit bon lequel ie souhaisteré tousiours que vous[16]) et les autres preniez bien, mais s'il ne peult estre prins equitablement d'aucuns, aussi ne sera il iamais en ce monde que tous prennent toutes choses ainsi qu'il appartient.

Des raisons que i'ay eu pour ce mien faict, si elles ne vous sont fort peremptoires et si vostre conscience se pense[17]) estre assez asseuree devant Dieu du contraire, certes ie vouldrois bien que mieulx ie vous les peusse expliquer, deduire et donner a entendre, de sorte que peussiez voir que ne devez penser estre ainsi asseuré, mais si ie ne le puis, il ne fault pas pourtant que pour suivre vostre iugement ie delaisse celluy de ma conscience et y contrevienne mesmement en ce qui est de mon faict. Car comme souvant par faulse persuasion et asseurance quelcun[18]) se peult persuader et penser estre asseuré devant Dieu d'une chose, combien que devant Dieu vrayement elle ne soit, ainsi nulle conscience ne se doibt asseurer devant Dieu de la seurté qu'un autre se y pense ou dict avoir, mais fault qu'elle se tienne a celle qu'elle mesmes a de Dieu. Vous scaviez qu'il est dict que *iustus fide sua vivet*, non pas *aliena*. Et des deux dont l'un a une persuasion et l'autre la contraire touchant un mesme faict, et neantmoins chascun d'eulx pretend que la sienne soit de Dieu, d'autant qu'il ne se peult fere que l'une et l'autre en soient, un chascun d'eulx se doibt bien en grande humilité et craincte examiner si par quelque preiudice qu'il se soit faict ou passion qui le possede il se tient point pour asseuré de ce qu'il ne devroit et qui est autrement qu'il ne iuge. Car ainsi qu'il fault que le iuste vive de sa foy, aussi a il bien a se donner garde qu'il n'estime en luy estre foy les persuasions qu'il se peult fere au contraire de ce qui est de Dieu ne le cuydant pas. Car Dieu ne donne pas a tous de voir en tous temps toutes choses selon qu'elles sont et l'ange de sathan se scait bien transfigurer en ange de lumiere. Ie ne parleré point autrement de la declaration que vous dictes avoir faict[19]) du bon droict de vostre cause et ne nieré que aucuns ne soient qui se pardonnent trop facilement et autres qui vouldroyent[20]) bien donner entrée a Iesus Christ par les voies ou il ne veult nullement cheminer. Mais il ne fault doubter aussi que aucuns ne soient qui quelquesfois pensent autruy se pardonner ou il ne le faict[21]) point et autres qui cuydent des voies n'estre point de Iesus Christ lesquelles ne laissent pourtant d'en estre. Ie ne respondré rien pareillement aux propoz touchans les personnages que scavez, sinon qu'il est bien vray que eulx et moy accordons ensemble en plusieurs choses esquelles de vostre part peult estre vous ne accorderiez pas avec nous pour le present. Mais si povez vous estre asseuré que pour cela il n'est point venu d'eulx que i'aie esté meu de m'en retourner.

Ie confesse que ie recognois pour eglises de Dieu celles ou ie suis retourné: mais qu'elles vous aient en execration, i'en suis en quelque doubte. Car si aucuns des membres d'icelles, mesmes de ceulx qui y tiennent les principaulx lieux, vous ont en execration et par vous imputer[22]) plusieurs choses calumnieusement, et autrement que la verité[23]) n'est, font que mesme tout le reste ou la

7) tousiours *om.* C.
8) telle C.
9) aucune C.
10) iusque C.
11) mesmes *om.* C.
12) en ai communiqué, *et plus bas,* ai dissimulé C. *Correction inutile. C'est le passé défini selon l'orthographe du temps.*
13) meme C.
14) toutesfois *om.* C.
15) soient C.
16) ie pensais fixé que tousiours vous C.
17) peult C.
18) que l'on C.
19) dictes du faict C.
20) veulent C.
21) fault C.
22) et vous imputent C.
23) autant que verité C.

13) *Si hic non falsis imaginibus et spectris luditur vir bonus, saltem gladiatores isti non a senatu missi esse poterant, contra ius gentium in clientes sociorum impetum ut facerent.*

14) *Gesta sunt haec diebus* 22. 23. 24. *Maii, in senatu, d.* 26. *coram plebe.*

15) *Art.* II. *et* IX.

quibus promptum erat tollere si quid scrupuli exortum esset.[16]) Verum aliud fuit *Cunzeni* nostri consilium. Nam clanculum illos submisit per insignem quendam proditorem cui nomen est Petro *Vandelio*,[17]) ne obscuris coniecturis putetis nos inniti. Perfidia eius hac in parte manu tenetur: solus enim cum *Sebastiano* descriptos habebat, et *Vandelius* ille apud multos gloriose in via effutivit, se venenum nobis letale ferre. Sane quo esset erga nos animo non potuit dissimulare: nam in conventu fratrum Nidonii habito sic loquutum accepimus: Deliberabat senatus ut Genevam concederem ad restituendos istos expulsos (sic enim ignominiose nuncupabat), sed potius abdicarim me ministerio et patria cesserim, quam ut illos iuvem a quibus scio me fuisse immaniter traductum. Haec est scilicet fides vobis et ecclesiae Christi solenniter data, cuius fallendae praereptam facultatem *Cunzeno* putabatis.[18]) Proinde nunc tandem experimento credite, non fuisse vanum timorem quo sic apud vos consternabamur, ut ecclesiae autoritate aegerrime fuerimus inducti ad ingrediendum hunc labyrinthum. Iam vero defuncti sumus. Iam vestro et piorum omnium iudicio videmur satisfecisse, utcunque nil effecerimus, nisi forte quod duplo aut triplo malum, quam antea, deterius recruduit: nam quum eiectis principio nobis Satan libidinose et illic et in tota Gallia triumpharet, accrevit tamen ex ista repulsa non mediocris praefidentia illi et eius membris. Incredibile est quam licentiose et insolenter omni vitiorum genere debacchentur illic impii, quam petulanter insultent Christi servis, quam ferociter evangelio illudant, quam importune modis omnibus insaniant: quae calamitas eo nobis acerbior esse debet, quod ut disciplina, quae illic mediocris nuper apparebat, cogebat acerrimos religionis nostrae adversarios dare Domino gloriam, ita furiosa ista omnium flagitiorum patrandorum licentia pro loci celebritate in summum evangelii ludibrium plus nimio erit spectabilis. Vae illi per quem tale scandalum excitatum est. Vae illis potius qui simul in scelestum hoc consilium conspirarunt. Bona pars, etsi nos incolumes stare cupiebat, quia tamen non poterat consequi quod appetebat, nisi exstincto veritatis lumine, non dubitavit ea mercede servire perversae cupiditati. *Cunzenus* quia nos evertere non poterat sine ecclesiae ruina, non dubitavit illam nobiscum trahere: ac nostram quidem aedificationem videtur diruisse, nos vero solidi in Domino consistimus ac melius etiam consistemus, ubi ipse cum tota impiorum natione corruet. Iam ecclesiam prorsus destitutam esse pastoribus praestiterit, quam a talibus proditoribus sub pastorum larva latitantibus occupari. Duo enim sunt qui locum nostrum invaserunt, quorum alter gardianus Franciscanorum[19]) quum esset inter evangelii exordia, hostiliter semper repugnavit, donec Christum aliquando in uxoris forma contemplatus est, quam simul atque habuit secum modis omnibus corrupit. In ipso monachatu vixerat foedissime et impurissime, et sine ulla non superstitione modo, sed superstitionis simulatione. Proinde ne videatur episcoporum ordine merito expugnandus, saepe clamat in suggestu non requiri episcopum a Paulo qui sine crimine fuerit, sed qui incipiat esse, ubi primum in eam dignitatem cooptatur. Ex quo nomen evangelio dedit ita se gessit, ut omnibus appareat pectus Dei timore atque adeo religione omni prorsus vacuum. Alter,[20]) quanquam est vaferrimus in tegendis vitiis, adeo tamen insigniter ac notabiliter vitiosus est, ut non nisi peregrinis imponat. Uterque vero quum sit indoctissimus nec ad dicendum modo sed etiam ad garriendum insulsissimus, ambo tamen insolentissime superbiunt. Nunc tertium illis adiunctum referunt scortationis nuper insimulatum, et iamiam convincendum, nisi paucorum favore elapsus esset e iudicio. Neque maiore dexteritate administrant officium, quam usurparunt. Eo enim se ingesserunt fratribus totius provinciae partim inconsultis partim reclamantibus, in eo quamvis potius personam[21]) prae se ferunt quam servorum Christi. Verum nihil nobis magis dolet, quam eorum tum inscitia, tum levitate, tum stoliditate, ministerium prostitui ac proiici. Nullus praeterit dies quo non manifeste alicuius errati, aut a viris, aut a mulieribus, interdum etiam a pueris notentur. Sed iam festinatione tabellarii epistola nobis de manibus excutitur. Valete, igitur, dilectissimi nobis et inprimis observandi fratres, seriisque nobiscum precibus Dominum appellate ut mature exsurgat.

Fratres amantissimi vestri
Farellus et Calvinus.

Obtestamur[22]) vos fratres, caveatis ne huius epistolae publicatio nobis sit fraudi. Familiarius

16) *Hic rem aliter narrare videtur quam ex textu instructionis* (117 *not.* 4) *factum fuisse collegeris. Cf. Roget* p. 105. *Vide tamen quae diximus de duplici textu eiusdem mandati Bernensis. Facile credideris articulos istos tum demum publicari debuisse quum exsulibus aditus ad senatum et populum patuisset ut se purgarent ipsi.*

17) *Petrus ille, minimus natu ex quatuor fratribus* (N. 83) *factionis anticalvinianae antesignanus.*

18) *Vide supra not.* 4.

19) *Iac. Bernard, qui iam a.* 1534 *Farelli et Frumenti collega fuerat, alioquin haud iniquo in Calvinum animo. Vide eius ep.* 6 *febr.* 1541.

20) *Hunc et tertium infra designatum Henricum de la Mare et Io. Morandum fuisse oportet.*

21) *Sana est lectio nec opus erat emendatione Simleri qui addidit:* mercenariorum. *Sensus est: quamvis aliam personam, (i. e. qualemcunque) quam personam servorum Christi.*

22) *Sequentia Calvini manu addita.*

enim in sinum vestrum quidvis deponimus quam promiscue simus narraturi. Vestrae igitur fidei haec secreto commissa memineritis.[23])

122.

CALVINUS VIRETO ET CORALDO.

Occasione oblata amicis scribit se ad Turicenses et Argentoratenses rerum nuper Genevae gestarum summam scripsisse. Qui quidem nondum responderunt, Bucerum vero de restituendis ecclesiarum intercessione exsulibus satagere compertum habet. Blaurerum ignominiose dimissum nunciat ideoque Coraldo etiam spem in Monbelgardensi ditione conditionem inveniendi praeclusam.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 106, fol. 14. Apographa varia exstant ibid. Cod. 111, fol. 7 v. Cod. 111, a. fol. 23 manu Ionvillaei. Archiv. Bern. Epp. T. VII. p. 244 et inde ap. Simler v. 44.)

Integerrimo fratri Petro Vireto Lausannensis ecclesiae ministro fidelissimo.

S. Quum hic iuvenis, qui literas nostras vobis redditurus est, in iisdem nobiscum aedibus ageret, nescivimus tamen ad vos discessurum, donec iam iter prope corriperet. Ob temporis ergo angustiam breviores erunt nostrae literae. Argentinensibus ac Tigurinis[1]) negotium nostrum per literas exposuimus. Quia nondum rescripserunt, necdum etiam certo indicare possumus quantum fidei obtinuerit apud eos nostrum testimonium. Quod nobis tamen conscientia coram Deo testatur esse verissimum. Nam omissis coniecturis, ea quae sub oculis hominum gesta erant simpliciter recitavimus. Aliunde tamen intelleximus quid Argentinenses habeant animi. Nam ante literas nostras acceptas *Bucerus* re audita *Grynaeum* obtestatus est, ne desinerent ecclesiae tentare extrema quaeque remedia, sed ita ardenter ut magnum nobis moerorem expresserit, qui illic[2]) exprimitur boni viri moeror. Ne tamen vos nimia spe erigamus putamus alio malo viam praeclusam esse. Nam eodem quos[3]) nos exemplo *Blaurerus* e ducatu Wirtembergensi exactus fuit levissimam ob causam summa cum ignominia.[4]) Nec passus est princeps se a *Sturmio* exorari, cui alioqui nihil non defert, ut testimonium illi redderet bene administratae functionis, quum tamen adversus eum nihil prorsus haberet. Quin etiam iusto illum stipendio contra omnem humanitatem fraudavit. Quod inter nos clanculum contineri oportet. Hinc coniicere potes, *Coralde*, hoc tempore non respiciendum tibi esse in comitatum, cui te hactenus destinabamus.[5]) Interim censemus expedire ut, quaecunque tibi iusta vocatio oblata fuerit, eam ne asperneris. Nos hic paulisper etiam exspectabimus quam viam Dominus nobis aperiet. Tibi autem, *Virete*, hoc *Grynaeus* significari iussit, *Gasparem* illum, qui ad *Conradum*[6]) applicuerat, levem esse hominem et malis artibus refertum. Quod facile potuit perspicere, quum aliquamdiu domi suae hospitem habuerit. Proinde admonendus erit tibi *Conradus*, ne quid ab eius imposturis damni accipiat. Scis *Grynaeum* non libenter notam inurere vel pessimis, tantum abest ut immerenti velit obtrectare. Itaque tametsi non erat admodum familiariter nobis ille notus, non dubitavimus tamen tali indicio freti pauca haec tibi indicare. Incredibile est quanto vestrarum literarum desiderio aestuamus, unde cognoscamus quid a discessu nostro acciderit. Valete fratres integerrimi et amicissimi. Dominus ad opus suum vos confirmet. Basil. 14. Iunii.[7])

Grynaeus utrumque peramanter salutat.

123.

FAREL AUX GENEVOIS.

Lettre pastorale. Considération des bienfaits que la Providence a accordés à leur ville par la réformation. Exhortation à la concorde et à la charité, envers les pauvres surtout, à l'égard de laquelle un généreux citoyen Claude Pate a donné autrefois un si bel exemple.

(Archives de Genève. Pieces historiques N. 1206. Sans suscription.)

---

23) *De tempore sic habe: d. 14. Iunii haec iam scripta erat, quod efficimus ex ea quae sequitur. Et non Bernae sed Basileae scriptam fuisse ex natura rerum sequi videtur, quum a Geneva reduces vix diu in illa priore urbe commoratos fuisse crediderimus.*

122. 1) *Vide praecedentem.*

2) nimis B. S.

3) *Sic autogr. Caeteri bene emendant:* quo.

4) *Causa nulla alia fuit ac ducis Ulrici et Erh. Schnepfii lutheranismus. Caeterum dimisso ignominia minime inflicta est, sed abiit bona cum pace (Seckendorf III.* 13) *sed in eo Noster non fallitur quod stipendio fraudatum dicit, quum saltem minus acceperit quam meritus fuerat. Pressel, p.* 437; *Keim, p.* 91; *Heyd, Herzog Ulrich III.* 181.

5) *Supra N.* 120, *not.* 6. *Coraldus Tononium ad Libertetum se recepit, deinde Orbam vocatus ubi ministerio fungeretur, ibi mense iam Octobre obiit.*

6) *De hoc Gaspare et Conrado nobis pro tempore non constat. Priorem fortasse aliquis cum eo conferendum statuerit de quo N.* 29, *not.* 9.

7) *Scripserat primum* M. *Nomen* Iunii *superscriptum.*

A mes treschers freres en nostre Seigneur qui sont en Geneve.

La grace paix et misericorde de Dieu nostre bon pere par nostre Seigneur Iesus son seul filz soit en vous en la vertu du sainct esprit qui pleinement aye son habitation en vous tellement que du tout soyes conduictz et gouvernes par luy. Freres treschers en nostre Seigneur: nous avons veu sentu et vrayement esperimente la tresgrande doulceur bonte et benignite de Dieu en sa visitation tant amiable par laquelle nous a retire de si grosses et profundes tenebres, faisant que tant de maleditions cessassent, nous tirant tant benignement au chemin lequel luy est agreable et la ou la chose estoit toute desesperee et quil sembloit ne se pourroit iamais fere si facilement, il a faict et trouve les moiens en sorte que de la facilite lon estoit esbayz comme si tost et si facilement la chose estoit faicte, et comme pourroit estre ainsy receue et avoir lieu, quant au contraire lon consideroit la repugnance et grosse contradition. Et affin que seulement ne me arreste au cours de la parolle au commencement et poursuite dicelle mais en aulcuns fruictz qui en sont venus comme de lordre qui par la grace de Dieu fust au commencement donne aux povres, quant Dieu touchea le cueur de ce bon personnaige Glaude *Pale* lequel non sans cause sus la fin de ses iours sentant ce que de present voyons en la povre ville, de tout son cueur prioit nostre Seigneur quil ne laissa la ville sans sa saincte parolle et que levangile nen fust oste, grandement nous admonestant de perceverer en l'administration de levangile. Ce quay pense despuis ces iours voyant la grosse desolation. Or mes freres consideres le temps lextremite de tout et la grande grace que Dieu feict pour aider aux povres. Tout defailloit, les biens estoient par tout a lentourt detenus, lextremite estoit grande et tout ce nempeschea: car tellement Dieu y ouvra par sondit serviteur qui iusques a la mort en loeuvre du Seigneur a este fidelle que par necessite combien quelle y fut grande personne des povres neut aultrement a suffrir. De present quant les biens sont pleinement dedans la ville, que tout en est plein, les revenus ne sont point petitz pour les povres, comme mieulx scaves que moy: dou vient tout cecy que tout est ainsy cheange et que lon est comme en ung aultre monde? O que de fois mes freres vous a este predict: cest le droit iugement de Dieu qui presentant si grande grace et misericorde quant vainement tout est receu et que la ou lon est serf inutile lon ne recourt a la misericorde de Dieu demandant son aide en tacheant de mieulx servir ce bon pere et mieulx garder ses sainctz commandemens, ainsy quil demande que croissions et abondions en toutes graces et biens et que ne regardions arriere. Car en marchant au chemin de nostre Seigneur il donne grace et faict abunder. Au contraire quant lon est remis et tardif il oste ce quil a donne et laisse le povre personnaige en grosse povrete tellement quil vad de pis en pis iusques a ostre du tout abisme comme le voyes devant voz yeulx. Et si Dieu ny secourt par sa grace plus grandement le verres. Reste, mes freres, pour lesquelz Iesus est mort, que de humilite de cueur en vous prosternant devant ce bon pere au nom de nostre Seigneur Iesus demandes mercy et misericorde. Ne cries ne contre cestuy ne contre laultre mais ung chascung contre soymesme et ung chascun sacuse devant Dieu comme estant digne de sa part de plus grande confusion. Et ainsy tous abattuz devant Dieu demandans son aide et secours tous le pries vouloir regarder en pitie sur vous et vous assister par sa grande puissance, vous secourir selon sa grande bonte et comme desires que le bon Dieu naye esgard a voz pechez pour en prendre vengeance mais seulement en pitie, gardes ne soies daultre affection envers ceulx que voyes ainsy faillir devant Dieu mais seulement regardes leurs faultes pour en avoir pitie en priant nostre Seigneur qui leur aide et face misericorde leur donnant son sainct esprit, et en toute doulceur les admonestant que toute detraction et mal parler des aultres soient loing de vous, et singulierement affection de vengeance, laquelle du tout soit loing de vous. Rompes voz cueurs et voz miserables custumes, que vostre cueur soit plein de charite envers tous, que vostre bouche ne die que bien et ne parle quen bien et charite des aultres, que la main ne serve quen bien. Ayes soubvenance questes a Dieu achettez de gros pris: pourquoy nestes point a vous, ne serves a vous ne a voz affections mais a Dieu seulement. Quel proufit repourtes vous quant en vostre cueur estez pleins de amartume de rancune hayne et malveillance: si aves dit tous les maulx de vostre prouchain, quant tout ce que luy pouves faire luy aves faict pour luy nuyre, quant tous les maulx sont venus sur luy, nest il faict a lymage de Dieu comme vous, estant homme commo vous? voire appelle pour estre vostre frere pour vivre en Iesus et regner avec vous? Combien vauldroit trop mieulx quen vraye charite et amour de Dieu laymant et procurant son bien, parlant de luy et a luy en son bien et proufit, vous emploians en tout tellement quen nostre Seigneur fussies ung, freres en nostre Seigneur vivans sainctement et purement. Treschers il faut avoir aultre affection et considerer laffection que le Seigneur a heu envers nous et de telle affection estre envers tous: sil leffaict en vient au salut du prouchain quel bien est ce et quelle ioye, quelle consolation: sil ne luy proufite, nous avons

faict ce qui est en nous comme le Seigneur a faict envers Iudas bien adverty quel il estoit et quel demeureroit, ne mesprisant point de suyvre ce bon saulveur et daller apres. Car y fault marcher apres luy et aprendre de luy ceste doulceur et nous humilier pour gaigner tous: par hayne mespris orgueil et aultre facon de fere ne proufiterons rien mais par bonne charite doulceur et benignite, nous extimans moindres que tous et a cause que tout cecy est a nous repugnant et que nous demandons tout le contraire ayans la mort en nous et la condempnation par nostre propre iniquite, en pleine fiance et asseurance quavons en Iesus qui est mort pour noz peschez prions et supplions de tout nostre cueur ce bon pere quil aye pitie de nous et que par son sainct espirit nous conduise a marcher en vraye charite et dilection et de suyvre pleinierement ce quil veult comme il a commande et quil nous envoye ce que nous est necessaire, qui tire tous a la lumiere de verite, faisant que tous cheminent purement comme enfans de Dieu, qui dechasse tout ce quest contre sa saincte parolle, faisant que luy seul de tous soit honnore et prise. Ie veus prie au nom de nostre Seigneur Iesus qui tant a endure pour nous que vous vous gardes de toute iniquite, ayans esgard a vous et aux vostres: lesquelz instruises en toute bonne doctrine sur tout quayes la crainte de Dieu continuellement devant voz yeulx. Craignes doffenser ce bon pere, evitez toutes dissolutions tant en faictz quen dictz, que tout soit en vous pur et nect. Le Seigneur Dieu plein de toute bonte puissance et sagesse vous gouverne tous et face que par son sainct espirit demandies tout ce que vous est bon et utile et quil le vous oultroye. Pries nostre Seigneur que le repost que luy a pleu nous donner ne nous empesche de riens a luy servir mais que tellement en usions que tout soit en service, soit que nous travaillons ou nous reposions comme appelles navoir aultre affere que regarder la saincte escripture, quen tout cela il soit servy comme il doibt estre de ses fidelles serviteurs. Le Seigneur nous assiste a tous et nous adresse comme appertient. De Basle ce xix. de Iuing 1538. [1])

Lentierement vostre en nostre Seigneur
Farel.

124.

CONTZENUS MYCONIO.

Concordia Turici sancita a Bernensibus libenter accepta est. Anabaptistae etiam turbas excitant. Farelli tragoedia Genevam adhuc commovet. Bullingeri laus.

123. 1) *Cl. Salomond dit Paste fut l'un des premiers adhérents de la réforme à Genève. (Herm. II.* 461. *III.* 51.)

(Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 153 olim Epp. B. 31, p. 331 autograph. — Simler vol. 45.)

Piissimo viro D. Osualdo Myconio Basiliensium antistiti dignissimo fratri suo in Domino diligendo.
B. [1])

S. Exspectavi ego in diem, *Myconi* dilecte, quo iterum diuturni silentii argueres. Fero autem pulchre iras tuas, qui te mihi sine peccato irascentem noverim. Habent autem res nostrae, dum scire vis, non admodum iniucunde. Habita namque per agrum nostrum fratrum censura, more quo hactenus bis singulis annis consuevimus, belle pacata putamus omnia. Praelecta sunt singulis classibus acta Tigurina, [2]) eaque diligenter interpretata et commendata fratribus. Illi rursum exosculati sunt religiosissime, gavisi optata concordia, non sine sanctissima gratiarum actione. Patres in senatu in gratiam redierunt mutuo, posita iam feliciter omni simultate qua prius minimo minus in diversa ruissent studia. Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi. Anabaptistarum vulgus usque dum perseverat, pagos et villas furtim ingiter pervagantes. [3]) Nescio an spem tranquillitatis ab hac Erinni mihi pollicear unquam, nisi semel funditus deleantur illi depopulatione publica qui hospitio fovent, et apud quos subinde latitant fuci illi. Dominus misereatur nostri. De *Farelli* tragoedia [4]) cicatrices subinde putrescunt pessimae. Idque inter Allobroges quibus via illius tantopere arridebat. Sunt qui hoc saxum adhuc volvent quotidie, veteres subinde alentes contentiones. Non interquiescent capita ista unquam, donec illis aures denegemus. Porro *Bullingeri* amicitiam non potero non canere tibi ovanter et gratanter plurimum. Scribit ad me epistolas haud quidem fucato pectore confictas, sed amicas sinceras et optatissimas, simul etiam mittens librum de sanctae scripturae autoritate a se editum, in argumentum inquiens perpetuae inter nos amicitiae. Haec ad te, *Myconi*, audenter et libenter, qui te mihi gratulabundum scio, si quibus amicis me auctum audieris, ut cuius animus nescio qua dulcedine iam olim prae caeteris quum arctior tum secretior habitus est semper. Faxit Deus optimus maximus ut foedere perpetuo ita stent pectora nostra. Vale in Domino. Bernae, d. 22. Iunii 1538. Saluta D. *Grynaeum* amanter.

Petrus Contzenus
tuus semper ex animo.

124. 1) Basileae.
2) *de concordia cum Lutheranis ineunda.*
3) *Ruchat,* V. 88 *seq.*
4) *Vides eum qui Calvini nomen tacet, vel pudore vel odio motus. Et fateri cogitur ex ira pacem non prodiisse.*

125.

BUCERUS REGINAE NAVARRAE.

Reginam laudat ab eximia eius pietate, simul cavere iubet ab iis qui religionem falsis dogmatibus sub libertatis specie evertere moliuntur. Commendat Baduellum.

(Ex autographo in Epp. Buceri vol. II. N. 112 in Archivis Thomanis Argentorati. — Simler vol. 45.)

Gratia et pax a Domino nostro Iesu Christo augeatur Celsitudini Tuae, Regina religiosa et pia. Quia T. C. priores meas literas [1]) tam benevole suscepit, animum sumpsi alteras adiicere. Gratulor vero tibi in primis animum istum tuum tam solide et firmiter christianum, quem vir optimus Abbas S. Martini [2]) apud Baduelum [3]) nostrum praedicavit. Nam significavit T. C. aversari toto pectore miseros illos et perniciosos simplicitatis evangelicae fermentatores, quos audimus religioni multorum in Galliis insidiari, garrientes nescio de qua renovatione hominis in qua iam nihil peccet, etiamsi Christum servatorem non confiteatur coram ista adultera generatione, imo in membris suis prodat, si carnem suam concupiscentiis et vitiis permittat, non crucifigat. Non miramur exsistere qui tam portentosa comminiscantur et aliis ingerant. Praedixit enim Dominus, fidem nostram talibus monstrificis spiritibus exercendam esse, nec istud insolens videri debet quod multi etiam ex optimis alioqui ingeniis istis portentis accedant. Perpauci enim veritatem Christi, ut oporteret, diligunt: efficacem igitur illis Dominus errorem et illusionem iure immittit. Et quam tepide quoque omnes illud precamur: ne inducas nos in tentationem! Difficilis est carni confessio Christi in hac prava et perversa natione: difficile est eam praestare vitae sanctimoniam et officiorum sedulitatem in proximum quam Dominus poscit: intolerabile iuxta est flagellum illud conscientiae, nos neglectus Christi, vitae impurioris et remissae in proximum beneficentiae arguentis. Si itaque animus sibi male conscius et reprehensione conscientiae commotus, non illico in Christum Dominum sese attollat, illico ingerit se Satanas et commentum aliquod offert, quo homines conentur conscientiae exagitationem a se excutere et tamen in sua pravitate perseverare. Aliis obtrudit, Christum non poscere tam periculosam nominis sui confessionem regnique sui curam: nec tantopere indignari si cupiditatibus quis plusculum indulgeat et proximum negligat. Aliis, causam religionis non pertinere ad privatos, et reliqua vitia facile condonari. Aliis cunctam Dei reverentiam eximit et iudicii eius exspectationem avertit. Aliis suadet se, quum Christum comprehenderint, iam nihil peccare, non ut vitent quae mala sunt, sed quum pessima quaeque admittant, ipsis tamen peccata et mala non esse. Nonnullos reducit ad priores abominationes, ecclesiae autoritatem praetexens. Ita innumerae sunt artes, innumera commenta, quibus Satan veram poenitentiae meditationem in Christo avertit. At quae portentosior quam eo homines adducere ut putent propter Christum sibi iam licere impie et flagitiose vivere, et sibi mala non esse propter quae ira Dei venit in caeteros. Pie igitur fecit T. C. quod administros huius furoris abominatur. Est multa apud omnes infirmitas, sed haec agnoscenda nobis est, et Christus orandus ut nos spiritu suo corroboret. Quamlibet misere vivamus, non est tamen desperandum, non remittenda fiducia in Christum, verum ita fidere Christo oportet, non qui in nobis quae perversa sunt approbet, sed qui a malis nos aliquando liberet. Evangelium quidem non est ingerendum quibuslibet: inquirere iubet Dominus, si quis dignus sit: sanctum proiici canibus et margaritas spargi porcis vetat. At ubi adseri eius gloria, ubi monendi docendique fratres sunt, atque iuvandi, hic testandum est nos credere Christum esse vitam et spem nostram. Si qua in re id minus praestamus, id confiteri Domino necesse est, et orare ut ipse nos faciat posthac attentiores et constantiores ad officium, ut ita cum fiducia redemptionis et auxilii eius exsistat in nobis perpetuus ad placita eius conatus et flagret studium. Istum agonem, hunc cursum scriptura ubique commendat. Ita sancti patres, prophetae, apostoli et decertarunt atque cucurrerunt ipsi, et sic decertandum currendumque esse nos docuerunt. Id nobis sacrae literae ubique testantur, quas si versarent simplici animo isti perniciosi infirmorum hominum demulctores, quam nullo negotio hanc rationem discerent vel ex solis evangelicis historiis et scriptis paulinis, ad quarum simplicissimam lectionem et assiduam, simul et continuas preces, utinam converterent se et dederent quicunque Christi aliquid consequuti

---

125. 1) *d.* 8. *Aprilis* 1537 *scriptas. — Has posteriores ideo recipimus quod de Libertinis agunt, tecto quidem nomine, sed ita ut ad illustrandam illius sectae, quacum et Calvino res fuit, historiam valeant. Vide prolegg. nostra T. VII. pag.* 20. *Beza, Vita C. ad a.* 1537. *Hist. eccles. I. p.* 49. *Calvin. ad eandem reginam* 28. *Apr.* 1545. *In aula Margaretae placita Libertinorum non plane reiecta fuisse, quamvis neque ipsa neque eius concionator Gerardus Roussel se in errores eorum abripi paterentur, non est quod dubitemus; neque Schmidtio nostro collegae doctissimo assentiri possumus, quum perhibet (G. Roussel, p.* 123*) Calvinum de Poquio et Quintino nimia dixisse, quos regina aperte fovebat.*

2) *Hist. eccles. I. p.* 64; *Prolegg. nostra VII. p.* 22.

3) *Claudius Baduel Nemausensis, iam pridem Reginae a Melanchtone commendatus (Corpus Ref.* II. 732*), per aliquod tempus Argentorati commoratus fuerat, unde hic Bucerus nostrum dicit. Patet ex hoc loco Baduellum nuper Bucero de Regina scripsisse.*

sunt: sic se facile contra istas et quascunque alias perversas doctrinas tuerentur.

Haec scripsi eo copiosius ad Tuam Celsitudinem quod sciam quo Christi studio flagras, te tua autoritate et sedulitate per te ipsam et per eos quos devinctos tibi in Domino habes effecturam, ut serventur ab isto exitioso dogmate multi et revocentur etiam ab eo si qui revocari queant. Verosimile enim est, te ignorare quam multi apud vos ista peste correpti sint. Et verendum est plures quotidie ea corripi, vel ea de causa quod quidam praepostere severi requirunt a quibuslibet ut a vulgatis caeremoniis et omni ecclesiae se commercio subducant, utque clarissime testentur se damnare omnia quae in ecclesiis geruntur. Nam quum ista homines, veritate nonnihil imbuti, praestare non possunt, nec ferre tamen possunt conscientiam negati Christi, admittunt istiusmodi remedia morbis ipsis multo perniciosiora, quum docendi essent, in omnibus illis publicis observationibus ea amplecti quae Christi sunt, et ad Christum omnia referre, ibique tantum damnare quod peccatur publice, ubi auditores sunt qui id cum . . . . . pietatis . . . . . .[4]) Sed ista longa disputatio est iugis lectio scripturarum, constans precatio displicere sibi ob suam ignaviam, animumque tamen non despondere, sed sperare semper a Christo meliora: haec quamlibet perturbatam et infirmam conscientiam facile expedient et in fide studioque Christi retinebunt. Periculum multarum praestantissimarum animarum, quas Christus in gente vestra ad se excitavit, movit me ut tam multis de hac re ad T. C. scriberem. Id tu, Regina sanctissima, oro boni consulas, occurrasque ubiubi possis hostibus religionis.

Baduelum nostrum C. T. diligentissime commendo, virum vere doctum, religiosum, et iudicio solido praeditum. Dicitur Pictavis esse munus enarrandi sacras literas, quod Rex christianissimus conferre solet: hoc munus utinam T. C. *Baduelo* nostro impetret. Tenet hebraea, est graece quoque et omnibus literis sic excultus, est praeterea sic leni et placido ingenio, studio prudenti, ut ad regnum Christi admodum utile foret talem virum illi loco praeficere. Clientis itaque tui tua benignitate, si quisquam alius, dignissimi memor eris mihique parces quod tua bonitate, scribens adeo multis, sum tam licenter abusus studio Christi et sanctorum in Galliis, qui per te in sana doctrina servari possunt, ac eripi etiam a malis suis dogmatis, id mihi permisi. Vale in Christo Domino, Regina sanctissima. Argentorati v. Iulii anno Christi M. D. XXXVIII.

Celsitudini Tuae
addictissimus servus
Aret. Felinus.

4) *voces dubiae* (cum fructu pietatis admittant?)

126.

BUCERUS [1]) CALVINO.

Ad plures Calvini respondet et suum de Genevensium rebus iudicium proponit. Ut ipse aut Farellus Genevam redire moliatur, iis autor non est. Potius Argentoratum se recipiat modestum sed utile ministerium suscepturus.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 113, fol. 54. — Edidit Beza Genev. p. 364, Laus. p. 14, Hanov. p. 15, Chouet p. 500, Amsterd. p. 228. Ex impresso descripsit Streuber in Epp. Grynaei p. 54. — Beza textus ab authentico passim discrepat, nos hunc sequuti illius varietatem selectam tantum notabimus.)

Gratia et pax. Ternis tuis literis haec tandem, vir et frater amantissime et colendissime, respondeo. Pium est votum fratrum Genevatium, et nostri sine officii praetermissione deesse voto illorum non possunt. Ea[2]) autem est nostrorum infirmitas, ut credant Bernates hic nihil negligere. Et mirum quam persuaserint sibi Bernates Genevae omnia recte habere. *Antonium* audio et *Morandum* et[3]) doctrina et sinceritate eximios haberi, qui haudquaquam dissimulaturi sunt si quid peccetur gravius a Genevensibus. Equidem nec scio quid agatur Genevae, nec quales homines isti duo sint. Verum dum non a vobis modo sed a nostris etiam hominibus didici, qui rerum modo Genevae potiuntur, eos a Christi studio alienos esse, tum in vos[4]) et disciplinam ecclesiae admisisse tam atrocia, valde vereor et merito, ut istis rempublicam gubernantibus religio et disciplina morum misere habeat. Qui enim non est cum Domino et cum eo colligit,[5]) is est contra eum et dispergit. Iam successoribus vestris rem tolerabilem esse depulsos pastores gregis dominici a grege suo tanta perversitate, tanta importunitate, documento est eos aut non intelligere quid sit esse pastorem gregis dominici, aut valde aversum a Christo animum habere. Sed quam tolerabile illis sit vos a grege Domini depulsos eo furore, nescio. Dominus donet illis hic[6]) sensum suum. Ut vero nunc res habent, nihil[7]) est quod de legatione illa nobis polliceri valeamus. Dominus pia illa pectora

126. 1) *Audacter huic non Grynaeo hanc tribuimus. Ex Argentorato scripta est, quo Calvinum invitat, a collega Capitonis et Sturmii. Somniavit Beza quum subscriptionem falsam de suo adderet. Etiam stilum Grynaei hic nemo sentiet attentius perlecta epistola. Denique quo tempore scriptam dicas, si Grynaei fuerit, nos quidem non assequimur.*

2) Ea autem . . . . recte habere. *Haec desunt in edd.*

3) ea *Edd.* — *Antonius de Marcourt et Io. Morandus nuper in locum Farelli et Calvini substituti fuerant.*

4) *Edd. add.* etiam.

5) non colligit *Edd.*

6) hic *om. Edd.*

7) non *Edd.*

servet et viam eis ostendat et expediat, qua ecclesia illa vere restituatur. Haec ad primas literas. Alterae nihil quam innocentis et vere pii adolescentis confessoris Domini commendationem in se continebant: cui ego adfui pro mea virili, et adero. Ipse puto scribet, sic enim statuit. Iam ad tertias. Post multam deliberationem huc devenimus, *Capito, Sturmius*, ego. Nisi luculente spes obiiciatur fructus alicuius maioris, quam ex otio tuo et simul eo negotio quod te Christo hic suscipere cupimus, adhuc censemus te debere ad nos venire. Parvus quidem hic numerus est eorum quibus servies: inter hos autem sunt in quibus multum fructus speres, tum etiam qui tua cura valde indigeant. Denique qualecunque ministerium hic sit, confidimus id non inutile fore ad illud ut opus Domini, quod Sabaudicis ecclesiis per tuum ministerium exhibitum est, in suam fidem et autoritatem restituatur. Id enim nunquam sine offensa Dei cogitaveris, [8]) te ministerio vel tantillo tempore subducere, dum ullus ministerii locus offeretur. Fac esse quod tua unius gravissima culpa res Christi sic labefactatae sint Genevae: non tamen pia erit eiusmodi poenitentia qua in ista ministrorum, qui idonei sunt, inopia tu istis dotibus non tibi sed ecclesiis ornatus oblatum ministerium repudies. Quod ad *Farellum* attinet, nos libere ei scriberemus, nobis videri nec ecclesiae nec tibi utile, te eo loci nunc agere ubi acceptum vulnus quotidie novis incisionibus exacerbaretur. Eas siquidem [9]) accepimus literas Berna, ut hoc tempore conventum nullum exspectari posse appareat. Nec audimus res melius habere Genevae, aut officium facere vestros successores. Iam metuo illis a iudicio gravissimo illo Domini ne, si scientes et prudentes desint officio in tanta ecclesiae afflictione, tradantur in sensum reprobum ut indies designent atrociora. Haec vero si eveniant, quod Dominus avertat, quid aliud erit te in ea vicinia [10]) constituere quam te iugi dedere carnificinae. Merito enim ista cuiusque sancti et pro domo Domini zelantis animum lancinant et excruciant summopere. Sed sit ut mitius agat cum illis Dominus, adhuc tamen nescio unde sperarem, non adhuc plus malorum exstiturum illic quam tu etiamnum ferendis [11]) sis. Adderemus, nolle nos detinere te nostro tam parvo ministeriolo, sed tantum in eo cupere [12]) spatium tibi dari, te plenius ab illo labore recreandi. [13])

8) cogitandum *Edd.*
9) Eas siquidem . . . . . apparent. *Haec in edd. non leguntur.*
10) in eo loco *Edd.*
11) ferendo *Edd.*
12) tantum te cupere *Edd.*
13) *Hic subsistit exemplar manu scriptum. Reliqua fortasse perierunt. Quum vero subscriptio a Beza addita ψευδώνυμος sit, patet eam iam olim defuisse.*

Haec sane apposita nunc quidem haberemus donec aliud tempus aliud consilium afferret. Vale in Domino, carissime *Calvine*, semper.

[*Grynaeus tuus.*]

127.

CALVIN A DU TILLET.

Il s'en remet à Jean Du Tillet, frère de Louis, pour informer celui-ci de ce qui a amené son exil, et se borne à dire quelques mots de sa position actuelle qui n'est rien moins qu'assurée. Nouvelles politiques. (Pour expliquer comment cette lettre ne tient aucun compte de la précédente de Du Tillet, nous renvoyons à la note placée en tête du N. 99.)

(Bibl. impériale. Fonds Baluze 2391, fol. 14. — Crottet p. 49. Bonnet lettres fr. Tome I. p. 8, trad. angl. T. I. p. 47.)

Monsieur i'espere que vous n'aurez prins si non en bien que *Iehan* [1]) est allé par devers vous sans mes lettres. Car il me faisoit mal de vous escripre aiant tant de a fere a vous communiquer que ne vous en touchasse une partie. D'autre part il m'estoit difficile de vous toucher a demy telz propoz, sans les vous declarer a plein. La declaration ne m'estoit pas impossible, mais ie craignois qu'elle ne vous feust gueres plaisante. Pourtant i'avois mieulx aymé m'en abstenir du tout, remettant la charge a *Iehan:* lequel comme ie pense s'en sera fidelement acquité. Si non qu'il ne vous aura peu bien descouvrir la source et l'origine du mal qui n'est pas cogneue a beaucoup. I'ay esté tant solicité par les deux de ceste ville, [2]) que pour les satisfere i'ay faict ici un voiage. Nous avons oultre nostre a fere despesché plusieurs matieres et diverses. [3]) Touchant de nous il a esté resolu qu'il sera [4]) expediant de fere encores une assemblée ou Zurich, Berne, Basle, ceste ville, Biel et quelcun [5]) dudict lieu [6]) se trouvera, ou il soit declaré que deuement et fidelement nous avons administré nostre charge apres en avoir cogneu diligemment, a fin que ce tesmoignage soit comme une sentence legitime pour fermer la bouche aux malings, et aussi en la confusion de ceulx qui ont osé entreprendre un tel

127. 1) *Voyez au N. 90.*
2) *Bucer et Capiton.*
3) *Cette phrase est omise par B. et C.*
4) qu'il y a *B. C.*
5) l'un *B. C.*
6) *Genève.*

acte. Par un mesme moien, ilz esperent que les schismes qui se pourroient dresser et desia ont commancé,[7]) seront amortis. Quand ie considere bien l'estat, la difficulté me semble surmonter tout ayde humain. Pourtant ie n'ay autre chose que de recommander l'issue au grand medecin, lequel seul y peult prouvoir et donner ordre. Les Bernois s'efforsent ou plustost persistent, tant qu'ilz peuvent de fere a croire que tout va bien. Mais il n'y a nul qui n'estime le contraire. Dieu par son iuste iugement vueille envoyer un tel bien sur la teste et la famille de ceulx qui se mocquent ainsi iniquement du desordre de son eglise et que cela vienne a leur correction, a fin qu'ilz apprennent d'avoir autre affection en choses de telle importance. Ie me retireré a Basle, attendant ce que le Seigneur vouldra fere de moy. Il ne tient pas a ceulx de ceste ville que ie ne suis leur hoste. Mais ilz ont assez de charge sans moy et ie pourré vivre quelque temps en me aidant de ce que m'avez laissé,[8]) avec une partie de mes livres. Cependant le Seigneur nous adressera. Ie crains sur toutes choses de rentrer en la charge dont ie suis delivré, reputant en quelles perplexitez i'ay esté du temps que ie y estois enveloppé. Car comme lors ie sentois la vocation de Dieu qui me tenoit lié, en laquelle ie me consolois, maintenant au contraire ie crains de le tenter si ie reprens un tel fardeau lequel i'ay cogneu m'estre importable. Il y a autres raisons lesquelles ie ne vous puis expliquer que de bouche: desquelles toutesfois ie ne puis contenter ceulx auxquelz i'ay a fere. Neantmoins i'espere[9]) que nostre Seigneur me conduira en ceste deliberation tant ambigue, d'autant que ie regarderé plus tost ce qu'il m'en monstrera que mon propre iugement, lequel me tirant au contraire oultre mesure, me doibt estre suspect. Il se remue pour le present un a fere de merveilleuse consequence, *nec sine conscientia Augusti et Caesaris*,[10]) lequel ie pense bien que Monsieur Firmius[11]) vous touchera, pourtant ie m'en deporte. Il y a grand doubte qu'on ne tente le gué, sans intention de proceder. Mais on cognoistra ce qu'il en est dedans deux mois. Apres m'estre humblement recommandé a vostre bonne grace ie prieré nostre Seigneur de vous conduire tellement en sa voie, que vous soiez sainct et incontaminé a son iour. De Strasbourg ce X[e] de Iuillet.

Vostre humble serviteur et entier amy
Charles d'espeville.

---

7) *v. N.* 121 *et Farel à C.* 14. *Oct. Kirchhofer, Farel* II. 18.

8) *En quittant Genève Du Tillet avoit laissé à C. une certaine somme. Celui-ci fut bientôt obligé de faire vendre ses livres.*

9) ie sçay *B.* ie sce *C.*

10) *Allusion à la trêve conclue pour dix ans le* 18. *juin* 1538, *entre François I*[er] *et Charles-Quint sous la médiation du pape Paul* III *et à l'attente d'une paix générale sur laquelle les Protestants fondaient de grandes espérances pour la réforme de l'Eglise. Ranke, deutsche Gesch.* 3[e] *éd. IV.* 95.

11) Firmin *B.C. Probablement il est ici question d'Ant. Firn pasteur à S. Thomas de Strasbourg, lequel en* 1523 *avait été le premier prêtre qui se soit marié et ait dit la messe en allemand.*

128.

TOSSANUS FARELLO.

Literae quas e Basilea accipere debuerat in itinere deperditae sunt. A Farello quid novi acciderit discere cupit. Ei et Calvino autor est ut Lausannae pedem figant aut alio in loco ditionis Bernensis. Lamblinus Bisuntinus misere ab hostibus evangelii necatus, verum non impune, ut sperare licet.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium.)

Guilielmo Farello fratri suo et amico colendissimo.

S. Scripseram *Grynaeo* et *Carolostadio*, per *Pignolum* nostrum, hominem negligentem, et referebat (arbitror) aliquid ad me literarum, sed pera ei suffurata est in reditu cum literis. Quod tu bonis illis viris significabis, rescribesque si quid habes quod mea referre putes, ut sciam. De Comite *Palatino*, an evangelium receperit,[1]) an *Blaurerus* certo domum redierit,[2]) et quid in causa sit, an principes et civitates Imperii sint in isto novo foedere Caesaris et Galli,[3]) quid speres de Gallia etc. Si fieri posset ulla ratione, vellem te et *Calvinum* redire, si non Genevam, saltem Losannam, aut alio in ditionem Bernensium, non tam ut illis inserviatis quam ut gratiores sitis ad annunciandum aliis posthac evangelium. Binas accepi hac septima[4]) literas ab his quos semel una invisimus, sed furiunt adversarii supra modum. Audio episcopum et primores urbis Bisuntinae coactos fuisse, ut redderent causas mortis *Lamblini*[5]) civibus. Sed nihil aliud

---

128. 1) *Fridericus Comes a.* 1538 *certis quibusdam ditionis suae oppidis ministros evangelicos vocandi veniam concessit. Struve, pfälz. K. H. p.* 25.

2) *scil. Constantiam, postquam a duce Ulrico dimissus fuit (N.* 122, *not.* 4.)

3) *De induciis inter Carolum et Franciscum factis vide ep. praecedentem (not.* 10.)

4) *sic.*

5) *De hoc martyre Bisuntino neque in libro Martyrum neque in Hist. eccl. quidquam memoriae proditum est. Persequutiones tamen tum temporis in illa urbe factas testatur ep. Bernensium ad Bisuntinos ap. Ruchat,* V. 145.

convictus est perpetrasse, quam quod habuit et legit domi evangelium, dixitque (puto) aliquando, oleum istud sacerdotum ad equos scabiosos quam ad homines aegrotos ungendos utilius esse. Nec admonitus est, ut recantaret aut poeniteret, si quid peccasset, sed hominem variis cruciatibus in vinculis affectum, et semimortuum pertraxerunt ad supplicium, nihil tale cogitantem, ut qui nullius mali facinoris sibi conscius esset. Caeterum quoniam hic pius vir proditionis accusatus fuit apud Caesarem, et nonnulli alii boni viri, Dominus *Dancey* (ut vocant) vir bonus et potens, in aulam Caesaris profectus est, quo suam, martyris, et aliorum quorundam innocentiam testetur, adversariorumque fraudem et iniquitatem prodat. Et audio iam canonicos aliquot delatores falsos et huius caedis primos autores urbem reliquisse. Potens est Dominus convertere principum animos, et illustrare cognitione verbi sui, ut tandem agnita veritate compescant furiosos istos homines quibus nihil tam est cordi, quam ut optimum quemque perdant et sanguinem innocentium effundant sine fine. Vale in Domino, et saluta mihi eosdem *Grynaeum* et *Carolostadium*, simul et fratres omnes Gallos.[6]). *Nicolaus*[7]) plurimum te salutat et una te per Christum obsecramus, ut significes nobis amice et familiariter, si putas nos posse tibi ulla in re gratificari, quem ex toto pectore amamus in Domino. Monbelgardi, 16. Iulii 38.

Tuus P. Tossanus.

Si quid exstat de istis induciis mitte ad me, nam *Pignolus* dicebat aliquid excudi ea de re quum istic esset, et sparsus hic est rumor Regem et Bernates necesse habere reddere Sabaudiam duci.

129.

FARELLUS ET CALVINUS VIRETO.

Viretum amicos Basileae invisere nuper pollicitum hortantur ne id faciat, quippe cui ex hoc itinere plus periculi et invidiae, quam sibi ipsis laetitiae conflatum iri videatur.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 106, fol. 15. Apographa habentur ibid. Cod. 196, fol. 85 manu Ionvillaei scriptum et aliud recentius Cod. 111, fol. 7 v. tum in Archiv. Bern. Ep. T. VII. p. 246 et inde ap. Simler vol. 45.)

Carissimo fratri Petro Vireto ministro Lausannensis ecclesiae.

S. Satis intelligis gratius nihil hoc praesertim tempore contingere ab hominibus nobis posse, vel solo tuo aspectu nedum aliquot dierum colloquio. Ac parum abfuit quin mihi istius laetitiae fruendae immodica cupiditas illuderet, ut te ad corripiendum mature iter potius cohortari studerem quam a suscepta sententia deducere. *Grynaeo* autem et *Farello* protinus in mentem venit quod res habet. Plurimum esse periculi ne plus invidiae tibi inde conflaretur[1]) quam voluptatis ad nos rediret. Quare obviam eundum, si qua liceret, censuerunt. Ego quoque monitus eorum sententiae accessi. Ergo, frater, hoc tibi communiter denunciamus, malle nos fructu colloquii tui alioqui optatissimo in praesentia carere quam te materiam offensionis hic tam alieno tempore ullis praebere, quos publici ecclesiae boni tibi esse propitios aut saltem non aperte infestos referat.[2]) Plura libebat sed quae nonnisi certo nuncio committenda erant. Vale. *Comitem*[3]) et *Iacobum* nobis plurimum saluta. Basileae 20. Iulii.

Farellus tuus. Calvinus tuus.

130.

CALVINUS THOMAE GRYNAEO.

Rogat ut arcam quandam variis rebus ad usum quotidianum necessariis refertam, quam ipsius frater apud Grynaeum Bernae deponendam curaverat, sibi quam primum fieri potuerit transmittat.

(Autographon exstat in Bibliotheca Erlangensi satis difficile lectu. Edita est mendose in Ch. Th. de Murrii Anmerk. über Hrn Lessings Laocoon 1769. Accepimus olim apographon a V. Cl. Aug. Ebrard in nostrum usum factum, sed postmodum cum authentico exemplari ipsi contulimus. Exstat aliud ap. Simlerum vol. 72 qui ex coniectura a. 1550 adscripsit. Sumpsisse se dicit ex autographo bibliothecae Trewianae, quae ubi terrarum exstiterit nescimus. Textus quidem ab Erlangensi multifariam discrepat, ita ut si Trewianum istud ipsum Erlangense fuerit saepissime false descriptum dicas oporteat.)

---

6) *Calvinum praeterit quem scilicet Argentorati pro tempore commorari resciverat.*

7) *N. de la Garenne.*

129. 1) *Apud Bernenses nimirum quibus Lausannensis ministri cum exsulibus commercium suspectum esse poterat. Quidquid sit, Viretus nihilominus Basileam venisse videtur. Certe Calvinus (Ep.* 1. *Mart.* 1541*) se cum Vireto aliquando simul ibi commoratum testatur, nec quando alias id fieri potuerit videmus.*

2) *Haec paulo obscurius dicta S. infeliciter sic corrigere praesumpsit:* quos publicae ecclesiae bono tibi *caett. Calvinus dicit e re ecclesiae esse certos quosdam Vireto propitios esse. Etiam quae mox sequuntur in apographo misere corrupta.*

3) *Beatus Comte, Caroli successor Lausannae, mense Ianuario* 1538 *in eius locum suffectus. Ruchat,* V. 94.

D. Thomae Grynaeo [1]) bonarum literarum professori eruditissimo

Bernae.

Salutem, integerrime et amicissime *Thoma*. Frater meus quem Genevae reliqueram [2]) mihi per literas indicavit se arcam unam istuc misisse ac iussisse apud te deponi, ut fide diligentiaque tua prima quaque occasione huc transmitteretur. Quum [3]) in ea inclusa sint quaedam quorum mihi quotidianus est usus, huc [4]) quam celerrime fieri possit deportatam optarim. Si quem ergo fidum nuncium nactus fueris, [5]) mihi quaeso significa an receperis et quam rationem habeas huc transmittendi. Quod si auriga contingeret, [6]) multo magis advehi protinus cupiam quam de ratione vecturae ultro citroque inter nos deliberari. [7]) Ego de fide tua securus, diligentiam studiumque tuum imploro, ne id quidem ipsum facturus, nisi illam ultra modum appetere cogeret carendi difficultas. Vix tibi in hac mea conditione industriam meam vicissim offerre audeo, quam tamen expositam esse [8]) tibi non dubitas. [9]) Vale, optime et [10]) animo meo dilectissime frater. Basileae, 20. Iulii. [11])

Calvinus [12]) tuus.

131.

CAPITO FARELLO.

Consolatur amicum exsulem quum eiectio ista ei ignominiosa non sit neque ecclesiae multum nocitura. Ministerium sine disciplina minus fructuosum. Bucerus maioribus negotiis obstrictus curae pastorali parum vacat, quam ipse pro virili suscipere conatur. Consilia et vota offert nuper Neocomum vocato ibique pristinum locum denuo occupaturo.

(Manu scripta non exstat. Legitur in collectione Bezana Ed. Genev. p. 7, Laus. p. 11, Hanov. p. 12, Chonet p. 5, Amst. p. 2.)

Gratiam et pacem. Eiectio ista ignominiosa non est, neque tantopere nocitura ecclesiae Domini ac nos formidabamus. Nam de vobis neque hostes existimati aliud praedicant, quam zelum ferventiorem. Peritiores vero rerum ecclesiasticarum, cernunt in causa fuisse totam cohortem ministrorum, evangelium docentium sine disciplina, imo nescientium, an disciplina sit in ecclesiam revocanda. Otiosam enim functionem quidam tueri malunt quam fructuosam, quidam licentiam pro Christi libertate induxerunt, quasi ab evangelio stent, quicunque iugum pontificium abiecerint. Aliqui vero, id est plerique omnes, animadvertentes rem Christi in dies abire in peius, optarent quidem restitutam autoritatem ministrorum, sed aut veram eius reparandae rationem ignorant, aut eam videntes desperant prorsus. Ex quo nostrae ecclesiae omnes ad unam sine disciplina sunt ecclesiis necessaria. In qua re, quid incommodi vobis, quid improbis ansae ad turbandos datum, in manibus habemus. Auditis enim, tyranni esse voluistis in liberam ecclesiam, voluistis novum pontificatum revocare, atque id genus contumeliarum repugnante animi iudicio in vos iactant seditiosi. Fratres autem quos putatis extrema vobis admolitos, nihil habent, quam quod de vehementia queruntur. Ah mi frater, velim scires, quo sudore hic volvam idem saxum. *Bucerus* est totus in publicis et amplis rebus tractandis summa animi contentione, respectat ad nostram ecclesiam tumultuanter, neque enim ei curae vacare poterit. Recte tamen praescribit nunc aliis: de qua re Domino gratiam habeo. Ego qui reputo mecum, qua in parte ecclesiae et quibus praesim, pastorem re ipsa agere nonnihil conor. [1]) At quantae procellae a symmystis et a senioribus in partem curarum vocatis! Nam semper existimant, ad nos nihil attinere, quid quisque agat, quasi nihil sit quod Christus ait, ovem centesimam aberrantem investigandam esse, et ea eius quaerendae ratio non sit, quam ibidem praescripsit Christus: Corripe inter te ipsum, adhibe testem admonitionis, dic ecclesiae, sit ut ethnicus etc. Devoranda sunt multa indigna, sed interim hoc solatii Dominus dedit, ut optimo symmysta [2]) stipatus sim, patientissimo audiendarum contumelia-

---

130. 1) *Simonis Grynaei ex fratre nepos eo tempore Bernae literas graecas et latinas docebat. Plura dabunt Adami* I. 191. *Hundeshagen, p.* 105.

2) reliqueramus *S.*

3) Verum . . . . sunt *S.*

4) Haec . . . . deportata optamus *S.*

5) fuerit . . . . receperit . . . . habeat *S.*

6) *Sic et Murrius legit neque est quod de lectione dubites. Ebrardus, vocem illam soloecismum ratus Calvino indignum, legendum esse coniecit:* erit paratus.

7) iterum me deliberare *S.*

8) *Murrius scripsit:* requisitam omnino dari. *S.:* requisitam dari omnino.

9) ne dubites *S.*

10) ex *S.*

11) *De anno* 1538 *dubitari nequit. Ebrardus annum* 1536 *praeferendum censuit, quo scil. Calvinus Farello ut Genevae maneret suadenti id se facturum pollicitus, ad tempus Basileam concesserit ut ibi fratri Antonio stationem quaereret. Quam Viri docti sententiam silentio praeterire noluimus, etsi calculum ei adiicere neutiquam possumus.*

12) *Autor catalogi codicum MSS. Erlangensium literaturae calvinianae minus assuetus, et forma peculiari literae C. deceptus, hanc epistolam ignoto viro Salvino tribuit.*

131. 1) *Ad aedem S. Petri iunioris.*

2) *Matth. Zellio. — Ipse frustra, invito magistratu, disciplinam aliquam ecclesiasticam instituere cum Bucero quaerebat. v. Röhrich,* II. 34 seqq.

rum. Deinde non successit infelicissime, et quos putabamus deploratissimos, eos invenimus obsequentissimos consiliis melioribus. Quid multis? Dominus videre dat, quid sit agere pastorem, et quantum praecipiti iudicio vehementiaque inconsulta abiiciendi ita pontificis nocuerimus. Nam fraenum prorsus excussit multitudo, quae assueta est et educata propemodum ad licentiam: quasi autoritatem pontificiorum frangendo, vim verbi, sacramentorum et totius ministerii evacuaremus. Nam clamant: Teneo satis evangelii, ipse scio legere: quorsum mihi tua opera? praedica volentibus audire, deferas eisdem optionem amplectendi quod velint: iustum erga me iudicium Domini, quo erudior, ad verbi Dei virtutem penitius inspiciendam, ad omnem ordinem Dei intelligendum. Ergo quia res difficilis reparatio disciplinae, et nostris ecclesiis insolens, invisa carni et sanguini, aut non animadversa, aut neglecta synergis, neque extra *Lutheri* ecclesiam una uspiam sit recte instituta, miraremur, quod vos duo semel tantam urbem reformare non potueritis? Sic in negotii difficultatem reiicere causam praestiterit, et ita solent fere vel mediocriter periti rerum ecclesiasticarum. Sunt tam crassa vitia in multis, ut iure boni offendantur: sed quum eos Deus vocatione atque officio dignatur, quid faciemus nos homunciones? Scimus quanti detrimenti ac damni sit vel simultatulam superesse in ecclesia: et experimur Satanam nihil aeque admoliri, quam ut ea late pertentet sanctissimos, quo pertrahantur in contentionem, vel specie promovendi evangelii. Docuit me id Christus meus experiundo munus pastorium. Neque dubito, quin sis expertus ampliora meis periculis. Vocatus es ad Neocomum[3]) ecclesiam primam tui ministerii. Sequaris Dominum, utut secus tibi sic debilitato gravissimis fluctibus videatur. Propone animo, cum populum unice commissum. Iuva alios sine offensione (quantum vales) bonorum: exemplo ecclesiae ac ministerii tui provocentur alii, ambobus defixus in Deum praesentem, qui ex praescripto suae vocationis ad aedificationem quemque vult agere, et videbis, mi frater, tantum successum, quantum sperare nullus potuisset. Dura patientia nobis opus est in hac dissolutione qua versamur: et animi vinciendi agglutinandique Christo rationibus caritatem redolentibus, quae temperamentum est ardentis animi, quum nos admonet iudicii sincerioris, ut quemque aestimemus ex eius affectu corrigendum. Vale.[4])

3) *Kirchhofer, Farel* II. 4. *Ruchat,* V. 86 *id mense Iulio factum esse tradunt.*

4) *Epistolam sub finem Iulii scriptam esse colligimus ex eo quod Farellum non per integrum bimestre Basileae commoratum fuisse constat quum Neocomum vocaretur, postquam initio Iunii eo devenerat; et quod eam Calvinus quarta Augusti Farello iam profecto transmisit. Vide proximam.*

132.

CALVINUS FARELLO.

Prima quaque occasione scribit. Amici proficiscentis festinationem apud Grynaeum excusavit. Genevae res in peius ruunt. Ipse sibi non novos labores sed quietem et oblivionem cupit. Argentoratenses ipsum invitum arcessere student. Etiam Basileae sollicitationes. Capitonis epistolam mittit.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 16 cuius exemplaria recentius descripta habes ibid. Cod. 111, fol. 8. Archiv. Bern. Epp. T. VII. p. 248 et Simler vol. 45. Anglice legitur ap. B. C. T. I. p. 49.)

G. Farello ministro Neocomensis ecclesiae fideli fratri carissimo.[1])

Gratia Domini tecum. Is qui equum reduxerat[2]) pollicitus fuerat se triduo post rediturum. Hunc quum elapsis quinque diebus exspectare desiissem coepi de reperiendo nuncio esse sollicitus. Non enim dubitabam quin, simul ac visum tibi foret aequo longius silentium, incuriae ac ignaviae imputares. Sed dum in ea sum cogitatione hic nuncius statim adfuit, qui biduo antequam demigraret indicavit mihi suum abitum.[3]) Ad literas tuas. Quoniam accuratam rusticitatis tuae deprecationem apud *Grynaeum* mihi imperabas obsequutus sum sedulo.[4]) Ubi ad prandium ventum est narravi *Grynaeo* me ex literis tuis perspexisse moram solitae tuae festinationi ex pluvia iniectam, quod[5]) lentius equitando recordatus esset te esse rusticum. Post et literas tuas legi et ex meo addidi quod ad seriam excusationem facere videbatur. Apud eum tantum abest ut purgatio necessaria fuerit, ut intempestivum[6]) tuam anxietatem lepide fuerit excepturus nisi negotia, quibus nunc totus submergitur, obstitissent. Quo tandem evasuri sint nostri successores[7]) ex primordiis coniecturam facio. Omnem pacis speciem[8]) quia iam sua intemperie abruperunt, hoc sibi optimum putabunt superesse ut probris laceratos publice privatimque invidiosis-

132. 1) *Farellus adscripsit:* 4. Aug. 1538.

2) *Neocomensis aliquis qui equum Basileam reduxit quo vectus F. Neocomum profectus fuerat. Vides hunc iam pridie Cal. Aug. aut a. d. III. Basileam venisse.*

3) your departure *(B. C.)*

4) *Farellus citius insalutato Grynaeo Basileam reliquisse videtur. Bonnet contra pro Grynaeo ipsum intelligit Calvinum, nempe Argentorati commorantem quo tempore F. Neocomum proficiscebatur. Verum quo pacto hoc rustici?*

5) whereupon *(B. C.) plane inverso rerum ordine.*

6) infectious. *(B. C.)*

7) *Cf. N.* 121 *not.* 19. 20 *et maxime Kampschulte* I. 334 *seqq.*

8) *S. emendandum putat:* spem, *sed fallitur.*

simos nos reddant. Nos vero, si intelligimus non nisi volente Domino eos maledicere, quorsum haec Domini voluntas spectet non dubitamus. Humiliemur ergo nisi Deo in humiliationem nostram tendenti velimus obluctari. Interim diem illius [9]) exspectemus. Cito enim marcescet corona superbiae temulentorum Ephraim. [10]) De me optarim quidem vos non ita laborare. [11]) A tuo discessu intentiore animo cogitare coepi ecquid statim evocari expediret. Dici non potest quam me discruciet hic timor, ne, qui e suo ingenio nos metientur quia male sibi sunt conscii, nos ex composito ad ulciscendas iniurias sedem invasisse idoneam arbitrati, ad nova certamina se componant neque conquiescant donec aliquid novarum turbarum ad nos convellendos excitarint. Si abfuero, non adeo facile irrepet suspicio. Nemo enim eousque malignus erit qui nos aliquid altius moliri reputet in tanta ista agendi simplicitate. Quod si huc nondum accedis, differamus tamen donec aut desperatus fuerit conventus [12]) ad quem semper adspirare insistunt Argentinenses, aut si impetratus fuerit exitu suo nos docuerit quid factu sit opus. Hoc inprimis te per nomen Domini obtestor, ne quid de me statuatis nisi paulo ante monito. Videbis ex literis *Buceri* quid iam sentiat. Et alia [13]) quaedam ad *Grynaeum* scripsit quibus legendis nondum data occasio. Suspicor tamen fortius etiamnum contendere ut me istuc referam. Quod facturus non sum nisi maior necessitas me commoverit. Quantum olfacere potui, is quem nosti [14]) per suas affinitates istic ambitiosissime viam ad munus concionandi sternere sibi conatus est. Excidunt enim interdum verba quae plus coniecturae praebent quam significationis praeferunt. Quia propediem me hinc abiturum sperabat, hortabatur ad suscipiendum quod sibi mox relinquerem. Nesciebat quid tecum actum foret. Et ego strenue dissimulabam. Annon inquit, in tanta multitudine pudet te silere? An nullum hic tibi vacuum templum foret? Respondi esse auditoria quoque domi nostrae, quae non male convenirent. Ille nihil volebat nisi publicum. Apud nos semel pransus voluit in contubernium *Grynaei* mea opera recipi. Nihil proderat excusatio quin pergeret importunius, donec *Grynaei* verbis improbitatem compescui. [15]) Equi domino satisfeci. Reliqua tua mandata exhausi. Salutat te quam amicissime *Grynaeus*, ac veniam suis negotiis dari precatur quod in praesentia non scribat. *Oporinus* quoque, *Stagneus*, *Talearis*, [16]) nam reliqui duo hinc moverunt. Dominus te conservet, ac conatus tuos prosperet spiritus sui virtute. [17]) Non invidebis mihi lectionem epistolae *Capitonis* quam ad te resignatam mitto. [18]) Literas *Buceri* utrasque, si videbitur remittes aut diligenter asservabis, si quis [19]) posthac erit usus. Saluta non ex tua comitate sed ex animo meo fratres omnes nostros, praecipue quos designari intelligis. Si tibi vis scribi fac ut nuncios abs te habeamus. Basileae, 4. Augusti 1538.

Calvinus tuus.

Legi [20]) postea *Buceri* literas, ubi diligenter cavendum monet ne simul coniungamur, quia futurum suspicatur [21]) ut mutuo alter alterum impellat quo uterque inclinat plus satis. Quin etiam optat ut eo concedam ne crebris rumoribus ingenium hoc irritabile conturbetur.

9) diem illius *habet autographum*. Cod. 111 deum illis: *et sic qui eum sequuntur*. *B. C.:* let us wait upon God.

10) *Iesai*. 28, 1.

11) *Novum aliquid munus eo tempore minime ambibat, v. Kampschulte, p.* 320 *et Coraldi Ep. hoc ipso mense scriptam. (N.* 138.*)*

12) *de quo ipse nuper ad Tilletum d.* 10. *Iulii.*

13) *Neutra exstat.*

14) *Haec obscurius dicta nos fugiunt.*

15) *Bern. et S.:* compescuit *quod evidenter falsum sic reddit Anglus:* until Grynee restrained his forwardness by checking him aloud.

133.

FAREL AUX GENEVOIS.

Il leur fait part du retour de Calvin de son voyage de Strasbourg, et de sa propre nomination à Neuchâtel, où il a été demandé par tout le monde. Conseils et voeux adressés aux Genevois.

(Archives de Genève. Pièces historiques N. 1206. Copie contemporaine.)

La grace paix et misericorde de Dieu nostre bon pere par le seul saulveur et redempteur Iesus son seul filz nostre Seigneur en la vertu du saiuct esprit habitant en vous soit sur vous tous. Treschers freres. Ie croy que par nostre bon frere *Guerin* [1])

16) *Du Tailly vir nobili loco natus, qui propter evangelium Gallia relicta Genevam petierat, et ad quem exstat Calvini epistola d.* 28. *Iul.* 1540.

17) *Cod.* 111 *Bern. et S.:* conservet ac tueatur. *Reliqua quum sic commodum sensum non praebeant, S. coniicit scribendum:* tuos prosperet spiritus sua virtute. *Anglus:* may your soul prosper in the strength of his own spirit.

18) *Proxime praecedentem innuit.*

19) *Iidem:* si quidem (*angl.* as).

20) Read, *imperativo modo! (B. C.)*

21) since it may be suspected *(iidem).*

133. 1) Et y avoit un bonnetier nomme maistre Iehan Guerin scavant ès escriptures sainctes de bonne vie et conversation qui enseignoit et preschoit par les maisons secretement *(Froment). Ayant distribué la cène d'après le rite réformé il fut obligé de quitter Genève. Plus tard il devint prédicateur à Neuchâtel. (Spon, hist. de Genève I.* 221.*)*

aves estez advertis de tout, de la revenue de *Calvin* de Strasbourg et aussy comment il ma fallu icy venir ainsy que grandement en ay este presse de tous. Car premierement deux des prescheurs vrais amateurs de Dieu estroictement me pressoient pour venir. Car mon intention estoit de reposer en actendant la grace de Dieu sans prendre aulcune charge sinon quil y eust tresevidente non seulement vocation mais contraincte de Dieu, et tant quil mestoit possible les priois quilz me laissassent en repost. Car trop mestoit desplaisante vostre desolation. Mais pour priere que ay fait ilz nont desistes mais tant ont sollicite dung couste et daultre que non seulement hont heu le consentement de la plus part des freres qui preschent, mais de tous tant conseil que commune sans aulcung discordant [2]) a grande requeste ay este prie et obteste de venir pour poursuyvre ce que nostre Seigneur par moy avoit commence [3]) et si les lettres estoyent icy les vous envoierois pour voir laffection de laquelle sont escriptes, mais on les retient a Basle pour les communicquer aux aultres freres et outre les lettres leur conseillier avec ung prescheur qui estoient esses pour me fere marcher plus que le pouvoir ne pourte et affin que non seulement parlassent a moy mais aussy aux aultres de la langue dalamagne, scavans bien que pour iceulx feroye beaucop: ilz avoient la langue et tous fusrent dadvis que ie vinse icy: a quoy ne fut possible de contredire et desirant que le frere *Calvin* vint aussy, grandement y ay travaille, mais y na semble expedient aux freres [4]) ains hont estez dadvis quil demeurast avec eulx. Ainsy suis venu icy par la grace de Dieu et ay trouve grosse amitie et consolation en tous et ung bon desir de vouloir suyvre la volunte de nostre Seigneur comme lont declaire en lassistance et honneur quon fait a la parolle de Dieu: sans ce ne pouvoyr porter ceste charge et ay esperance davoir plus de consolation en ceste eglise. Car si iay affection non point petite envers tous comme ceulx que nostre Seigneur ma donne de sa grace et que despuis mont estez grandement chiers, de leur couste ne sont sans affection et si par avant lhont declaire envers moy de present plus grandement le Seigneur donne succession et fruict comme nous esperons. Ce que vous ay voulu communiquer affin quen loues Dieu et le pries quil ait pitie de vous. Car il fault que toute vostre adresse soit en Dieu et quen toute diligence le pries iour et nuict et vous et les vostres petitz et grandz et pleut au Seigneur de vous tellement toucher le cueur quen pleurs et larmes et gemissementz avec iunes et ausmones prieres et oraisons vous iectissiez devant Dieu luy demandant mercy et misericorde quil ne veuille avoir esgard au peschez mespris et toutes choses commises contre sa saincte parolle, mais que pour lamour de Iesus qui est mort pour nous et pour lamour de son sainct evangille il vous face grace et misericorde, faisant que son sainct nom ne soit plus blaspheme, sa saincte doctrine aussy vitupere avec tous ceulx qui la veulent suyvre comme est de present. Car grandement suys asseure que sil de cueur invoques nostre Seigneur et en luy mectez toute vostre fiance vous sentires son aide et consolation, et le bon Dieu trouvera les moiens et les envoyera pour vous aider tellement que seres esmerveilles de laide de Dieu, et au contraire sil vous vous fiez en aultre que Dieu et ne vous retournes a luy, tomberes de confusion en plus grosse confusion, de quoy nostre Seigneur vous vueille garder et preserver, mais vous aide et assiste sellond sa tresgrande bonte et misericorde a la quelle vous recommande priant ce souvrain Seigneur vous avoir en sa garde et protection et surtout avancer sa saincte parolle. Tous ceulx qui ayment nostre Seigneur ont pitie de vous et ne doubte point quen leurs pieres nestez oblies. Ne failles donc de vostre couste affin que tous ensemble louons Dieu estant exaucez en la priere pour vous. Le Seigneur soit avec vous tous. De Neufchatel ce 7. daugst 1538.

Lentierement vostre et en nostre Seigneur
Guill. Farel.

2) Omnes pastores praeter unum exoptabant et tota plebs cum magistratu impensius rogabat. (*Farellus Calvino* 11. *Iun.* 1543.

3) *Farel était venu pour la première fois à N. en Décembre* 1529, *et dès le* 23 *du mois d'Octobre* 1530 *la messe y avait été abolie.*

4) *Voyez le post-scriptum de le précédente lettre.*

134.

FARELLUS CALVINO.

Quae per Perrinum de statu ecclesiae Genevensis tristissima accepit dolens perscribit. Calvinum Agathopolitanam ecclesiam suscipere cupit.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium Fascic. I. epp. Farell. N. 29.)

Ioanni Calvino quam carissimo Basileae.

S. Iam literas ad te dederam ante dies aliquot, et quum existimarem tibi redditas ad me redierunt, et A. *Perrinus* [1]) huc venit cum *Christophoro*

134. 1) *Amied (Ami) Perrin, qui tum temporis nondum a Calvini partibus defecerat, unus fuit e quatuor illis senatoribus, ideoque senatu pulsis, qui decretum de ministris exsilio multandis impugnaverant.*

una. O si audisses miseram ecclesiae sortem! omnia si singillatim contempleris membra et totum una corpus! Partem audiisse tantum plus quam horrendum est. De primatu iam contenditur nec minor erit uxorum quam virorum contentio. Iudaei[2]) misere habent, et quidquid dudum fuit, sed praesentia optime. Nemo non bonus est, quamvis nonnulla carnis teneatur infirmitate. Sed sunt ferenda quaecunque per eum[3]) fiunt, etiam deliberatissima homicidia. Quisquis non dixerit a vesano quovis effutita non esse verissime ut verbum Domini, pessimus est calumniator. Summa, morbus ita valet ut praeter letum nihil sperari liceat, nisi Dominus sua vi praesenti adsit. Hic ita edoctus est magistratus, ut praeter ipsum alius nemo de humanis vel hiscere audeat, neque ex divinis aliquid nisi iuxta praescriptum, non Dei, sed arbitrii hominum. Redditae nobis sunt literae per nuncium qui huc venit, quas erat Basileam allaturus, sed dum audit me hic esse, sententiam mutavit, quod mihi dolet: vellem enim ut ad te pertulisset. Fratres omnes propter Iesum Christum obtestantur, ut omnes, si corporis Christi membra sint, in hoc laborent erga Dominum ut ipsis succurratur: nam mors ipsis gratior est vita. Tamen sperant Dominum adiuturum. Aliud non cupiunt, quam in hoc laborari ut res in lucem producatur veniaturque in rem praesentem, sitque liberum omnibus audiri suumque afferre. Nos gravamur multis nostrumque ministerium traducitur multis falsis confictisque mendaciis. Ioannes Comes[4]) ille quem nosti summis viribus nos proscindebat, quod pecunias accepissemus et Lausannam venierimus, sed ludentes magistratum, Basileam ac Argentoratum adiverimus, quam fieri poterat laute maxime, viventes ut alii Epicurei. Alia taceo. Fratres interea pii summopere poscunt ut inducas in animum ecclesiam Agathopolitanam[5]) suscipere in qua poteris ecclesiae Christi servire ac tua prosequi studia. Si non timuissent hunc conatum frustra ab ipsis suscipiendum, iam egissent, imo peregissent ut honeste et sancte vocatus esses. Me premunt ut tuam ipsis indicem voluntatem, quam quaeso nobis notam facito. Pluribus tecum non agam: tantum tibi Christi causam commendo, ac piis omnibus ut aliqua sit disciplina. Nam omnia ruere video. Pestes loci disciplinae contraria proponunt: nihil habent a Domino, sed omnia ab hominibus, non quidem qui verbum Domini proponunt, sed qui gladium gestant. Vale bene. Saluta omnes, praecipue *Grynaeum*, *Myconium*, *Oporinum* cum Gallis. Salutant vos omnes, Thomas et alii fratres. Neocomi, 8. Augusti 1538.

Farellus tuus.

2) *Factionem aliquam civium innuere videtur scilicet sic ab adversariis appellatam.*

3) *Etiam sic antesignanum aliquem adversae partis traduci suspicamur, fortasse Ioh. Philippum capitaneum generalem, quo postea capitis damnato Calvinus a victrice factione Genevam revocatus fuit.*

4) *Plures viri gallicae nationis ea aetate hoc nomine cogniti fuere. Vide N.* 129 *not.* 3. *Fuit quidam Io. Le Comte de la Croix Stapulensis nobili genere natus Fabri et Briçonneti episcopi familiaris, inde ab a.* 1532 *V. D. M. in oppido Granson. Ruchat, III.* 132. *Verum hic nuper Farelli amicus. Atqui etiam Marcurtii de quo ille nunc iniquius sentiebat utpote de suo successore apud Genevenses.*

5) *Bonneville (Neustadt) ad lacum Biennensem ubi Farellus ipse* 1530 *reformationem praedicaverat. Ruchat, II* 272. 282.

135.

CALVINUS FARELLO.

Commendat Gallum quendam. Rogat ut Muloto prospiciat qui Monbelgardiae diutius stare non vult. Fortasse Sulzerus in eius locum substitui posset, qui Bernae muneri ad quod vocatus est impar videtur.

(Ex apographo saeculi superioris bibl. Genev. Cod. 111, fol. 9 coll. cum alio in Archiv. Bern. Epp. VII. p. 253 ex quo habuit Simlerus vol. 45. Exemplar antiquius non repertum est.)

Clarissimo fratri Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis ministro fideli.

Gratia Christi Domini tecum. Hic bonus vir sortem tibi suam melius narrabit quam literis complecti queam. Quia nulla hic offerebatur spes conditionis, consuluimus ut in eas partes se reciperet ubi ob linguae communionem aliquem sui usum praebeat. Visus est nobis probus ac simplex: quid haberet industriae non licuit perspicere. Paratus est subire quemlibet vivendi statum, modo proficere aliquantum in pietate possit. Hoc tibi commendationis loco fore spero. *Michael*[1]) ad *Laurentium* triduo postquam abierat scripsit: pro sua verecundia non ausus est mentem suam palam detegere, sed illum apud nos duos interpretem ac deprecatorem constituit, ut illinc eriperetur. Tantum taedium prae se fert, ut nulla spes sit retineri posse, nisi velimus perditum. Statim venit in mentem *Simon*,[2]) qui adhuc suspensus Bernae tenetur. Familiariter

135. 1) *Mulot, ludi magister Monbelgardiae. Cf. N.* 95 *et proxime sequentem.*

2) *Sulzerus de quo supra N.* 97 *not.* 5. *Mireris tamen hunc a Calvino, qui aetate Sulzero minor erat, iuvenem tantum non tironem dici, ut suspicio posset oriri de alio potius cogitandum esse. At de familiaritate Sulzeri et Tossani constat.*

notus est *Tossano*, nec dubito quin futurus sit idoneus. Offerebatur illi a Bernensibus ecclesiae unius regimen, sed imbecillitatis suae sibi conscius refugit, neque certe parem esse confido. Scribe igitur quam primum, annon placeat tibi consilium hoc quod mihi duplici nomine valde probatur. Nam ita occurreretur eorum stultitiae qui iuvenem non bene instructum et tantum non tyronem in ministerium intrudere volunt, et *Michael* in eam provinciam assumetur, ubi utilissimam operam hoc tempore navabit, neque schola Monsbelgardensis destituetur. Cupit tibi *Michael* esse propinquus quando utrique nostrum nondum potest. *Fortunatus*[3]) ad uxorem scribit: post diem quartum abire instituit. Tametsi enim Bernam scripsit ad *Conzenum* et *Erasmum*, responsi tamen exspectatione non impedietur quin viam corripiat. Interim rogat ut cures literas ad uxorem perferendas. Si quid ante eius discessum Argentorato afferatur,[4]) ad te transmittam. Huic pauperculo fratri videbis an ulla ratione prospici apud vos queat. Vale optime et amicissime frater. Saluta non vulgariter amicos omnes nostros. Basileae, 8. Aug.

Salutant te nostri contubernales.
Salutat te *Fortunatus*.

Calvinus tuus.

136.

CALVINUS FARELLO.

Argentoratenses etiam atque etiam instant ut ad ipsos concedat. Consilium illud ipsi potissimum eo nomine displicet quod Farellum non simul vocent. Cuius nepos Basileae peste exstinctus est. Mulotius adest mox munere se abdicaturus.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 17. Contulimus apographa Cod. 111, fol. 10. Archiv. Bern. Epp. T. VII. p. 255. Simleri vol. 45 quae omnia Saeculi XVIII. sunt. — Anglice exstat l. c. p. 53.

Optimo et amicissimo fratri meo Guillelmo Farello fideli Neocomensis ecclesiae ministro.[1])

Gratia Domini tecum. Dum saepius literas tuas relego, perspexi tandem stuporem meum, qui in nomine Ioannis *Comitis*[2]) hallucinari potuerim, quasi vero huic agendae fabulae quispiam fuerit tuo vicino aptior. Iam desino mirari. Non enim sine Helena haec erat illi contentio, sed bene Dominus consuluit ecclesiae[3]) dum non permisit ut eius lenociniis pelliceretur. Caetera in quibus impedior mihi quaeso explices, praecipue quod gallice de duobus ministris, sene ac iuvene, seorsum referebatur.[4]) Visus sum mihi nescio quid subolfacere quod ad *Petrum*[5]) pertineret. Sed pendet totum momentum a persona loquentis. De me etiamnum pergunt agere Argentinenses, ut ad se concedam. Apud *Grynaeum* validius insistunt neque tamen mihi affectum suum dissimulant. Mitto ad te postremas *Buceri* literas, quibus pro more suo id mihi suadere perseverat. *Firmius*[6]) plurimis rationibus contendit id ipsum expedire: quasdam accipio tanquam ex hominis ingenio. Aliae specie non carent. Quales sunt: nonnihil fore, si me adversarii nostri locum dicendi[7]) in ea ecclesia habere viderint quam coguntur, velint nolint, revereri: si ad conventum veniatur plus ponderis vocem meam habituram, atque instar praeiudicii fore, quod mihi ecclesia tanta ministerium detulerit. De integro tamen excusavi quia te adhibere non poteram.[8]) *Grynaeus*, quanquam verecundius, ne contubernii mei fastidio quidpiam agere videretur, consilii sui summam ostendebat in illorum sententiam inclinare. Si me in longum tempus alligare vellent, non esset difficilis deliberatio. Sed vides quid postulent. Tuam sententiam exspectabo. Ad te ne cito advolem[9]) magna ratione retineri videor. Sinent enim placide in opere Domini te pergere. Utrumque coniunctim non ferent.[10]) Vellem hic finem facere liceret, ne ex me audires quod tibi iniucundum fore scio. Sed non dubitabo indicare quid egerit Dominus, ei qui eius providentiae libenter parere et didicit et alios docet. Nepos tuus die sabbathi postremo peste correptus fuit. Comes eius et aurarius faber, qui Lugduni testimonium Christi evangelio reddidit, statim ad me detulerunt. Quia ad levandum capitis morbum catapotia sumpseram, non potui ipse adire. Omnia tamen et fideliter et diligenter quae ad corporis salutem pertinerent mox

3) *Andronicus Gallus inde ab a.* 1531 *V. D. M. in vico Bevais prope Boudry in finibus Neocomensium. Farelli fuit amicus eorumque literae mutuae ap. Herminjardum passim occurrunt.*

4) *de Calvino eo vocando.*

136. 1) *Farellus adscripsit:* 20. Aug. 1538.

2) *Idem ille citra dubium de quo Farellus N.* 134 *not.* 4. *Bonnet habet:* Comt John.

3) ecclesiae *in autographo (solo) bis scriptum.*

4) *Quae hic leguntur demonstrant epistolam aliquam Farelli intercidisse, ad quam alluditur.*

5) *Carolum?*

6) *V. Calvinum ad Tilletum* 10. *Iulii, supra N.* 127 *ubi etiam de conventu cuius mentio fit infra.*

7) *S. coni.* docendi *Anglus habet:* lecturing.

8) *Cod.* 111 *et reliqua apographa:* poterant, *quam pessimam lectionem sequitur B. C. Adhibere in consilium voluisset amicum.*

9) advolent 111 *etc.* To prevent them having immediate recourse to you, I leave them to suppose that I am detained *etc.*

10) *Vide supra N.* 132 *sub finem.*

curata sunt. Accersita est ad eius custodiam foemina quae et utramque calleret linguam et aliquando tali morbo laborantes custodierat. Illa quoque sibi generum adiunxit, quia non sufficiebat labori sola. *Grynaeus* cum saepius adiit. Ego etiam, quum primum per valetudinem licuit. Quum *Talearis* [11]) noster videret, me periculum non formidare, mecum illud participare voluit. Heri diu fuimus apud eum. Et quum iam exstarent certa mortis indicia, solatia adhibui animae magis quam carni apposita. Aliquantulum iam delirabat, neque tamen ita quin me revocarit in cubiculum, quo me ad preces pro se fundendas hortaretur. Audierat enim de orationis fructu disserentem. Hodie circiter horam quartam matutinam migravit ad Dominum. De socio eius qui eodem morbo afflictatur nondum possumus constituere. Visus est heri mihi indicia melioris spei prae se ferre. Vereor tamen ne haec nox illi obfuerit. Nam etsi cubiculo divisus erat, et suam ipse quoque custodem habebat, exaudivit tamen quid accidisset socio. Ego, ut spero, hodie revisam. Optimus ille faber, quoniam se permiscuerat, dimissus fuit a magistro. Ego cum mea commendatione dimisi Argentoratum, ut ei conditio illic reperiatur. De supellectile nepotis sic habe. Gener vetulae vestes omnes quae tamen pauculae sunt legatas sibi affirmat, sed nulla veri specie, quoniam non potuit nisi inter deliria quibus tota nocte laboravit. Ensem et indusium unum habet apud *Lupum*. Assem unum, quum in morbum incidit, non habuisse certo scio. Itaque impendi [12]) quidquid in viventis usum et mortui sepulturam necessarium fuit. Tantum vereor ne aliquid pecuniolae, quod superesse coniicio interceptum sit. Haec tibi curiose scribo quia referre duco ne quid ignores. *Lupus* eius hospes, qui mihi hoc mane ista renunciavit, de vestibus legatis fucum esse suspicatur. Est homo probus et qui sincere se gerit. Vale optime et integerrime frater. Basil. 20. Augusti festinanter.

Calvinus tuus.

Nostri te salutant, ac Michael *Mullotius* qui triduum hoc suffuratus est inter ferias suae scholae ad capiendum nobiscum consilium. Simul atque redierit denunciabit non ultra promissum spatium illic futurum. Tametsi post auditas postremas tuas literas *Grynaeus* se admoneri iusserat ubi primum nuncium essem nactus, nolui tamen eum interpellare hac parte diei.

11) *supra N.* 132 *not.* 16.
12) It was required to expend somewhat *etc. (B. C.)*

137.

LYCOSTHENES FARELLO.

Literae commendatitiae. Statum ecclesiae Augustanae exponit et vicissim de Farelli et Calvini rebus certiorem se reddi cupit.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. divers. fascic. 6. Magna pars chartae abscissa. Apographa Turicensia duo in Bibl. civic. B. 217, p. 84 et Simleri vol. 45 ex eodem exemplari mutilo descripta sunt.)

Eximia eruditione ac pietate ornato Guilielmo Farello Genevae [1]) primario ecclesiastae suo in Domino observando fratri.

S. P. Si amicitiam meam ex literarum officio metiaris, *Farelle* pientissime, pridem eius nuncium iure optimo mihi remittere potuisses. Atqui firmius illam inter nos coaluisse, atque in Christo arctius confirmatam spero, quam ut silentio quantumvis diuturno dissiliat. Neque opus esse puto taciturnitatem meam curiosius apud te excusare, quamvis vere possem, partim quod diu ubinam gentium egeris ignoravi, partim quod tot se in dies agglomerant negotia, ut quodnam primum in manus sumam subinde ambigam. Verum, si ita voles, culpam non in occupationes sed potius in meam reiicias ignaviam. Tu ergo scriptis tuis veternum excutias, ac amici vitia noveris, non oderis. Excitarunt nunc ad scribendum fratres qui [*ad vos transibant*], homines vere pii et vel hoc ipso digni qui ab optimis quibusque [*aestimentur*] et foveantur, ut nihil opus habeant prolixa commendatione [*Hos igitur*] commendatos habeas vel pietatis ergo. Concordia illa ipse etiam . . . . is passim obtinet, quam et ipse probarim, praesertim si ex animorum . . . . . . [*u*]t e perenni fonte manarit. Orandus itaque Christus ut vere [*in ips*]o uniamur, sine quo summe discordes sumus in ipsa etiam . . . . . . Huiusmodi autem dissidia Dominus aliquando immittit, ut per ea ad . . . . m provehat. De profectu ecclesiae vestrae vehementer gaudeo . . . . [*Nostra*] adhuc in herba est, ne quidquam eximium praedicare de ea [*videar*] . . vulgaria illa quae cum multis aliis habet communia quod videlicet [*multi*] tepidi, multi hypocritae, alii pietatem susque deque faciunt . . . . . [*audi*]tores tantum et non factores verbi, de quibus illud apostoli [*valet*]: semper discentes et nunquam ad veritatis cognitionem pervenientes . . . . . neque me ipsum quidem exemerim, nedum alios symmystas. Invenias . . . . [*manu*] aratro evangelico ad-

137. 1) *Nisi in subscriptione annum* 1538 *indicans ipse autor erraverit, se mire ignarum ostendit rerum in Helvetia eo anno gestarum.*

mota respectant: pauci pietatem ex animo [*colunt, paucio*] res se ipsos abnegant, paucissimi passi Christi vestigia insequuntur. Sunt tamen et in hac ecclesia aliquot pietatis vere studiosi, sed quorum, ut Christus praedixit, parvus est numerus. Habes ecclesiae nostrae delineamenta, ab externa quidem facie ducta, sed quae vere animi imaginem satis exprimunt, saltem repraesentant. Christus verbi sementem spiritu suo irriget atque foecundet, ut sincerum triticum facti in horreum Domini recondamur. Vale. Christus te ecclesiae suae incolumem conservet. *Calvinum* cum aliis symmystis salvum esse opto. Ecclesiae vestrae statum et conditionem quaeso olim ad me scribas. Iterum vale. Augustae Vindelicorum xx°. Augusti anno a Christo nato supra sesquimillesimum xxxviij°.

Ex animo tuus
Bonifacius Wolfhart sive mavis
Lycosthenes.[2]

2) *Buchenensis Francus ex agro Wirceburgensi, quondam Farelli collega quum hic Monbelgardiae evangelium praedicaret. Postea Argentorati, deinde Augustae fuit pastor.*

138.

CORALDUS CALVINO.

Gratulatur ei de conventu quem Argentoratenses in gratiam exsulum cogere meditantur. Ipse, quum prae oculorum infirmitate latere non possit Orbae ministerio fungitur, Calvinum approbat quod tale munus recusaverit. Nonnulla addit de ministris Genevensibus et Sonerio.

(Ex autographo bibl. Gothanae Cod. 404, fol. 791.)

Viro doctissimo ac fideli Christi ministro Ioanni Calvino

Basileae.

Gratia et pax per Iesum Christum. Quod scribis de Argentoratensibus qui conantur ut habeatur synodus, gaudemus plurimum, atque arbitramur illud fore in rem ecclesiae et promotionem evangelii. Et quemadmodum iucundum est nobis illud audire abs te, ita gratum erit illud coram experiri. Ideo nos cupimus, optamus et precamur ut pergant, et oramus Dominum ut bene fortunet conatus, detque felicem totius rei successum. Res est certe quam omnes communibus votis exoptare debemus, ut constituatur aliqua et certa et melior disciplina ecclesiastica. Idcirco te oramus ut eos provoces ad id efficiendum quod susceperunt. Consilium vero tuum et amicorum, qui ne te ministerio verbi ad tempus implices suadent, vehementer probo. Eramque omnino idem facturus, si licuisset mihi per oculorum aegritudinem, et abdidissem me in antrum aliquod ad certum tempus, donec cognovissem novam Dei vocationem. Sed quia fugere non potui aut latere, compulsus sum oculis orbus Orbanae ecclesiae inservire absente *Fortunato*.[1]) Itaque puto huc respexisse Dominum et animadvertisse (humano more loquor) quod essem servus fugitivus et hac caecitate velut catena quadam ferrea me vinxisse, qua me retineret ad suam ipsius, non ad meam voluntatem. Me miserum: dicere non possum quam mihi displiceam in hisce regionibus, adeo ut gratius mihi foret annunciare evangelium ubivis terrarum quam hic.[2]) Vi enim quadam secreta, quam satis explicare non possum, cogor haec dicere. De statu ecclesiarum nostrarum non est quod multis ad te scribamus. Genevae constituti sunt quatuor ministri *Morandus* et *Marcurtius* ut ad frequentiorem et celebriorem ecclesiae conventum concionentur, *Bernardus* vero et *Henricus* ut Gervasii aedi, quam vocant, praesint. Senatus autem vult cogere *Sonerium* ad concionandum, ut hac ratione videatur subscribere in nostrum exsilium, et impietatem iudicum approbare, atque convicia et falsas sugillationes quas in nos mortuos quidam ex illis pro publica concione effutiunt. Cui si parere recusarit, exigetur nostro exemplo, sicque Gymnasium corruet, quod tantis sumptibus est erectum, videnturque in hoc incumbere ut ipsum demoliantur. Omitto alia de moribus corruptissimis et licentia peccandi ad te scribere ne quis putet me ex invidia dicere. (Certe, ut audivimus ex nonnullis civium Genevensium, nacti sunt viri illi pro suis meritis egregios palpones.)[3]) Dominus avertat furorem suum ab eis mentesque eorum illuminet. Saluta *Gryneum* meo nomine, *Miconium* et *Carolstadium*, Gallos item nobiles et studiosos qui tecum agunt. Vale. Orbae, 26. Augusti.[4])

Tuus Coraldus.

138. 1) *Cf. N.* 135 *note* 3. — *Orbam non ita pridem vocatus adierat (N.* 122*), et quidem ut videtur tantum pro tempore alteri suffectus.*

2) *Orbae Bernates et Friburgenses condominium exercebant, qua de causa ecclesia nondum omni ex parte reformata erat et demum a.* 1554 *sacra vetera cessaverunt. (Ruchat,* VI. 70 *seqq. Mémoires de Pierrefleur, sur les commencements de la réf. dans la ville d'Orbe. Laus.* 1856.*)*

3) *quae in parenthesi ponimus margini inscripta sunt.*

4) *Quum Calvinus Basileae sit et ipse Coraldus proximo mense Octobre mortuus, de anno dubitari nequit. Vide C. Farello* 24. *Oct.* 1538.

139.

DU TILLET A CALVIN.

Il a appris les évènements de Genève, et en prend occasion pour prier Calvin de bien examiner si de son côté il ne s'est engagé dans une fausse voie, et s'il ne s'est pas trompé à l'égard de sa vocation, ainsi qu'au sujet des reproches exagérés qu'il fait à l'église catholique. Quant à lui-même il se trouve moralement beaucoup plus tranquille que ce n'avait été le cas depuis longtemps. Il approuve le dessein de Calvin de rester à l'écart et de ne point se mêler des controverses assez violentes déjà qui agitent le monde religieux, et lui offre telle somme d'argent dont il aurait besoin.

(Bibliothèque impériale. Fonds Baluze 2391, fol. 15. — Crottet p. 52 suiv. — Le manuscrit contient, a la fin de la lettre la note suivante: *Espeville s'estant arresté à Strasbourg et y aiant prins charge d'administrer une eglise y receut la precedente lettre a laquelle il fit ceste response.* Suit la lettre N. 147.)

Ie ne receu voz lettres du x^e^ de Iuillet iusques au xix^e^ d'Aoust parce que le porteur d'icelles fut malade et arresté sur le chemin par quatre sepmaines pour se fere penser. I'avois bien sceu auparavant la venue de *Iehan*, les accidens qui vous estoient survenuz, combien que i'en eu encores plus ample declaration par luy. Au reste il me fut assez qu'il me tesmoignast de vostre bonne disposition vous aiant veu au passer par Basle, encores qu'il ne m'apportast de voz lettres. I'estime bien que les choses qui vous sont advenues ont esté traictees et poursuivies par mauvaise affection de personnes qui tendent plus aux fins de ce monde qu'ilz n'ont consideration de Dieu. Mais (ce que vous supply ne prendre que bien) ie croy que vous avez plus a considerer de vostre part si nostre Seigneur ne vous veult point advertir par la de penser s'il y a rien eu a reprendre en vostre administration et de vous humilier envers luy et le requerir en crainte et tremeur [1]) de cueur fidele qu'il luy plaise que vous le puissiez comprendre. Car il nous peult bien souvent advenir que nous ne comprenions pas des faultes que nous faisons mesmes fort grandes et lourdes et ce qui nous semble souvantesfois estre le meilleur et tant certain que rien plus a nostre opinion et iugement est plainement contre la verité de Dieu et le iugement de son esperit quelque belle couleur et apparence que nous nous soions proposez au contraire on la prenant mesmes sur la parolle et verité de Dieu, tant pour n'entendre pas bien icelle parolle que pour en fere des illations qui ne s'en ensuivent point. Et cela devons nous tant plus doubter nous advenir que plus nous nous sentons aymer et estre ayses que nous soions quelque chose, ce que nostre perverse et corrumpue nature de soy-mesmes ne peult ne point convoicter si non d'autant qu'elle est mortifiée par l'esperit de Dieu.

Si vous me demandez que ie die en quoy ie iuge qu'il y ait eu faulte en vostre administration ie ne vous en puis dire pour ceste heure autrement en particulier, si non que comme ie doubte que vous y eussiez iuste vocation [2]) de Dieu, n'y aiant esté appellé que des hommes auxquelz Dieu n'en eust baillé la charge et lesquelz vous en ont tout ainsi debouté comme ilz vous y avoient receu par leur seule authorité, d'autre part ie suis tout asseuré que vous mainteniez une extremité a n'estimer eglises de Dieu celles ou vous avez receu le commancement de vostre Chrestianté et l'advancement qu'avez eu en icelle par l'espace de plus de quinze ans, et condamniez [3]) en icelles eglises des choses par soy non condamnables et desquelles infinies personnes usent en bien et au gré de Dieu avec zele et science de Dieu en aians bon tesmoignage de l'esperit en leurs consciences. Ce que ie ne ditz point pour approuver aussi le mal et abuz que plusieurs y commettent par leur superstition ou mauvais usage, pervertissans en leur endroict ce qui est de soy sainct et bon. Combien que neantmoins il appartienne au Chrestian [4]) d'estimer d'autruy tousiours en bien s'il est de profession Chrestiane comme luy, quand il ne le voit estre apertement mauvais, et de prendre en bonne part tout ce qu'il faict en choses qui de soy peuvent estre bien ou mal faictes selon le bon ou mauvais cueur dont elles sont faictes, si non que avec ce il cognoisse par autre oeuvre manifestement mauvaise que son cueur est pervers et denué de Dieu. Ce que ie ditz n'est pas pour entrer en dispute avec vous, mais est seulement pour vous donner occasion de vous examiner vous mesmes [5]) et penser en ces choses plus avant que par advanture vous n'avez encores faict selon que ie desire vostre bien et salut autant que le mien, et que par ce moien les grans dons et graces que nostre Seigneur vous a eslargi soient droictement emploiees a sa gloire et au salut de ses eleuz et vous soient pour ceste cause tousiours de plus en plus augmentees. C'est une chose dont on a bien a se garder que de se confier trop a son iugement et d'estre trop soubdain, ou a mettre sus et affermer opinions non acoustumees, ou a condamner et reiecter les acoustumees, mesmement en

139. 1) treuver *C.*

2) vostre vocation *C.*
3) condamner *C.*
4) christianisme *C.*
5) vous mesmes *om. C.*

ce qui concerne la religion et pieté, pourtant qu'il est plus pernitieux de faillir en cecy qu'en autre chose quelconque. Et comme il est certain que l'homme spirituel iuge et discerne toutes choses qui n'est qu'en ce seulement qu'il a l'esperit de Dieu, aussi il ne fault pas doubter qu'un chascun de nous n'est pas encores du tout spirituel et qu'il y a plusieurs endroictz ou il est bien charnel, ce que mesmes souvantesfois en aucuns endroictz il n'entend pas luymesmes pour un temps, dont vient ce que i'ay dict que quelques fois l'homme pense iuger le plus spirituellement, et neantmoins il s'escarte treslourdement suivant la suggestion de celluy qui se scait bien transfigurer en ange de lumiere. Car nostre concupiscence souvant nous incite a mespriser ou mesmes delaisser ce qui est de nostre propre estat et de la vocation que nous avons de Dieu, et a vouloir comprendre ce qui oultrepasse la capacité qu'il nous donne, et nous immiscer de ce qui ne touche rien a celluy nostre vray estat et vocation. Et communement nostre Seigneur punist l'oultrecuidance de ceulx qui se efforsent a cela par tel escartement, et les permect tumber en mille perplexitez. Davantage s'il y a en nous quelques commancemens de l'esperit de Dieu nous ne devons pas estimer que soions seulz qui en aions, ou que nous en aions plus que tous les autres. Car nostre Seigneur ne meet pas tellement tous ses dons en personne quelconque qu'il n'en departisse aux autres, et n'y a eu que Christ qui en ait eu sans mesure duquel et par lequel un chascun en recoit sa portion. Et mesmes il advient souvant qu'il fault que ceulx qui ont le plus de graces recognoissent que les plus imbecilles et plus petis ont en aucunes choses le plus de l'esperit de Dieu et les peuvent mieulx et plus vrayement iuger et decider. Pourtant comme il fault bien qu'un chascun de nous soit suspect a soymesmes et contienne son iugement en grande crainte humilité envers Dieu pour ne prononcer et iuger trop temerairement des choses de Dieu, mesmement en ce qu'elles ne concernent sa vocation, aussi il nous fault bien garder de reiecter inconsiderement et legerement le iugement des autres, encores que de prime face il soit bien contraire au nostre. Mais devons estre soingneux de l'escouter et entendre si nous povons entant qu'il nous est necessaire pour nostre instruction d'y penser et l'examiner et de ne condamner rien de ce que avec telle crainte et moderation nous ne pourrons pas clairement comprendre estre certainement contre Dieu. Et s'il nous est quelquefois advenu d'avoir faict autrement et que nostre Seigneur nous humilie et vienne a nous donner cognoissance de nostre faulte, il nous fault estre prompts a recognoistre et confesser avec Daniel nostre confusion et nous adresser a la misericorde et propitiation du Seigneur. Bien nous doibt fascher d'estre tumbez en telle faulte, mais non pas de la confesser et amander en tant que besoing est.

Dieu mercis depuis que me suis retiré en ce pais cy, plus ie vays en advant et plus ie recognois combien de moymesmes ne suis rien, et combien i'ay esté escarté et sans repoz l'espace de prez trois ans et demy[6]) pour avoir transporté mon esperit hors de ce qui appartenoit a la vocation que ie avois de Dieu et avoir faict entreprinse sans luy. Il est vray que encores ne me sens ie point du tout dehors de ces troubles et angoisses d'esperit que i'ay souffertz, mais i'ay confiance en la grace et misericorde de nostre Seigneur que comme il m'en a depuis un an beaucoup retiré et garanti, aussi a heure opportune et salutaire pour moy ie m'en trouveré du tout despetré. Ie desirerois fort que de vostre part il feust possible que vous retirissiez par deca et que nostre Seigneur nous en eust baillé et ouvert le moien et a vous aussi, mais si cela ne se peult encores fere ie loue et prise beaucoup vostre deliberation de vous arrester pour le present a Basle sans vous immiscer d'autre chose, en attendant que nostre Seigneur vous monstrera vrayement ou vous devrez tendre. Ie vous pry tant qu'il m'est possible que ainsi vous le faciez, et vous conteniez[7]) tant que pourrez de plus aigrir les contentions qui sont auiourduy soit par livres publiez, ou autrement. Car j'espere que par le temps vous penserez, plus que n'avez peult estre encores faict, en beaucoup de choses ou il est besoing de penser, et qu'en invocant nostre Seigneur vous viendrez a en cognoistre chose qui vous sera utile tant pour vous que pour les autres. Mais quand on a quelquefois esté prompt de decider d'une chose en une part et d'en publier sa decision il est plus fascheux apres et plus difficile, pour le preiudice qu'on s'est faict, si la verité est au contraire, de la comprendre et n'y a celluy de nous qui naturellement ne soit bien aise de couvrir et dissimuler sa faulte, ce qui engendre et nourrist souvantesfois grandes contentions et conduit[8]) a finale ruine, non seulement ceulx qui les premiers ont failli, mais plusieurs autres qui se sont mis a les ensuivre.

Il n'est possible que vous ne soiez denué d'argent sans lequel vous ne pourriez vivre la en ceste sorte: mais vous ne devrez laisser pour cela. Car quand vous ne recevrez rien d'ailleurs que de moy si vous le voulez, Dieu aidant ie fourniré assez a toute vostre necessité. Combien que pour le present

6) *Cette notice ne fait pas tout à fait le compte établi par d'autres données, Du Tillet et Calvin devant avoir quitté la France dès avant la fin de 1534.*
7) reteniez *C.*
8) renduit *C.*

ie n'aie maniement d'aucun argent, vivant seulement en la maison de mon frere,[9]) ou ce dont i'ay a fere et que ie demande m'est donné: mais ce nonobstant ie trouveré bien le moien de vous en fournir. Ie ne vous en envoie point pour le présent, parce que ne m'en oserois fier en ce porteur, mais si en voulez prendre cependant de quelcun par dela, comme aisement on vous en prestera, et me le mander[10]) par le libraire *Resch*,[11]) ie mettré incontinant entre ses mains tout ce que vous vouldrez et n'aiez peur de m'estre charge tant que vous tiendrez la quoy, en attendant que nostre Seigneur vous adresse.

Ie serois bien fort aise que touchant l'afere qui se remue, ainsi que i'ay esté adverti par monsieur du Ferme oultre ce que m'en escripvez et dont Auguste et Caesar sont participans, il se poust entreprendre traicter et conduire a fin quelque bonne chose, ce que tous doivent esperer qui y marcheront de bon pied, et pourtant un chascun qui y aura moien y devra tacher de sa part en la plus saine conscience[12]) qu'il pourra, sachant que nostre Seigneur qui tient les cueurs des Rois et empereurs[13]) en sa main et les tourne ou il luy plaist, peult bien ouvrer quand il luy plaist et aux Empereurs et aux Rois et aux autres personnes quelzconques et qu'il ne veult pas telles entreprises estre faictes pour neant.

I'espere que nous aurons de voz nouvelles par *Resch*. Excusez moy si ie vous ay osé escripre ce que dessus. Car comme voz lettres m'en ont donné occasion, aussi povez vous estre asseuré que ie ne l'ay faict si non pour l'amitié et bonne volunté que ie vous porte et porteré tousiours en nostre Seigneur, lequel, apres vous avoir faict mes humbles et affectueuses recommandations, ie supply vous avoir en sa saincte garde et vous donner toutes les consolations et accroissemens de ses graces qui vous sont necessaires. De Paris ce vii[e] de septembre.

Celluy qui desire vous estre perpetuellement frere et amy en Christ.

De Haultmont.

9) *Ce frère qu'il ne faut pas confondre avec celui qui avait vu Calvin à Bâle, était greffier au parlement de Paris.*
10) demander *C.*
11) Reschie *C.* — *Ce libraire doit avoir été établi à Bâle, et non à Strasbourg, comme le suppose Crottet, car Du Tillet adresse sa lettre à Bâle.*
12) *C. ajoute:* de sa part.
13) et empereurs *om. C.*

140.

CALVINUS FARELLO.

Basilea festinantius relicta ut vel literas Farello destinatas secum asportarit, iam Argentorati prima vice concionatus est nec sine applausu. Interea Bucerus cum Genevensibus indefesse de restitutione agere pergit, de qua tamen desperandum, quum ut male se egisse fateatur nemo unquam a se impetraturus sit. Apud Metenses evangelium simul ab hostibus vexatur et ab Anabaptistis corrumpitur.

(Manu scripta non exstat. Legitur in ed. Bezae Gen. p. 282, Laus. p. 15, Han. p. 17, Chouet p. 387, Amst. p. 177. — Anglice l. c. Tom. I. p. 56 ubi Bt. incaute fontem suum Cod. Gen. 106 indicat.

Gratia tibi et pax a Domino frater animo meo dilectissime.

Ita tumultuarie Basilea me proripui, ut quas ad te literas relicturum me promiseram, inter innumeras cerebri mei tricas mecum abstulerim. Neque iam res ulla prae manibus scriptione digna erat. Triduo postquam appuli, non defuit nuncius, et erat iam oblatum nonnihil argumenti. Sed quod timebam ne literas periculose committerem, malui hucusque differre. N.[1]) suo more rescripsisse, non infitiatus est *Bucerus*. Nam hoc unum causatus est cur mihi non recitaret, quia nollet mihi frustra stomachum movere. Hinc collige quantum amarulentiae fuerit, quod ille iudicavit[2]) pro sua prudentia non posse a me sine graviori offensione transmitti. S. interim placidam eius comitatem depraedicat. Spem enim ducit, posse nobis et ipsum et Senatores, qui infesti hactenus fuerunt, nobis reconciliari, si priores benevolentiam literis declaremus. Quod ut est perquam ridiculum, *Bucerus* pro nihilo habuit. Finge id sperari posse. Unde tamen inciperemus? An nos quasi offensionis autores illos mitigare studebimus? Atque ut non detrectemus id quoque, quis erit offensarum purgandarum tenendus modus? Ego vero neque ita emendatum iri praeterita, neque in posterum rite provisum iri censeo. Siquidem, ut coram Deo et eius populo fateamur, imperitia, socordia, negligentia, errore nostro factum ex parte esse, ut ecclesia nobis commissa tam misere collapsa sit: ex officio tamen nostro est, innocentiam puritatemque nostram asserere adversus eos, quorum fraude, malignitate, improbi-

140. 1) *Quod Beza hic suppressit nomen Genevensis alicuius fuisse debet quocum de Calvino restituendo egerat Bucerus, sed frustra et invidiose repulsus. Infra alium producit S. aeque densa nube velatum.*
2) indicavit *Gen.*

tate, nequitia, eiusmodi ruina procurata fuit. Libenter ergo apud Deum et pios omnes fatebor, dignam fuisse nostram tum inscitiam tum incuriam, quae tali exemplo castigaretur: culpa nostra corruisse miseram illam ecclesiam, nunquam sum concessurus. Longe enim aliter sumus nobis conscii in Dei conspectu. Neque enim quisquam hominum est, qui nobis ullam culpae portiunculam transscribere queat. Iam in futurum quis non videat ludibrio nos expositum hac ratione iri? Nemo enim non protinus clamaret, nihil probri nos recusare, modo restitueremur.[3]) Sed Dominus, ut spero, meliorem viam aperiet. Neque enim scribere desiit *Bucerus:* cuius autoritas contemni ab illis non poterit: contemni autem apparebit, nisi tandem aliquid ei concedant. Haec porro illi est spes ultima, ut si conventum non impetrabit, usque ad ver proximum, vel tunc saltem remedium inveniat. Et forte ita expedire Dominus providet, quo interim melius omnia maturescant. Concionem habui die dominico:[4]) quae ut omnium fratrum elogiis fuerat apud plebem commendata, multos habuit vel auditores, vel spectatores. In animo est fratribus, si videbunt aliquam ecclesiolae faciem exstare, coenae quoque ministerium concedere. Quum apud Mediomatrices[5]) omnia religioni infesta forent, et Senatu in eius excidium coniurato, et adnitentibus[6]) furiose sacrificis, illuc quoque faex Anabaptistarum ad excitanda nova offendicula penetravit. Duo in Mosellam praecipitati, tertius exsilio cum stigmatis ignominia mulctatus. Quantum assequi potui coniectura, tonsor ille et comes *Hermanni*[7]) unus eorum fuit. Vereor ne lues ista late inter simpliciores grassata sit ea in urbe. Dominus te reliquosque servos suos sibi conservet, opusque suum per manus vestras fortunet. Eos omnes mihi saluta. Nominatim *Thomam* et alios qui tecum mihi hospites fuerunt.[8])

Calvinus tuus.

---

3) restitueretur *Gen.*

4) *De grege gallico cuius primus pastor fuit C. vide Roehrich II.* 66. *Cuius numerum sesquimillenarium fuisse dicunt. Primis temporibus conventus habebantur in aedibus S. Nicolai in undis, postea in sacrario s. choro templi Praedicatorum s. Dominicanorum, nuper telis igneis hostium cum deplorata nostra bibliotheca foede deleti.*

5) *De initiis evangelii apud Mediomatrices (Metz) v. Lambertum Avenionensem in Ep. dedicatoria Commentario in Micheam praemissa Arg.* 1525. *Hist. eccl. III.* 431. *Meurisse, hist. de la naissance de l'hérésie dans la ville de Metz.* 1670. *Herminj.* II. 179. 484.

6) admittentibus *Gen.*

7) *Hermannus Leodiensis Anabaptista quocum Genevae mense Martio* 1537 *disputatio habita est.*

8) *Mense Septembre Calvinum Basilea relicta Argentoratum devenisse inter omnes constat (Kampschulte p.* 320, *Stachelin p.* 166, *Roehrich II.* 67, *Ruchat V.* 86), *sed diem definire nemo ausus est. Ex epistola ad Farellum mense Octobre scripta (N.* 149, *not.* 10) *nihil certi colligi posse, suo loco demonstrabimus. Vide tamen an alia quam proponemus via res expediri queat. Haec ep. ad F. et sequens Buceri, ni omnia nos fallunt, per eundem nuncium missae sunt. Iam Buceri d.* 11. *Sept. scripta est, Calvini ergo eidem fere tempori assignanda. Ipse vero hic dicit se die dominico, proxime antecedente puta, concionem habuisse. Qui fuerat* 8. *Sept. Triduo postquam appulit non defuit nuncius per quem scriberet sed maluit hucusque differre. Haec adventum ipsum in primos mensis dies reiicere videntur.*

141.

BUCERUS FARELLO.

Gratias ei habet quod Calvinum Argentoralensibus concesserit, cui aliam stationem destinaverat. Hortatur ne nimiis suspicionibus se abripi patiatur, utque silere discat et in tritico paleas ferre.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 113, fol. 62.)

Fidelissimo servo Domini Iesu Christi Guil. Farello pastori Neocomensi suo in Domino fratri colendissimo.

Gratia et pax a Domino nostro Iesu Christo, *Farelle* amantissime et cum primis colende. Habemus tibi magnas gratias qui nobis concessisti *Calvinum.* Videbatur profecto animus eius ex accepto vulnere imbecillior quam ut cottidiana illa iacula[1]) sustineret. Nec apparebat nobis eum tantum istic[2]) quantum hic, hac quidem tempestate, regno Christi commodaturus, quanquam in paucis illi hic laborandum sit. Laborant enim alii, alii vero tentantur morbo haereseos, qui hic gallice tantum loquuntur. Scripsi[3]) iterum prolixe Bernam, spero non frustra. Interim te valde oro, primum ut bene iudices quae ad te de fratribus deferuntur. Nosti illud: in ore duorum aut trium, et: omnis homo mendax. Deinde tu ipse quoque eas modo admitte suspiciones quas admittat caritas. Tum cogita ut sancti alioqui viri graviter nonnunquam desipiunt, τοῖς πάθεσι ἐξελκόμενοι. Ante omnia vero considera illud quod Dominus vos in suo ministerio, et quasi sub eodem imperio, in tanta quoque vicinia coniunxit. Quos autem Deus coniunxit, homo ne separet: sed si qua ratione laesa sit coniunctio, det quisque operam ut id sarciatur. Si sileamus, Domino et ecclesiae Christi nostra omnia impenderimus. Dominus aderit nobis. Illa D. Augustini, ut tritico ferendae paleae sunt, legisti et tenes. Etiam dum aedificare

---

141. 1) *vox dubia. In sequentibus lapsus calami.*

2) *Agathopoli puta, v. N.* 134, *not.* 5.

3) *Quae sequuntur obscurius dicta. Crederes haec quoque ad Calvini vocationem pertinere vel ad synodum cogendam. Vide tamen annon simpliciter Farellum monere dicendus sit de iudicio circa Genevenses ferendo minus severo.*

instituimus, nonnunquam destruimus. Dominus adsit tibi, roboret te patientia. Spero fore ut aliquando conveniamus et omnia pulchre componamus. Interim Dominus te tranquillet in omnibus. Argent. 11. Sept.

M. Bucerus.

Capito te plurimum salutat.

142.

FARELLUS CALVINO.

Commendat aliquem fratrem. Caspar et Isnardus Geneva pulsi. Quos qui exagitavit Morandus ipse ministerium moribus suis foedat. Genevae omnia susque deque. Cura pauperum decoctori credita. Collegium fere eversum. Omnia ruere videntur.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. I. N. 37.)

Ioanni Calvino pio carissimo fratri Argentorati.

S. Quod petit frater non est ut multis explicem ac commendem: satis ipse ages apud fratres etiam non rogatus, quum id res poscat vel nemine hortante. Omnes graviter ferimus te tam procul abesse tuoque hic privari ministerio. Quod tam est nobis necessarium ut maxime. *Caspar* et *Isnardus* [1]) instantibus concionatoribus pulsi sunt Geneva: hic dum scribit in concione charta ipsi vi eripitur, ille dum post concionem amice convenit concionatorem. Furit *Morandus* qui a nobis *Comitem* [2]) abalienavit, unde apud *Conzenum* incendia, ut iam intelligo. Sed audi quam sint nobis fatales et ecclesiae Dei Sorbonici. Vir pius Gallia huc concessit ob verbum, ac cum eo uxor. Egit apud *Comitem* post decessum viri uxor, cui non satis conveniebat cum uxore *Comitis.* Abiit rursus cum *Morando* Genevam. Nuper deprehensus est insidens illius gremio, manus iniectas habens sinui, idque turpissime, sicut cum alterius uxore repertus fuerat. Orat ne id in deteriorem usurpent partem: esse hunc Galliae morem. Sic turpis concionator non tantum foedat ministerium, sed et Galliam suae turpitudinis notat. Alii itidem insaniunt in eos qui de se loquuntur. *Leporarius* vir optimus, cum uxore item pia, ablegatus fuit a cura pauperum: substitutus huic est *Magninus* decoctor, qui paternam substantiam non parvam, ac uxoris, et sororum uxoris consumpsit, adeo ut miseris elevet suae fidei commissas, ut scis de illa quam molitori iungebat, quod non probavimus. Non poterat scelestius agi cum pauperibus. Periit iam tota domus, collegium superest dimidiatum: nisi quod paulo plures habet rasus, quam alii qui sunt in collegio, de quo iam actum est evertendo, ac agitur in dies, nec cessabunt tum capita urbis tum qui sic pascuntur, non cives, quin omnia subvertant. Sciebat igitur ille optime consultum Genevatibus. Lupanaria erecta sunt. Catabaptistae quotidie suas habent conciones. Missae passim dicuntur. Omnia sunt inversa nec possent deterius habere. [3]) Concionatores tantum agunt de iis a quibus arguuntur. Ne haec poetae folium puta, quod nihil de illis audias, si locus aliquis esse posset ubi non audiatur tanta impuritas. Ruunt et aliae ecclesiae. Ira est Dei gravissima. Fratres omnes admonebis si qua possit consuli. Saluta omnes, *Capitonem* praecipue, cum *Bucero, Bedrotum* et *Firmum* ac *Sturmium.* Salutant te fratres. Neoco. 18. Septembris. [4])

Farellus tuus.

142. 1) *Senatusconsulto d. 10. et 17. Sept.* 1538 *Gaspar et Isnardus (al. Enardus, Eynard) Sonerio in Collegio (de Rive) adiuncti exsilio multati sunt. Kampsch. p.* 348, *Bétant, hist. du Coll. de Rive p.* 9: Ensuite on s'en prit à ses deux bacheliers Eynard et Gaspard qui furent bannis sous prétexte qu'ils ne faisaient que controler les predicateurs, qu'ils appartenaient à une secte de gens qui ne cherchaient qu'à mettre noise les uns entre les autres, qu'ils ne voulaient point obéir aux magistrats, et qu'ils avaient refusé d'aider à distribuer la cène. Sonier intercéda inutilement en leur faveur. Ils furent obligés de quitter la ville.

2) *De Ioanne Comite supra vidimus N.* 134 *et* 136. *Erat tamen etiam alius huius nominis Beatus Comte V. D. M. apud Lausannenses.*

3) *Farellum hic paulo pleniore ore actae rei modum excedere, quippe qui suae partis homines solos audierit, et per se vero simile est et Kampschultii quoque sententia (l. l.).*

4) *Antiqua manus autographo adscripsit a.* 1539 *et in hoc Perrotus in Vita Farelli acquievisse videtur. Kampschultius ambigue de eodem dicit p.* 353. *Verum professorum Collegii nupera eiectio rem aliter definiendam esse docet.*

143.

CALVIN AUX GENEVOIS.

Lettre pastorale. Les liens par lesquels il s'est trouvé attaché à eux par suite d'une vocation divine, ne sauraient être déchirés par la main des hommes. Il sait par quelles épreuves et quels dangers leur église continue à passer, et leur prêche l'humilité, la pénitence et la confiance en l'aide de Dieu, devant lequel il s'incline dans les mêmes sentiments, tout en se croyant innocent à l'égard de ce qui s'est passé.

(Archives de Genève. Pieces historiques 1203. Bibl. de Genève Cod. 106, fol. 18 deux copies avec quelques variantes peu importantes. Imprime dans Bonnet L. fr. T. I. p. 11 et en partie chez Ruchat V. 505 et Henry I. 55. — Traduction latine Epp. Genev. p. 8, Laus. p. 17, Hanov. p. 18, Chouet p. 6, Amst. p. 3. Traduction anglaise, B.-C. I. p. 58.)

Aux fidelles de Geneve durant la dissipation de l'Eglise. [1])

A mes bien aymez freres en nostre Signeur qui sont les reliques de la dissipation de l'Eglise de Genefve.

La misericorde de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Signeur Iesus Christ vous soit tousiours multipliee par la communication du Sainct Esprit.

Mes freres, ie m'estois abstenu iusques icy de vous escrire, esperant que les letres de nostre frere *Farel* [1]) qui avoit pris ceste charge pour tous deux, vous pourroient suffire; et aussi que ie voulois oster tant qu'il m'estoit possible l'occasion de mesdire a ceux qui la cherchent. C'est qu'ilz ne peussent calomnier que nous tachons en vous attirant a nous de vous tenir en quelque partialité. [2]) Toutefois ie ne me suis peu contenir en la fin de vous escrire pour vous testifier [3]) l'affection laquelle ie garde tousiours envers vous, et la souvenance que i'ay de vous en nostre Signeur, ainsi que mon devoir le porte, et ne m'empeschera point ceste crainte, laquelle m'a aucunement retenu iusques a present: d'aultant que ie voy bien que la couleur que pourroient prendre les malings de detracter sur nous, seroit trop vaine et frivole. Dieu nous est tesmoing et voz consciences devant son iugement, que cependant que nous avons conversé entre vous, toute nostre estude a esté de vous entretenir tous ensemble en bonne union et concorde. Ceux qui se sont separez de nous pour faire et mener leur faction a part, ont introduit division tant en vostre Eglise comme en vostre ville. Voians les commencemens de ceste peste, nous nous sommes emploiez fidelement, comme devant Dieu auquel nous servions, d'y mettre remede. Par quoy le temps passé nous exempte de toutes leurs calomnies. Et maintenant si en communiquant avec vous, nous vous donnons matiere de nous retenir en vostre memoire, cela ne nous [4]) peult tourner en vitupere, car nostre confiance [5]) est bien asseuree devant Dieu, que ça esté par sa vocation que nous avons esté une fois conioinctz avec vous. Parquoy il ne doibt estre en la puissance des hommes de rompre ung tel lien, et comme le temps passé nous nous sommes portez, aussi esperons nous par la direction de nostre Signeur nous tellement conduire, que nous ne serons obiect de trouble ne de division, sinon a ceux qui sont tellement bandez contre Iesus Christ, et tout son peuple, qu'ilz ne peulvent souffrir aulcune concorde avec ses serviteurs. Car a telle maniere de gens si ce bon Saulveur est en scandalle et offense, que pouvons nous estre, nous qui devons porter sa marcque imprimee en nostre ame et en nostre corps? mais nostre consolation est que nous ne leur en donnions point cause; comme nostre bon maistre n'est pas venu pour donner empeschement aux hommes, mais plus tost pour estre la voie ou tous cheminent sans trebuscher.

Or mes freres bien aymez, pource que la main du Signeur, a ce que ie puis entendre, est tousiours dressee pour vous visiter, et que par sa iuste permission le diable s'efforce incessamment de dissiper l'Eglise qui estoit commencee entre vous, il est mestier de vous admonester de vostre office. C'est que vous recongnoissiez et meditiez, quelque perversité qu'il y aict aux hommes qui vous troublent et griefvent, toutesfois que les assaultz ne vous sont pas tant donnez d'eux comme de Sathan, lequel use de leur malice comme d'instrument pour vous guerroier. A cela nous exhorte l'Apostre, quand il dict que nostre bataille n'est pas contre la chair ne le sang, c'est a dire contre les hommes, mais contre les puissances de l'air, et contre le prince de tenebres. Vous scavez combien il est necessaire de congnoistre son ennemy pour scavoir par quel moien il luy fault resister. Si nous nous arrestons a batailler contre les hommes, ne pensans qu'a faire vengence, et estre recompensez des tortz qu'ilz nous font, il est a doubter si nous les pourrons vaincre en ceste maniere. Mais c'est chose certaine que cependant nous serons vaincuz du diable. Au contraire si n'ayans aultre combat contre les hommes, sinon d'autant que nous sommes contrainctz de les avoir contraires, entant qu'ilz sont adversaires de Iesus Christ, nous resistons aux machinations de cest ennemy spirituel, estans garniz des armures desquelles le Signeur veult son peuple estre fortifié, il ne fault pas craindre que nous ne venions au dessus. Pourtant mes freres si vous cherchez vraie victoire, ne combatez point le mal par semblable mal, mais estans despouillez de toutes mauvaises affections, soiez menez seulement de zele de Dieu moderé par son Esprit selon la regle de sa parolle.

Davantage vous avez a penser que ces choses ne vous sont pas advenues sans la dispensation du Signeur lequel besongne mesmes par les iniques, selon le conseil de sa bonne volunté. Or ceste cogitation vous destournera de voz ennemyz, pour

143. 1) *Ci-dessus N.* 133.
2) vos ipsos inter vos scinderemus. — to retain you in some degree of partiality toward us.
3) testarer. — B. certifier, to assure.
4) probro hoc nobis verti non debet. — B. vous.
5) B. conscience. — Confidimus in conscientiis nostris.

vous regarder et considerer vous mesmes, et tellement considerer, que vous recongnoissiez combien de vostre part vous avez deservy de recepvoir une telle visitation, pour chastier vostre negligence, le mespris ou bien la nonchallance de la parolle de Dieu qui estoit entre vous, la paresse a la suyvre et luy rendre sa droicte obeissance. Car vous ne vous pouvez excuser qu'il n'y aiet eu beaucoup de faultes en toutes manieres: et combien qu'il vous soit facile de vous iustifier aulcunement devant les hommes, neantmoins devant Dieu vostre conscience se sentira chargee. En ceste maniere ont faict les serviteurs de Dieu en leurs tribulations, c'est que de quelque part qu'elles leurs vinssent, ilz ont tousiours converty leurs pensees a la main de Dieu, et a leurs propres vices, recongnoissans en eux mesmes la cause estre assez suffisante pourquoy le Signeur les deust ainsi affliger. Daniel entendoit bien quelle avoit esté la perversité du roy de Babylon de destruire et dissiper le peuple de Dieu, seulement pour satisfaire a son avarice, arrogance et cruaulté; quelle estoit son iniquité en les opprimant iniustement. Neantmoins voiant que la premiere cause estoit en eux mesmes, d'aultant que les Babyloniens ne pouvoient rien a l'encontre d'eux, sinon par la permission du Signeur, pour suyvre et tenir ung bon ordre, il commence par la confession de ses faultes et de celles des roys et du peuple d'Israel. Si le Prophete s'est ainsi humilié, advisez combien vous en avez plus grande matiere, et s'il luy a esté necessaire de faire cela pour obtenir misericorde de Dieu, quel aveuglement ce seroit a vous de vous arrester en l'accusation de voz ennemyz, sans aulcunes recongnoissances de voz faultes, lesquelles passent de beaucoup celles du prophete.

Quant a nous, s'il est question de debattre nostre cause contre tous les iniques et calumniateurs qui nous vouldroient charger, ie scay que non seulement nostre conscience est pure pour respondre devant Dieu, mais nous avons suffisamment de quoy nous purger devant tout le monde. Et ceste asseurance avons nous assez testifié, quant nous avons demandé de respondre, voire devant noz adversaires, a toutes choses qu'on nous voudroit imposer. Il fault qu'ung homme soit bien garny de ses iustifications, quant il se presente en telle maniere, estant inferieur en toutes choses, sinon en la bonne cause. Toutesfois quant il est question de comparoistre devant Dieu, ie ne fais pas de doubte qu'il ne nous aiet humilié en ceste sorte, pour nous faire recongnoistre nostre ignorance, imprudence, et les aultres infirmitez que de ma part i'ay bien sentyes en moy, et ne fais difficulté de les confesser devant l'Eglise du Signeur. En cela faisant il ne nous fault craindre que nous ne donnions l'advantaige a nos ennemyz, car Daniel n'a pas iustifié Nabuchodonosor en attribuant aux pechez des Israelites l'oppression qu'ilz souffroient soubz sa tyrannie, mais plus tost l'a confondu, monstrant qu'il estoit comme ung fleau de l'ire de Dieu, ainsi qu'est le diable et ses suppostz. Non plus de danger y a il que nous submettions nostre cause a vitupere ou en opprobre. Car si nous nous sommes presentez de satisfaire devant toutes les Eglises, et remonstrer que nous avions deüment et fidelement administré nostre office, et encores de iour en iour nous l'offrons, ce n'est pas signe que nous leur donnions a mordre ne detracter sur nous, et si nous ne les pouvons empescher de mesdire, comme aulcuns d'eux sont transportez non seulement d'intemperance mais de pure rage, nous scavons quelle promesse nous est donnée que le Signeur fera apparoistre nostre innocence comme l'estoile premiere du iour, et fera reluire nostre iustice comme le soleil. Ceste confiance pouvons nous hardiment prendre, quant il est question de combattre contre les iniques, combien que nous soions de beaucoup redevables envers la iustice du Signeur.

Cependant en nostre humilité et deiection nostre Signeur ne nous delaissera pas, quil ne nous donne consolation tres ample pour nous maintenir et conforter, Et mesmes l'avons nous desia toute presente quand il est dict en son Escriture, que les castigations qu'il envoie a ses serviteurs, sont pour leur bien et salut, moiennant qu'ilz les puissent bien prendre. Pourtant, mes freres bien aymez, revenez tousiours a ceste consolation, Combien que les iniques se soient efforcez de mettre une ruine en vostre Eglise, combien que voz faultes et offenses aient merité plus que vous ne pourriez endurer, neantmoins que nostre Signeur mettra telle fin aux corrections qu'il vous a envoyé, qu'elles vous seront salutaires. Son courroux envers son Eglise, d'aultant qu'il n'est que pour la reduire a bien,[6]) se passe en ung moment, dict le prophete: sa misericorde au contraire est eternelle, mesmes iusques aux generations futures, car des peres il l'estend aux enfans, et aux enfans des enfans. Regardez voz ennemyz, vous trouverez evidemment que toutes leur voyes tendent a confusion, et neantmoins il leur semble bien advis qu'ilz sont au bout de leur entreprise. Ne vous desconfortez point doncques en ce qu'il a pleu a nostre Signeur de vous abaisser pour ung temps, veu qu'il n'est pas aultre que l'Escriture le testifie estre, c'est qu'il exalte l'humble et contemptible de la poulsiere, le pauvre de la fiente, qu'il donne la couronne de ioye a ceux qui sont en pleurs et larmes, qu'il rend la lumiere a ceux qui sont en tenebres, et mesmes qu'il suscite

6) *une main plus récente a corrigé:* rien. (quia ipsam perdere non cogitat). — to bring her back to welldoing.

en vie ceux qui sont en l'umbre de la mort. Esperez doncq que ce bon Dieu vous donnera telle issue que vous aurez occasion de le magnifier et rendre gloire a sa clemence. Et en ceste esperance, consolez vous, et vous fortifiez a endurer patiemment la correction de sa main, iusques a ce qu'il luy plaira vous declairer sa grace qui sera sans doubte assez tost, moiennant que nous puissions le tout permettre a sa Providence, laquelle congnoist l'opportunité des temps, et veoit mieux ce qui nous est expedient que ne le pouvons concevoir.

Sur tout advisez de veiller en prieres et oraisons; car si toute vostre attente repose en Dieu comme elle doit, c'est bien raison que vostre coeur soit assiduellement eslevé au ciel pour l'invoquer et implorer la misericorde que vous esperez de luy. Entendez que le plus souvent ce qu'il differe le desir de ses enfans, et ne leur monstre pas si tost son ayde au besoing, c'est qu'il les veult inciter et esmouvoir a requerir sa bonté. Tant ya que nous glorifions en vain d'avoir nostre confiance en luy, que nous ne la testifions en y cherchant nostre refuge par prieres. Davantage c'est chose certaine qu'il nya pas une telle affection et ardeur en noz oraisons, comme il appartient, sinon que nous y perseverions sans cesse.

Ie prie le Signeur de toute consolation vous reconforter et soustenir en bonne patience, cependant qu'il vous veult esprouver en ces tribulations, et vous confermer en l'esperance des promesses qu'il faict a ses serviteurs. C'est qu'il ne les tentera point oultre ce qu'ilz pourront endurer, mais avecques l'affliction qu'il donnera la force et issue salutaire. De Strasbourg, ce premier d'octobre 1538.

Vostre frere et serviteur en nostre Signeur

I. Calvin.

144.

CALVINUS PIGNAEO.

Rogatus fuse exponit sententiam suam de magia et praestigiatoribus, tum de polygamia nequaquam ex S. S. probanda. De hypnosophistis pro tempore nihil dicet quia propediem peculiarem de iis libellum editurus est. De rebus Genevensibus publice nihil scribit veritus ne ecclesiarum tranquillitas magis etiam turbetur.

(Arch. Genev. P. H. N. 1203. — Apogr. in Bibl. Genev. Cod. 111, fol. 11. Aliud in Arch. Bern. Epp. VII. p. 261 unde habuit Simler vol. 45. — Impr. Henry I. App. p. 58.)

Gratia et pax tibi a Deo patre et Domino Iesu Christo. Literis tuis, cuius erant argumenti, longior responsio debebatur: qua etiam defungi constitueram, et fecissem, nisi praeter spem hic [1]) nuncius se obtulisset, per quem maturius aliquanto perventurae erant meae literae, quam per negotiatores qui Francfordia Lugdunum propediem repetent. Respondebo tamen ad singula capita, quantum ab occupationibus vacabit. Esset enim alioqui satis temporis, nisi bonam partem impendere cogerer fratri nostro in curando negotio cuius gratia profectionem ad nos suscepit.

De praestigiatoribus tibi citra dubitationem assentior, nihil eos in suis corporibus verae conversionis pati: non enim aliam in ipsis metamorphosim cogito quam in virgis magorum quae quum serpentum faciem prae se ferrent vocantur tamen ideo virgae apud Mosem, quo intelligamus impostores illos magis illusisse spectantium oculos quam aliquid verum exhibuisse. Nec obstat quod eodem nomine serpens a Mose revera exhibitus illic appellatur. Parum enim gratiae habitura fuerat oratio, si dictum esset devoratas esse a serpente virgas. Quum ergo propheta Dei virtutem in dissipandis Satanae fallaciis commendare vellet, voluit ostendere illam quae initio fuerat materia [2]) similitudinem, ne instrumento magis quam Dei brachio superior fuisse crederetur. Quod si utrinque fuisset vera conversio, serpentes potius nominasset. Neque id a vero abhorret, ea ipsa maleficia ab iis perpetrari, quorum et insimulantur ab aliis, et ipsi fatentur se esse conscios. Regnum enim Satanae tam profundis et densis tenebris ex omni parte obductum est, ut ad vates usque imposturas perveniri mirum non sit. Sic enim habendum est: quorum infelici ministerio diabolus abutitur ad miseram plebeculam circumscribendam, iis quoque sic ipsum praestigiari, ut excaecati ad quidvis agendum ruant. Ita fieri potest ut rabie exagitati, non in pueros modo, sed et in aliena quoque armenta saeviant, diabolo scilicet, qui audaciam illis accendit, vires quoque suggerente. Iam ad convincendum maleficium nihil attinet, formamne ipsi induerint, an officiis [3]) obvoluti visi sint sibi induere: plus satis est si Satanae se ad flagitia perpetranda volentes dederint. Hoc tamen Satanae adimatur ne quidpiam putetur creare, quandoquidem unus est rerum omnium creator. Quae ab ipso profecta sunt miracula, ut sint, ita inania spectra censeantur. Haec autem, tametsi saepius adeo prodigiosa sunt ut fidem omnem superent, meminerimus tamen patri tenebrarum non esse difficile perstringere in eum modum hebetes oculos vel potius caecis

144. 1) sic *Apogr. et H.*
2) *Simlerus corrigit,* materiae, *incaute.*
3) *Sic exx. omnia. Lege* offuciis.

illudere. Sola enim est infidelitas quae eius fallaciis locum praebet. Characteres et barbara vocabula, quae incantatores demurmurant, quid adversus fideles valeant, inde etiam colligere licet. Nisi enim te diaboli vanitati subigendum ultro prostituas, fumus erit. Incantamenta scimus esse mera mendacia, quae certe veritate plus non possunt. Non de qualibet veritate disputemus, sed eas seligamus promissiones, quibus peccatorum remissionem, regenerationem, vitae aeternae possessionem, Christum denique ipsum nobis offert[4]) Dominus. Quid istis momenti suberit, si sine sensu, sine animo et pronuncientur et audiantur? Non plus sane quam si cacabus aut pelvis ad ciendum sonum feriantur. Verum est enim illud Augustini, verbi efficaciam in sacramentis apparere et exstare, non quia dicitur sed quia creditur. Gravem contumeliam irrogamus Dei verbo si minus illi virtutis tribuamus quam insanis nugamentis ac deliriis. Quare adhortandi sunt nobis homines ne se nequitiis diaboli sponte irretiendos tradant. Sunt autem luculentae promissiones, quibus Dominus declarat se omnibus Satanae machinationibus, ut et nugacibus istis ineptiis, servos suos exemisse.[5]) Si rite animis nostris insideat psalmus nonagesimus nonus, satis firma securitate adversus quaelibet terriculamenta nos muniet. Quod si obiiciatur nobis Iob a Satana crudeliter vexatus, neque ego infitior Satanam esse Dei flagellum ad sanctos vel castigandos vel exercendos: sed intelliget pium pectus nihil sibi esse cum Satana negotii, dum recognoscet solam Dei providentiam agere, etiamsi subiecta sibi organa adhibeat.

Multitudo uxorum speciose quidem a garrulis fratribus praetexitur ubi sine adversario disputant. In errore eorum refutando sic ordo, meo iudicio, tenendus est, ut primum ad coniugii institutionem, unde perpetua eius regula peti debet, animos advertamus. Et si reclamant, ac si necessarium non esset primae suae conditionis conditioni stare coniugium, respondeo me sic scripturae oeconomiam sequi. Sic Paulus, dum coenam Domini apud Corinthios nonnihil vitiatam repurgare contendit, ad primam eius institutionem provocat. Eo vero annon pro confesso assumit, id totum esse vitiosum quod a vera origine degeneret? Sic et Christus Dominus, ostensurus permissionem Mosis de libello repudii uxoribus dando nihil virorum libidini suffragari, qui eo praetextu probas alioqui uxores ablegarent, non alio argumento utitur quam quod ab initio non ita fuit. Cur in repudio aestimando potius legis pondus habeat prima coniugii ordinatio quam uxorum numero? Proinde aut frivolam Domini rationem censent, quod sacrilegium nemo fe-ret, aut eadem nobis uti permittant. Ergo post Dominum audacter sic ratiocinabor: Si viro[6]) divertere ab uxore non licet, ut ab initio alligatus est uxori ea lege ut individuam haberet cum ipsa vitae societatem, neque plures simul uxores assumere licebit, quoniam ab initio non plura, sed unum subsidium illi adiunctum fuit. Deinde non obscure Dominus ostendit, longius prospexisse quam in paucos annos. Sic enim habet Moses: Non est bonum homini esse soli, faciamus ergo illi simile adminiculum, ut sint duo in carne una. Non tres aut quatuor simul copulat, sed duos duntaxat. Ac dum id facit, non unum Adamum contemplatur, sed prospicit universo hominum generi. Legem ergo inviolabilem sancit, ut duo sint coniuges in una carne. Ab institutione ad legitimum usum, qualis verbo Dei nobis limitatur, descendendum censeo. Propter fornicationem, inquit Paulus, unusquisque vir habeat uxorem suam et unaquaeque mulier maritum suum. Videmus ut unicuique mulieri maritum destinet, ne fragilis sexus remedio destitutus in fornicationem labatur. Tamen Dominus in fornicatione vitanda non minus cautum esse vult mulieri quam viro. Videndum est an minus periculi illi quam huic impendeat. Si multo plus imminere constat, qualis erit viri pietas qui suae uxori praeripiet quod Dominus remedium dedit? Sequitur: vir non est dominus corporis sui, sed mulier. Ergo ex quo die se adiungit vir uxori, suum illi corpus obstringit, ne postea vulgare aliis possit. Si secus committit fidefragus est. Tertio cogitationem nostram convertamus ad generales matrimonii leges quae passim exstant in scripturis. Quarum nulla polygamiae patrocinatur. Quin potius ad unam omnes eo tendunt ut singulis mulieribus sint sui viri. In his vero legibus diligentissime est insistendum, quoniam in hoc datas esse palam est, ut ad earum praescriptum matrimonia formentur: unde conficitur ab illis discedi citra periculum non posse. Postea vero ad dissolvenda[7]) eorum obiecta opportunus erat transitus. Obtendunt[8]) praecipue exempla patriarcharum qui singulis uxoribus non se alligarunt. Non dicam eos deliquisse, quoniam scriptura sic refert ut nequaquam damnet eorum factum. Sed expendamus paulum quae illis ratio constiterit. Primus ex patribus Abraham polygamiam sibi permisit. In quem finem? Nempe ut compos fieret promissionis, in qua salutis aeternae fiducia recumbebat; atque id instigante uxore, cui obnoxius coniugali lege erat. Ratio ergo consistit specialis Abrahamo, quam aetas haec iactare nequit. Viam enim quaerebat suscitandi seminis unde salus mundo affulgeret.

4) affert *Apogr.*
5) exemisse *S. H.*

6) *Apogr.* si vero. *H.* se vero.
7) divolvenda *Apogr. et H.*
8) Ostendunt *H.*

Isaac ex prima uxore habet sobolem: secundam non inducit. In Iacob paulo plus laborandum, praesertim ob coniugium Rachelis. Quod enim ancillae submittantur ab uxoribus, non alio spectat, quam ad complementum promissionis. In Rachele vero dissimilis est causa. Libidini enim suae indulgebat. Itaque non ausim ipsum in eiusmodi licentia excusare, et videmus etiam quas poenas rependerit assiduis iurgiis et dissidiis vexatus intra duas uxores, qui cum una quietam ac tranquillam vitam degere poterat. Ab illis capitibus latius manavit exemplum ad posteros, quos non dubitanter asserere ausim immodicos fuisse in iure hoc usurpando. Nam quod allegant, non reprehendi in Salomone plures uxores, sed quod ab alienigenis non abstinuisset, nihil habet firmitudinis. Non enim illum rite atque ordine fecisse[9]) defendent, quod per legis interdictum vetabatur. Communi regibus lege prohibuerat Dominus multiplicare uxores: hac, inquam, lege si tenebatur, non est cur cavillentur reprehensione indignum, cuius reprehensio semel omittitur. Haec igitur nobis summa sit: quum evasuram e suo semine salutem intelligerent sancti patres, non abs re avidissimos fuisse suscitandi seminis in quo complementum totum cernerent divinae promissionis. Huic eorum aviditati Dominum pro sua indulgentia concessisse, non citra rationem, ut[10]) complures interdum uxores inducerent, praesertim ubi extraordinaria aliqua causa accederet: specialem autem fuisse praerogativam, quae in exemplum trahenda non fuerit, inde apparere quod scriptura rationem illam nominatim fore in ipsis notat. Exempla posteriorum nos urgere non debent, quia videmus praeposteros fuisse patrum imitatores. Denique non, si rumpantur, obtinebunt post Christi manifestationem locum habere, quod inde licitum esse coepit ut suscitaretur Christus. Locum apostoli quem adiungunt[11]) promptum est illis de manibus excutere. Quid enim si ad Pauli saeculum id referamus, quo polygamia res erat vulgatissima? Ex Iudaeis ergo quum essent plerique multarum uxorum viri, caetera quidem non contemnendi, qui si in episcopos cooptarentur gravissimo offendiculo futuri essent, mature voluisse occurrere apostolum si quis dicet, non est certe unde refellatur, quanquam alii non adeo in dictione unius immorantur, sed simplicius accipiunt, ac si pudicum in episcopo coniugium Paulus requireret. Atqui ego a sententia mea veteri dimoveri nondum potui. Semper enim putavi hac particula insignem quandam ac raram pudicitiam notari in episcopis, dum unius coniugii, quoad licet, eligi praecipit. Non enim erit dissentaneum ut ab episcopo exigatur, quod alii ex vulgo praestare non debent. Iuniores viduas ad secundum coniugium vocat Paulus. Atqui ibidem in ecclesiae ministerium assumi non sustinetur quae ad secundum matrimonium transierint, ne qua spectetur incontinentiae in illis nota: quid mirum si eandem in episcopo incontinentiae notam refugit? Non equidem ut a ministerio protinus arceatur qui defunctae uxori secundam induxerit. Non ita certam legem figere[12]) consilium illi fuit, sed indicare summa quaeque virtutis cuiusvis specimina in episcopo optanda esse. Utcunque res habeat, nihil polygamiae defensores adiuvat. Postquam exuti fuerint suis[13]) argumentis, tum urgendi erunt de integro scripturae testimoniis, quibus coniugii honestas informatur. Neque abs re erit memoria repetere, quis primus fuerit polygamiae autor, Lamec scilicet, atque intra servos Dei nemo commemoretur uxores sibi complures accumulasse, quum adhuc generis humani propagationem praetendere liceret. Nimirum illis in mentem non veniebat quod a natura ducebant quodammodo abhorrere. Solus Christus dignus fuit cuius desiderio extra limites istos excederetur.

Adversus veternosos hypnosophistas nihil habebis a me in praesentia, tum quia longior est disputatio quam ut epistola comprehendi queat, tum quod libellum quem ante triennium adversus eos scripseram propediem editum iri spero. Bucerus enim qui editionem antea dissuaserat nunc est mihi hortator.[14])

Nunc ad primam tuam expostulationem ut veniam, ad te privatim scribere saepius institueram; sed nescio quomodo hactenus nunquam voluntati se opportunitas adiunxerit. Publice vero ad fratres quod nihil dedi, consulto id factum fuit, siquidem non perspicerem, atque adeo prope cernerem oculis, verbum nullum a me exiturum quod non extemplo variis calumniis exagitaretur, omnino in animum induxeram meo silentio inimicorum maledicentiam retundere. Interim non dubitabam quin consilium meum fratribus probaretur. Nunc quoniam aliter satisfieri illis non potest, de fidei causa ad eos scribo. Expostulatricem vero ad collegium vestrum epistolam extorqueri a me hoc tempore non patiar. Pluris est mihi ecclesiarum tranquillitas quam ut velim mea causa interpellari. Si essent criminationes, si talis accusatoris gravitas, quae ponderis aliquid haberet, commoverer[15]) forsitan. Non enim

9) fuisse *H*.

10) ut . . . . . scriptura rationem. *Haec omnia apud H. ob homoeoteleuton interciderunt.*

11) *Tit.* 1, 6.

12) fingere *H*.

13) excussi . . . . tuis *H*.

14) *Innuit libellum de Psychopannychia de quo quae disputavimus in Prolegg. Tom. V. pag.* 34 *quatenus corrigenda sint, supra in hoc Epistolarum volumine sub Nr.* 21 *expositum reperies.*

15) commoveres *H*.

nisi coniunctum id est ut silente me ac connivente meo ministerio nota inuratur. Sed video nullum certaminum finem futurum, si ad tales rabulas compescendos[16]) animum semel adiiciam. Ne tamen aut *Gastius*[17]) aut eius similes nimis confidenter insultent, sciant nec mihi causae bonitatem, nec eius asserendae[18]) ac propugnandae facilitatem deesse, non favore theatri defici, ac ne professis quidem suffragiis gravium autorum, si meo iure agere libeat, et nisi me retineret Christi atque ecclesiae respectus, sentirent profecto quis sit successus imbecillae temeritatis. Verum altera ex parte reputo, me nimis morosum merito visum iri bonis viris, si conscientiae meae apud Dominum testimonio, si ecclesiae iudicio non contentus, ob raucos inanium hominum strepitus extemplo ipse quoque tumultuer. Causam nostram quod non dubitamus ad ecclesiarum cognitionem deferre, ea fiducia testati sumus, qualis futurus sit eventus si cum levissimis istis erronibus congrediamur.[19]) Sequutum est ecclesiae iudicium, non dico quam nobis honorificum: satis habeo quod ministerium nostrum approbarit. Non recitabo quam publice ac privatim qui primarium in praecipuis ecclesiis locum tenent nobis reddiderint testimonia. Hoc tamen dico, quamdiu conscientiae innocentia et ecclesiae iudicio fretus lucem non refugiam, susque deque mihi fore quid canes isti latrant in angulis: quanquam non diu illis impune futurum confido. Aderit enim, atque ut spero iam instat, dies quo veritatis patrocinium exaudietur. Vestrum tamen forte fuerit sine ulla vel contentionis vel certaminis specie deliberare, an aequum sit a *Gastio* lacerari, quem Argentinensis ecclesia in ministrum comparavit.

Catechismi nostri editio valde me anxium habet, praesertim quum iam instet dies. Quae ad me nuper missa sunt, perversissime sunt transscripta. Hic fidem tuam, mi frater, implorare cogor, ut non mihi modo sed piis omnibus[20]) te totum impendas.

Haec adeo tumultuarie effudi ut ne ad relegendum quidem satis spatii fuerit; sed apud te . . . . . .,[21]) qui lituris[22]) meis atque etiam mendis prolixe es assuetus.[23]) Proximis literis testabar, quam grata mihi iucundaque fuerint tua officia, quo ad porgendum exstimulem. Vale, optime frater, ac vestros omnes amantissime mihi saluta, collegas tuos nominatim, ac eos quos in literis tuis nominasti. Iam ad alias literas propero. Argentinae Cal. Oct. 1538.

Calvinus tuus.

16) cabalas compescendas *H.*

17) *Idem qui supra N. 88 not. 3 non vero Ioannes pastor Basileensis.*

18) afferendae *H.*

19) erronibus ingredimur *H.*

20) animis *H.* — *Pignaeus correctoris officio defungebatur. Caeterum potius de aliqua editione gallica quam latina eum loqui crediderimus. Quam enim alii hic innui putant Institutionem Calvinus ipse vix Catechismum dixisset quum iam libellum peculiarem sub hoc titulo edidisset, et Institutionis ed. II. ipso superattendente Argentorati excuderetur. Catechismus latinus autem Basileae iam ante hunc mensem Octobrem prodierat.*

21) *vox dubia. Caeteri legerunt:* precator *Vide an sit:* peccatur, *vel:* deprecabor

22) literis *H.*

145.

FARELLUS CALVINO.

Ex itinere redux enarrat quae passim Tononii, Lausannae, alibi tam vidit quam audivit tristia magis quam laeta. Coraldi misera sors. Genevensium ministrorum diversa elogia. Capunculi Neocomensis suspiciones. Morandi vocatio et oratio ad senatum.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium, Farell. fascic. I. N. 31. Textus passim dubius. Alibi non exstat.)

Io. Calvino quam carissimo fratri Christum adnunciANTI

Argentorati.

S. Gratia et pax a Deo. *Sonerius*, ni fallor, iam te omnium certiorem fecit quae utinam faustiora essent ac tam laeta, ut erant *Vireti* nuptiae. Nescio intellexeris quam inhumaniter egerit *Fortunatus*,[1]) cum tam pio fratre *Choraldo*, quem omnes plangunt, utpote hac tempestate valde necessarium. Divexatus fuerat graviter ab uxore *Fortunati* ante adventum viri, sed ubi is adventavit gravius multo fuit, adeo ut pius frater praesentiam ipsius ferre non posset, quamvis sese perpetuo ingereret ac cibos parare vellet. Quod impulit fratrem ante decessum suum dicere, veneni aliquid propinatum ab eo sibi fuisse. Accedunt coniuncturae non leves, nam miser (monachus) dicebat se iniuste pelli loco suo. Sed Domino brevi id indicaturum, minitans nescio quid *Choraldo*. Et dum Tonnonio redirem ac indignabundus quererer de iniuria fratri illata, quodque veneno impetitus fuisset, verum Dominum veneficum palam facturum etsi se fratrem dicat, hic exhorruit, sicut et apud *Viretum*, dum audiret referri quaedam audita de occiso puero et aliis, ac expilato conventu, cuius bonam partem habuit *Fortunatus*. Vides quem habemus fratrem et quam digna ultio saeviat in ecclesias talibus ministris. Ioannes *Regalis* praeterea Massiliam ministrans ve-

23) astutus *Apogr. et H.*

145. 1) *Cf. N. 135, not. 3 et N. 138. De Uxore eius adeas Herminj. II. 304. 377. Coraldus obierat d. 4. Octobris*

neno sublatus fuit. *Christophorus* bis morti vicinus vix potest respirare. Quo si nos privat Dominus, actum est de Tononensi ecclesia, ubi privatus[2]) agit citra fratrum consensum per *Conzenum* introductus. Is praedicans de zizaniis non tollendis invectus est in eos qui curant scortatores et adulteros plectendos, et quod puniendi non sint, sed sinendi cum tritico ad messem usque. *Frumentus* parum prudens et parum sollicitus de ecclesia. Scis ut cum uxore agat, si non agatur. Dum Tononii essem ut convenirem fratrias quas non prius videram, venere ex Genevatibus per quos, ac visitationem *Christophori*, et concionem, vix licuit agere id cuius gratia veneram ac conferre cum fratribus. Narrabant ut pios insimularent concionatores, quod nostri essent discipuli et ipsos non habere discipulos sed Christo adducere: quodque nos clam hortaremur nostros ut pergerent in persequendis et vitandis concionatoribus, ac aliud non agerent quam ut nos morderent. Hospitem ursi super causa *Claudii* Sabaudi:[3]) hoc dixisse ego semel uberrime accepi de Sabaudo. Sed iterum sumam. De aliis quae narrant non est quod referam. Nonnulli in hoc sunt ut panem non frangant cum tam impiis. Ego neque hoc neque illud suasi faciendum, sed patrem tantum poscendum ut tam perditis rebus succurrat. Lausanae fui ac contulimus, *Viretus*, *Comes* et *Gallus*.[4]) *Comes* censebat fratres debere una omnes convenire, ut dispiciatur, ministrine essent Genevates an non.[5]) Siquidem *Morandum* magni facit ab eruditione, damnabat et eos qui non audirent. Paucis egi, ut res sunt, non facile id nunc posse, quin se in periculum coniiciant. Etsi hoc videbatur *Choraldo* nos id improbasse ut fratribus consuleretur. Sed rem esse claram: non per ostium intrasse, nec pastores esse legitimos, nec posse bona conscientia dissimulare iniuriam nobis illatam, quum omnes ecclesiae nos approbent et factum plebis damnent: ideo tenerentur incumbere in hoc ut tollatur tanta iniquitas. Addebam et rationes quibus tu usus es in *Henrichum*,[6]) ac *Thomae* etiam obiecta *Morando* et *Marcurtio* proponebam. *Comes* addebat, se procul esse velle, quod gliscerent inter fratres odia, dum alii unum, alii aliud tuentur. Admonui, ob procellas non desereret opus Domini sed nunc maxime esset opus diligentia et labore. Per nos non stare quin recte habeant omnia, neque clam neque palam aliud moliri, quam pacem et quae pacis sunt. Aderat *Himbertus*,[7]) pius sane frater, qui vertati[8]) astabat, calumnias quibus impetebamur paucis attingebat, sed praecipue *Casparis* detestabatur pulsionem, et *Isnardi*, nam nihil iniquius *Morando* odiosissime in fratres agente, et *Bernardo* manum admovente: nam e fenestra praecipitare *Isnardum* volebat. *Marcurtii* mite ingenium nosti. Sic tandem domum redii, lassus itinere, moestus fratrum fato immaturo, afflictus dissipatione insanaque perseveratione . . . .[9]) Offendi collegam tantum non conculcantem scripturas, intelligentiam solis attribuentem veteribus. Quod *Vireto* times, aliis itidem timendum. Omnia iam sunt composita: nam super pane[10]) prius erat consilium, neque supererat aliud nisi ut recte se haberent circa lapidem[11]) ministri, quorum aliqui (proh scelus) etsi Christum pie intueantur, tanta sacri lapidis fuit vilipensio, ut aversi intingerent. Nunc cautum est severissime ne quis aversus intingat. *Gallus* praefecto dicebat: Habetis qui nunquam audierunt concionem sacram, neque missam neque concionatorem habent, sed ut bruta sine Deo vivunt. Sunt et flagitia passim in Deum, et quod domini statuerunt. Haec erant primo curanda. Lapis mihi non est. Cogitur ac tandem constituor ad lapidem qua parte stare debeo, parebo facile. Tantum statue me ut adducat et colloca iuxta velle dominorum. Talibus minutiis reputo ansam quaeri qua possit fratribus moveri stomachus, ut inde ultio sequatur. Audivi enm huc emissum fuisse. Iam sunt prostratae columnae ubi duo aut tres semel fuerunt profligati. Res bene habebit. Tu procul es a periculo, nos undis quatimur. Trepidatio ista parum serviet negotio cui studet *Sonerius*. Vereor ne nimis vera ipsi iam praedixerim,[12]) frustra peregrinationem suscipi iactura pecuniae pauperum de qua non pauci male in *Sonerium* loquuntur. Sed vellem fratrem ut admonerent palam non clam apud alios. Nisi fallor, scribebam *Capunculum*[13]) collegam abalienatum a Ioanne *Comite*, quod non satis amice ipsum excepisset. Verum tamen noster imprudenti mihi *Capunculus* imposuerit suasu complicum apud me traducens Io. *Comitem* ut malorum diffiderem autorem.

2) *Ruchat, IV.* 148 *narrat Libertetum ex autoritate senatus Bernensis sollenniter Tononii munus suum auspicatum esse.*

3) *Vide N.* 59, *not.* 2.

4) *De Comite vide N.* 142, *not.* 2. *De Gallo (Iac. Le Coq) Parisiensi primo Morgiensium ministro, Herminj. II.* 470. *Ruchat, IV.* 405.

5) *scilicet ad tempus tantum a Bernatibus Genevensibus concessi.*

6) *De la Mare.*

7) *Fortasse Io. Himbertus prof. l. hebr. Lausannae. Ruchat, IV.* 435.

8) *sic!*

9) *Hic sunt nonnulla lectu difficillima et fere vetustate deleta.*

10) *utrum fermentato an azymo in coena utendum.*

11) *baptisterium.*

12) *Sonerius quoque sub finem anni munere abdicatus fuit.*

13) *Io. Chaponneau, olim monachus, V. D. M. Neocomensis. De cuius cum Calvino controversia vide ad a.* 1543.

Hoc scio ipsum modis omnibus laborare ut nos traducat. De *Conzeno* aliud non puto scripsisse, quam quod dixi apud Consulem.[14]) Quid frater egerit cum *Oporino* non novi, nec est quod te angas mea causa. Tantum cura bene ut valeas. Nihil prorsus audieram de Anglia. Si vera sunt quae scribis,[15]) est quod Deo agamus gratias. Vicentiae fertur egregie [*Capunculus*] concilium exspectare, imo peragere. Sed id non ita movet sicut id de nonnullis iussis cedere loco per magistratum, postquam a ministris declarati sunt indigni, qui nos traducunt et bilem movent. Fratres vocant novos papas, et id genus alia agunt indigna. *Glandineus* ii sunt et *Alexander*,[16]) qui, quum olim gladiis in se concurrerent hostes, diu perseverantes, nunc conveniunt ut ecclesias turbent. Quam est necessarium ut disciplina ecclesiae restituatur, alias praeter motus nihil sumus habituri. Expertus tecum surda molimina, nescio quid vereor ut alio ad opem recurrentes ipsos faciamus voti compotes. O ambitio, quid tandem monstri paries! *Caspar* hic noluit haerere, sed ut magis in linguis formaretur istuc voluit descendere. Is poterit referre ut gymnasium [*evertere*], ac rasum, qui contra ea quae dudum statuta erant iuvenes extra collegium perdit non docet, firmare student, qui per ostium non intrarunt. Plura ex eo audies quam velis. Non est quod ipsum tibi commendem. Sed valde a fratribus mihi iniunctum fuit, ut *Himbertum* hunc tibi commendem, et maxime quum adolescens sit optimae spei, sed exiguarum virium. Si quid possit auxilii habere ut sua resumat studia et, ut est animatus, possit in literis pergere. Iubebant ut ad *Capitonem* et *Bucerum* scriberem huius gratia. Sed quid opus est literis te praesente? Quaeso ergo, si qua ratione possit stabiliri ecclesiae disciplina et tot ruinis mederi: olfacimus amicos nostros quod agunt nobis [*asscribere*] quum longissime absimus, non solum ab ipsorum actione, imo ne cogitamus quidem. Scelestos et indignos ministerio armant in nos, ac maxime commendant. In *Alexandro* deprehendebamus ipsas voces et verba cuiusdam. Aiunt *Pringinum* fabulae servire. At quid te enecо his quae finem non habent? Vale igitur optime, valetudinem studiosius cura, sic te attempera ut intempestive nihil agas unquam unde detrimenti patiaris aliquid. Sperabam te Basileam concessurum,[17]) ideo scribebam ad te quae cupiebam fratribus indicata super quibus consuleretur quum maturum omnia poscant consilium. Sed dum abes puto nihil actum fuisse, neque literas inspectas: nescio an expediret ad fratres omnes qui ministrant scribi, ne moverentur, sed pergant strenue in opere Domini: nam aliqui videntur propemodum remittere animum et alio intendere. Verum id per quem fiet apposite, nescio. Per quemcunque fiat, non exsequetur sine calumnia, idque potissimum si tu egeris. Hic haereo. Dominus quod optimum est inspiret. Tu cum piis dispice, ac si quem noveris Orbanae ecclesiae idoneum, subindica. Salutabis patres omnes, praecipue *Capitonem*, *Bucerum*. *Sturmium*, *Firnum* et *Bedrotum*. Vale iterum. Te omnes salutant. Neocomi, 14. Octobris 1538.

Tuus totus Farellus.

14) *Antequam munus Neocomi adiret, Bernae fuisse videtur, ibi magistratus favorem sibi conciliaturus. v. Kirchhofer II. 9.*

15) *scilicet in epistola quadam nobis deperdita.*

16) *Claude de Glantinis, pastor in oppido Tavannes; Alex. Le Bel in vico S. Aubin. Herminj. III. 276. 346. Ruchat, V. 134.*

17) *Ad nuptias Grynaei (vide sequentem).*

Moraudus Genevae in Senatu.[18])

Literae ad M.[19]) — Quoniam principes in quorum ditione agis verbi ministrum nostris persuasi et flexi precibus probarunt ut te huc conferres evangelii praeco futurus, scripseruntque ea de re ad te, oramus ne nobis desis, sed mox huc te recipias, rem nobis facturus gratissimam eet.

Acceptis literis concessit eo et cum duobus olim gardianis[20]) senatum intravit et ita egit: Mihi sunt redditae vestrae literae quibus oratis ut provinciam apud vos suscipiam annunciandi evangelii. Commonefacitis earum literarum quae huius gratia missae sunt non ad me tamen, sed ad praefectum cui pareo. Literarum illarum sententiam aperiam. Scribebatur, id vos rogavisse quidem (fratres) quorum precibus non aures occludere atque refragari merito non possent. Iubebatur praefectus me horum admonere ut scilicet vos adiuvem concionaturus hic tantisper dum sedata esset ista contentio et finita controversia quae fervebat inter vos et ministros qui tunc vestri erant. Ego vero excusavi meam infirmitatem propositis argumentis causisque quibus id ne facerem prohibebar, orans simul ut illam meam apologiam boni consulerent. Sunt autem plurimae quae me impediunt quominus sperem me unquam utilem fore huic ecclesiae quas in praesens longum foret mihi recensere, et vobis molestum audire. Poteritis tamen si vobis ita visum fuerit, discere a fratribus qui hic mecum sunt, quos nihil horum latet. Ex eo tempore nihil amplius accepi de ea re, quo fit ut putem abunde satisfactum fuisse

18) *Sequentia in scheda peculiari scripta praecedenti epistolae inclusa sunt et ad eandem pertinere videntur.*

19) *Fragmentum literarum a Senatu Genevensi ad Io. Morandum, tum ministrum in Cully, scriptarum, mense Aprili.*

20) *quorum alter sine dubio Iac. Bernardus.*

primis illis literis, idque iam exspirasse quod continebant. Nam non is erat sensus ut me huc reciperem futurus concionator, nisi quoad usque composita essent dissidia et odia quibus urbs tumultuabatur, et vobis essent ministri reconciliati. Nunc vero postquam nulla spes est ut vobiscum redeant in gratiam, iudico me iam nulla in re illis urgeri literis. Quod si mihi principes imperarent, non ausim quidem detrectare et illorum iussa aspernari, tametsi probe mihi conscius sim meae tenuitatis, neque videam qua ratione hic queam subsistere. Vos igitur oro ut omnia in meliorem partem interpretemini, et ubicunque fuero, sive apud vos, sive alibi ubicunque gentium, me vestrum et ad omnia in gratiam vestri paratissimum existimate.

Postquam sic peroravisset rediit laetissimus, et ut videbatur pauca admodum improbans eorum quae illic agebantur et quae prius improbaverat, nihil obscure probans, spei bonae plenissimus. Vides bonos viros, modo damnant, modo probant. Audio alias rursus literas praefecto missas quibus iubetur iterum *Mo.* admonere ut eo concedat, quod si nolit, non cogere[21]) . . . . Tandem cum uxore et domicella quadam multo equitatu Genevam adiit, ut ferunt. In concionibus omnia quae conati sumus erigere, evertere student. Interea unum uni et aliud aliis dicunt. Ioannes *Comes* amarissime nos taxabat quod accepta pecunia ut Lausannam peteremus ludentes . . . . alio concessimus. Ad Columbariam usque venit ut suum effunderet virus. Literas *Marcurtii* et potissimum huius urbis remittes. Cuperem et postremam figuram hebraeam cum libello super ea edito. Si bonus esset faber vellem ut malleum similem isti quem refeceram emeres ac mitteres: nam hic omnia sunt erigenda, nihil prorsus est non dissipatum. Collega sese adformat pro viribus, Dominus gratiam addat.

146.

FARELLUS GRYNAEO.

Coraldi mors, Liberteti letalis morbus, Genevae de Gymnasio lucta partium, etiam Neocomi turbae, ubique tristia et dubia; meliora orando potius quam sperando occupanda.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium, Farell. fascic. I. N. 30. Exstat quoque ap. Simlerum vol. 45 et in bibl. civ. Turic. B. 217. p. 86.)

21) *Sequuntur nonnulla in quibus enucleandis frustra desudavimus.*

Et pio et erudito Simoni Grynaeo cumprimis observando

Basileae.

S. Gratia et pax a Deo. *Calvinum* quum sperarem tuis nuptiis adesse, scribebam ad eum quae cupiebam vobis nota. Nam invitus hic detinebar a fratribus, qui sane iusta moti ratione non passi sunt me abesse a conventu, quamvis priusquam omnia perficerentur impetrarim ut *Choraldum* invisorem una cum *Vireto*: sed dum sumus in via eo d[*ie*] quo Orbam intramus et moritur et sepelitur, non sine omnium moerore, siquidem omnes propensi in ipsum erant. Vereor ne fratri contigerit quod apud pontificios Romae fit:[1]) nempe qui non aliter loca occupant ac concionantur quam illi sacerdo[*tes*] ventris gratia, sublatos student eos a quibus pelluntur, vel quorum loca ambiunt. Cucullae an hoc tribuerim, vel potius quod non coeperunt in *Choraldo* hominum vitae insidiari. Alius item frater nobis periit valde pius. *Christophorus* tantum non periit: vix post gravem decertationem cum morte potest respirare. Quo sublato actum esset de ecclesia cui praeest. Quum duo illic ministrarent additus est tertius doctorculus qui neque natare neque literas novit nisi vanas et nihili voces quibus clara obducit. Is per zizania non eradicanda docebat ebrios, scortatores, adulteros et id genus, a magistratu non puniendos. Et haec licet impune docere, quia doctor et sine consensu et examine classis suae est introductus. Hunc iuvenem[2]) nosti vere pium ac recte initiatum in linguis, per quem iuventus probe instituebatur Genevae, ut multa liceret sperare. Sed furiis exagitati ministri, dum in alios saevire pro voto non possunt, totis nervis conati sunt exturbare, praecipitandum in lacum aientes, et interea rasum impium, perdentem prorsus iuventutem, quum sit omnino sine literis, approbant, ut gymnasium, ubi sunt solertissimi iuventutis formatores, quos nescias magis commendes a pietate vel doctrina, perdant ac dissipent. Sed audi verum testem omnium qui nec in causa propria ausit aliud quam verum loqui.[3]) Lausannae res melius habent, quamvis ob offendicula nihil minus speraretur. Illic et ministri probe conveniunt, ac qui docent literas et linguas, non secus quam olim nobis Genevae contigit. Nos hic pergimus satis unanimes, licet turbent nonnulli ministerio privati etiam magistratus autoritate, quos armant in nos amici et interea queruntur se pati

146. 1) *Si quid videmus, suspicatur Coraldum veneno sublatum. Cf. 145.*

2) *Nempe eum qui hanc epistolam ad Grynaeum deferebat.*

3) *De turbis circa Gymnasium Genevense tum temporis motis quae hic obscurius tractantur v. Bétant notice sur le Collège de Rive p. 11. Kampschulte p. 348.*

plura a nobis, licet nihil tale nobis venerit in mentem: sed eos siuimus Domino cuius est iudicium. Sunt nonnulli qui non satis tenentes quae acta sunt, non parum turbantur incerti quid agere debeant. Nonnulli abeunt qui utiles erant ministerio, alii iam idem apud se deliberant. Non parum mihi dolet sic affectos videre fratres, et male prospici ecclesiis. Dominus sua ingenti bonitate consulat omnibus ac omnium tangat corda qui possunt aliquid in hac re. O si daretur tantum affectus in regno Christi dilatando, ac conservandis et asserendis quae Christi sunt, ut sumus in perituris ditionibus et uostris asserendis, quam aliter haberent res et melius. Inspira, Christe, tuum omnibus spiritum, ut omnium obliti tua tantum curent. Vale bene, imo optime, ac tecum cara uxor, quam servet tecum Dominus quam diutissime in integra valetudine: nec patere nos unquam eradi ex albo tuorum amicorum. Salutant te omnes fratres ac causam Domini tibi commendant. Saluta omnes, *Myconium*, *Carolostadium*, *Oporinum* cum *Laurentio*. Neocomi, 14. Octobris 1538.

Farellus tuus totus.

147.

CALVIN A DU TILLET.

Réfutation des arguments produits par Du Tillet dans sa dernière lettre en faveur du catholicisme. Apologie de l'auteur relativement à la légitimité de sa vocation tant à Genève qu'à Strasbourg. Remerciments au sujet des offres d'argent faites naguères, mais dont il n'usera pas.

(Bibliothèque impériale de Paris. Mss. français. Fonds Baluze 2391, fol. 18. — Crottet p. 58, Bonnet I. 19 et angl. I. 70.)

Monsieur, long temps a que nostre Seigneur m'avoit tellement faict sentir en moymesmes les exhortations et remonstrances qui sont en vostre lettre, que ie ne les eusse peu prendre que bien si ie ne voulois contredire a ma conscience. I'entens en ce que vous me exhortez, qu'en ce que nostre Seigneur a besoingné envers moy, ie prenne matiere et occasion de recognoistre mes faultes. Et ne me suis pas contenté de les reputer en moymesmes: mais, comme mon devoir estoit, ie n'ay faict difficulté de les confesser devant ceulx qui eussent esté plus contans de me iustifier que de penser qu'il y eust a redire en moy. Vray est que au regard de noz adversaires i'ay bien tousiours maintenu mon innocence, telle que ie povois la testifier devant Dieu. Pareillement ie n'ay pas tousiours accordé a ceulx qui asscoient iugemens temeraires. Comme la pluspart s'advance de determiner de l'espece de la maladie, n'en cognoissant pas la racine. Mais si n'ay ie pas laissé de dire ne en public ne en particulier qu'il nous falloit prendre ceste calamité comme en chastiement notable de nostre ignorance et autres vices qui en avoient mestier. Quelles sont mes faultes en particulier, combien que i'en appercoive[1]) beaucoup, i'estime[2]) bien toutesfois que ie ne voy les plus grosses ne le plus grand nombre. Pourtant ie prie le Seigneur qu'il me les vueille de iour en iour plus evidemment manifester. Celles que vous notez ne me sont point de mise. S'il estoit question de disputer de ma vocation, ie croy que vous n'avez pas telles raysons pour l'impugner, que le Seigneur ne m'en donne de plus fermes pour me confermer en icelle. Si elle vous est en doubte, ce m'est assez qu'elle me soit certaine: et non seulement cela, mais que ie la puisse approuver a ceulx qui vouldront submettre leurs censures a la verité. Vous ne me admonestez pas sans cause, quel mal c'est[3]) de se confier trop a son sens, car ie congnois ma portee telle, que ie ne scaurois si petit presumer de moy que ce ne soit trop. Mais ie desirerois que vous eussiez ceste opinion, que les plaintes que vous avez autrefois ouy de moy, ne venoient pas de feintise: lesquelles testifioient, qu'il s'en falloit beaucoup que ie feusse capable de soustenir la charge que i'avois.

Vous vous arrestez beaucoup a ce poinct qu'il y a dangier qu'il ne nous[4]) face mal de retracter avec quelque honte de legiereté, quand nous avons precipité[5]) nostre sentence devant le temps. De ma part comme i'entens bien que a bon droict ie doibs craindre que ceste folle ambition me soit un bandeau pour m'empescher de voir droictement: aussy d'autrepart i'espere que nostre Seigneur ne me lairra[6]) tumber en cest orgueil que pour avoir mon honneur entier, que m'obstine voluntairement contre sa verité. I'ay disputé[7]) de ceste matiere avec quelque personnage que cognoissez. Ie ne puis encores voir autre chose, que ce que i'en ay declaré. Ie ne scé si le tesmoingt qui y estoit present vous en auroit faict quelque rapport a travers champs, comme il a bonne coustume de renverser et brouisler.

Touchant de condamner autruy, ie suis con-

147. 1) qu'il en apparoisse C.
2) i'esmet C.
3) qu'il est mal B. C.
4) vous C.
5) precité C.
6) laissera B. C.
7) discute B. C.

trainct de vous dire ung mot qui ne vous plaira possible pas. Ie vouldrois que vous prinssiez une partie de ces exhortations pour vous. Car en appellant *tenebras lucem* en toute vostre lettre, vous condamnez ceulx qui cheminent plus droictement que tous les vostres en cest endroict. Ie n'entreré pas en dispute, pour ce aussi que ce n'est vostre intention. Mais ie vouldrois bien scavoir quelle equité c'est, qu'une personne face[8]) des arrestz en un cabinet pour condamner tous ceulx qui maintiennent iournellement leur doctrine devant tout le monde, et cependant estimer estre presumption a eulx d'oser condamner les ennemis manifestes de Dieu et de sa maiesté. Ie prens ce que vous dictes en ceste matiere comme procedant d'un bon cueur, mais ie l'attribue a un autre esperit que celluy de Dieu. Touchant de ma retraicte ie vous confesse que i'ay trouvé estrange le premier mot que vous en dictes. Chercher le moien de rentrer ou ie serois[9]) comme en un enfer? La terre est au Seigneur, direz vous. Il est vray. Mais ie vous prye de me permettre suivre la reigle de ma conscience laquelle ie scé estre plus certaine que la vostre. Quant est de reprendre charge, i'eusse bien desiré en estre creu.[10]) Et si ie ne eusse eu afere que a ceulx que vous pourriez[11]) estimer estre trop aspres et inconsiderez[12]) a mettre les gens en besoigne, ie m'en feusse encores aucunement despesché.[13]) Mais quand les plus moderez[14]) me menacent que le Seigneur me trouveroit aussi bien que Ionas, et quand ilz viennent iusques a ces parolles: *Finge tua unius culpa perditam ecclesiam: quae tamen*[15]) *melior poenitentiae ratio, quam ut te Domino totum exhibeas? Tu istis dotibus praeditus, qua conscientia oblatum ministerium repudies, etc....* Ie n'ay sceu que fere sinon de leur proposer[16]) mes raisons qui me desmouvoient a fin de suivre mon propoz avec leur consentement. Apres que cela n'a valu, i'ay pensé estre necessaire en telle perplexité de suivre ce que ie pensois m'estre monstré par les serviteurs de Dieu. Ie vous asseure bien que la solicitude du corps ne m'eust pas amené a ce poinct. Car i'avois bien deliberé tacher de gaigner ma vie en estat privé, ce que ie pensois ne m'estre du tout impossible. Mais i'ay iugé que la volunté de Dieu me menoit autre part. Si i'ay faillu ie vous pry me reprendre, mais que ce ne soit par simple et precise condamnation: a laquelle ie ne pourrois donner authorité contre tant de raison et tesmoignage de personnages qui ne me sont pas contemptibles, et ne le vous doivent estre.

Vous me faictes une offre dont ie ne vous puis assez remercier. Et ne suis pas tant inhumain que ie n'en sente la gratuité si grande, que mesmes ne l'acceptant point, ie ne pourrois iamais satisfere a l'obligation qui luy est deue de moy. Mais ie m'abstiendré de charger tant que possible me sera[17]) principalement vous, lequel avez eu trop de charge le temps passé. Pour le present, ma nourriture ne me couste rien. Aux necessitez qui sont oultre la bouche, fournira l'argent des livres.[18]) Car i'espere bien que nostre Seigneur m'en donnera[19]) d'autres au besoing. Si vous eussiez tellement adressé voz propoz a moy qu'il n'y eust eu note que sus ma personne, ie l'eusse facilement enduré. Mais d'autant que vous ne pardonnez a la verité de Dieu ne a ses serviteurs, il m'a esté necessaire de vous respondre en peu de parolles, a fin qu'il ne vous semblast advis que ie voulsisse vous accorder. Ie croy que vous avez estimé nostre affliction estre suffisante pour me mettre en perplexité extreme, iusques a despriser tout le precedant estat. Il est vray que i'ay esté grandement affligé, mais non pas iusques a dire: *Nescio ubi sint viae Domini.* Parquoy en vain ces tentations me sont obiectees.

L'un de noz[20]) compagnons[21]) est maintenant devant Dieu pour rendre compte de la cause qui luy a esté commune avec nous. Quand nous viendrons la, on cognoistra de quel costé aura esté la temerité ou escartement. C'est la ou i'appelle de la sentence de tous les sages, lesquelz pensent leur simple parolle avoir assez de poix pour nostre condamnation. La les Anges de Dieu rendront tesmoignage lesquelz sont schismatiques.

Apres m'estre humblement recommandé a vostre bonne grace, ie prieré nostre Seigneur qu'il vous vueille maintenir et conserver en sa saincte protection, vous dirigeant tellement que vous ne decliniez de sa voie. De Strasbourg, ce xx^e^ d'octobre.

Vostre humble serviteur et amy entierement

Charles d'espeville.

8) faire *C.*
9) suis *C.*
10) veu *C.*
11) pouviez *B. C.*
12) irresolus *C.*
13) dispensé *C.*
14) *Il s'agit de Bucer. Voyez aussi la préface du Comm. sur les Pseaulmes.*
15) tum *C.*
16) exposer *C.*
17) possible un chascung mais principalement *B. C.*
18) *Ses fonctions actuelles n'étaient donc pas encore rétribuées. Il était sans doute accueilli par quelqu'un de ses amis.*
19) que vous daignerez m'en donner (!) *B. C.*
20) mes *B. C.*
21) *Courant.*

148.

CALVINUS FARELLO.

Coraldi mortem deflet, iuvenem quendam qui nuper Argentoratum se contulit laudat, quid cum Sonerio egerit, cum magistratu et ministris certante, de schismate vitando quoad per conscientiam licuerit, fusius enarrat; amico prudentiam commendat in tractandis rebus et hominibus.

(Autographum exstat in Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 21 quod Beza hinc inde decurtatum inseruit Epistolis Genev. p. 10, Laus. p. 21, Hanov. p. 22, Chouet p. 9, Amst. p. 4. Versio anglica T. I. p. 75 textum impressum sequitur archetypo non inspecto.)

Gratia tibi et pax a Domino.

Coraldi morte [1]) ita sum consternatus, ut nullum ponere modum moerori possim. Nullae diurnae occupationes animum meum sic retinere queunt, ut non in eam semper cogitationem revolvatur. Miserrima diei tormenta excipiunt acerbiores cruciatus noctis. Non enim insomniis modo, quibus ex consuetudine obdurui, divexor, sed enecor etiam pervigiliis, quibus nihil valetudini meae magis adversum habeo. Praecipue vero animum meum configit illa indignitas, siquidem vera est suspicio, cui velim nolim cogor locum aliquem dare. Quo tandem recident posteri nostri, quum in ipsis exordiis talia portenta iam emergant? Quantum vereor ne scelus hoc magna aliqua ecclesiae clade brevi luatur. Ad haec non minimum est irae Dei indicium, in tanta bonorum paucitate, eo qui inter bonos postremus non erat ecclesiam orbari. Quid ergo aliud, mi frater, quam nostram calamitatem lugeamus? Quanquam neque validis solatiis deficimur. Magnum hoc est quod suo dolore et desiderio testantur omnes, quid de eius virtute ac integritate senserint. Sic enim ne in terris quidem latere patitur Dominus hostium nostrorum iniquitatem. Nec pilum eo exstincto lucri fecerunt: stat enim coram Domini tribunali testis et accusator eorum nequitiae, cuius vox clarius sonabit in eorum perniciem, quam si terram concuteret. Nos vero, quos ad tempus superstites reliquit Dominus, secure pergamus ea quam sequutus est via, donec cursum nostrum peregerimus. Quantaelibet obiiciantur difficultates, nos tamen non impedient, quominus perveniamus ad eam quietem in quam ille iam receptus est. Nisi haec spes nos retineret, quanta nos undique obsidet desperationis materia? sed quoniam manet veritas Domini firma et inconcussa, in specula nostra ad finem usque perstemus, donec appareat quod nunc absconditum est Domini regnum.

Miror [2]) bonum virum nullam sub extremum vitae edidisse lucem quae ad nos pertineret. De successore cogitate ipsi. Neminem enim hic habemus satis comparatum. *Michael* [3]) iam nobiscum est, de cuius probitate nihil non mihi spondere audeo. Conatus sum illi dissuadere modis omnibus, ne istam sibi vacationem sumeret in tanta laborandi necessitate. Sed ubi vidi illum manere in sententia obstinatum, nec defici rationibus, non potui ad extremum refragari. Mihi omnino vir bonus habetur. Et ea est sinceritate, ut mihi a fuco non timeam. Non adeo iudicii acumine pollet. Sed vitium hoc ex nimia benignitate provenire observo. Sic propensus est ad omnes amplexandos, ut plus multo interdum tribuat indignis quam par sit. Sic tamen rursus a vitiis abhorret, ut quos novit improbos nequaquam foveat. In timiditate etiam nonnihil peccat. Adeo enim vel minimas offensiunculas formidat, ut saepe de nihilo conturbetur. At peccatum hoc, ut magnae virtuti proximum est, veniam facilem meretur. Levitatis non est mihi suspectus. Nam si quid animo aut consilio vacillat, piorum sententiae mox acquiescit. Totus enim ab iis pendet quorum pietatem reveretur ac doctrinam. Et diligentius, quantisper hic erit, explorabo. Ipse cum *Gaspare, Henrico* et *Humberto* habitat. Habitationis sumptum ecclesiola nostra ex collationibus sustinebit, qui futurus est in singulas hebdomadas quinque batzorum. *Humberto* praeterea conflabimus aliquid unde vivat. Ex publico nihil dum erogatur alienigenis scholasticis. Nec in tanto rerum tumultu constitui posse ulla spes est.

Classicum enim iam cecinerunt adversarii clarigatione in Mindam pronunciata. [4]) Quoniam causa est religionis, omnes nostri necessario implicantur. Firmissimum et invictum nobis praesidium erit, si Dominus exercituum sua nos virtute tuebitur. Alioqui vix tantum est nostris roboris, quod ad propulsandos hostium impetus valeat. Ad unicum ergo illud asylum confugiamus, quod nunquam commovebitur, etiamsi universa concutiatur terra. Conventum non desinemus flagitare, donec fuerit impetratus. *Morandus* [5]) et *Marcurtius* coniecturam meam fefellerunt. Astutiora captantur a talibus architectis consilia, quam quae intelligere extemplo liceat. *Sonerius* alteram a nobis quaestionem discuti voluit, an liceat sibi ac similibus coenam Domini quum ex

---

148. 1) *obiit* 4. *Oct.* 1538 *Orbae.*

2) Miror . . . ulla spes est. *Haec omnia absunt ab editis.*

3) *Hic et tres alii infra nominati videntur Galli iuvenes fuisse Argentorati studiis incumbentes.*

4) *Sleidan II.* 134 *ed. Am Ende. Hortleder I.* 1289 *coll.* 1258. *Salig Concil. trid. I.* 153. 158.

5) Morandus . . . . . liceat. *Etiam haec a Beza suppressa.*

eorum manibus accipere, tum etiam cum tanta hominum colluvie participare. Mihi cum *Capitone* nihil fuit in hac re dissensionis. Summa haec fuit: Tantum debere inter Christianos esse odium schismatis, ut semper quoad licet refugiant. Tantam ministerii ac sacramentorum reverentiam esse oportere, ut ubicunque exstare haec cernunt, ecclesiam esse censeant. Quando igitur Domini permissu fit, ut per illos, qualescunque tandem sint, ecclesia administretur, si ecclesiae signa illic conspiciunt, satius fore si non se a communione alienent. Nec obest quod impura quaedam dogmata illic tradantur: reliquias enim ignorantiae vix ulla est ecclesia quae prorsus nullas retineat. Nobis sufficit, si doctrina qua ecclesia Christi fundatur, locum habeat atque obtineat. Nec illud nos remoratur, quod legitimus haberi pastor non debet, qui in locum veri ministri non tantum irrepserit fraudulenter, sed nefarie irruperit. Non enim est cur se privatorum unusquisque istis scrupulis implicet: sacramenta cum ecclesia communicant: per eorum manus sibi dispensari sustinent. Quos eum [6]) tenere locum intelligunt, iure an iniuria, quanquam ad ipsos pertinet, de eo tamen iudicium suspendere usque ad legitimam cognitionem possunt. Itaque etiam si eorum ministerio utantur, non tamen periculum erit, ne aut agnoscere, aut approbare, aut ullo pacto ratum habere videantur. Sed hoc usu patientiae suae testimonium reddunt, dum scilicet eos tolerant, quos servant [7]) solenni iudicio damnandos. Initio bonos fratres detrectasse nec mirum est, neque nobis displicet. In eo siquidem fervore animorum quem necesse fuit tunc ebullire, nihil aliud quam Christum scindere fuisset. Deinde ambigebant adhuc quorsum tempestas vergeret, quae tunc omnia permiscebat. Institit postea de se agere, sed tanta contentione, ut videretur nunquam desiturus, donec extorsisset quod petebat. Cur negaremus, erat manifesta ratio. Nam a ministro penes quem dispensatio est sacri huius mysterii, prudentia in delectu habendo requiritur. Ad hoc, non obscure approbat eorum ministerium, si quis eorum collegium non repudiet. Postremo quum huc quaestio recideret, satiusne foret cedere quam recusare, hoc dilemmate urgebamus: si officium rite faceret, primo quoque die sequuturum exsilium, [8]) si non faceret, flagitium esse quod nulla compensatione admitti fas esset. Verum quum admonitus fuisset a me firmius obtentum quaeri, facile praecidit quidquid illud erat. Experti sumus quam difficile sit eos moderari, qui inani sapientiae opinione desipiunt. Quum omnes tempus hoc alienissimum iudicarent tractandae fratrum causae, Dominus spem omnem superavit. Impetratum quidquid petiimus. Videbatur initio *Sonerius* aegre ferre, quod exigeretur confessionis formula: putabat hoc uno debere nostris satisfieri, quod a se edocti essent. Postea tamen non adeo reclamavit, atque etiam qualem conscripsi eorum nomine, sine controversia approbavit. [9])

Vereor ne tibi plurimum facessat negotii is cuius partes sunt te iuvare: sed patiendo tandem eluctaberis. Quaeso te, mi frater, in tanta temporum iniquitate, animum adiicias ad retinendos omnes, qui utcunque tolerabiles fuerint. De caeremoniolis effice apud fratres, ne eadem certent cum Ursinis [10]) pertinacia. Ita fiet ut omnia nostra sint, nos ab omnibus liberi, servi simus pacis et concordiae. Multa si praetereo quae necessaria erant, eo fit, quod literae tuae nondum a *Capitone*, cui legendas dederam, mihi redditae sunt. Dominus te servet, ac spiritus sui robore ad omnia sustinenda roboret, frater mihi in Domino dilectissime. Admonet tua pro me sollicitudo, ut tui curam vicissim tibi commendem. Valde enim attritum sibi te videri omnes narrant. Quaeso atque obsecro, mi frater, sic de aliis cogita, simul ut memineris quam sis ecclesiae Christi adhuc necessarius. Saluta millies mihi fratres omnes qui tecum sunt, *Viretum*, etiam *Franciscum* et *Iacobum* quum ad eos scribes. *Capito*, *Sturmius*, *Firmius* te peramice salvere iubent. Argentorati 24. Octobr. [11])

Leges quae invitum ac reluctantem scribere coegit *Sonerius* ad Genevenses. Intelligis quid celandum sit in his meis ad te literis. [12])

149.

CALVINUS FARELLO.

Qui occasione nuptiarum Grynaei congregari debuerat conventus Turicensium, Bernensium, aliorum, locum non habuit, pluribus Buceri de concordia cum Lutheranis ineunda satagentis industriam improbantibus.

6) enim *edd.*
7) sentiant *edd.*
8) exitum *edd.*

9) *Tota haec de Sonerio pericopa paulo obscurior. Fueruntne haec inter C. et ipsum per literas tractata an coram (Vide not. ult.)? De quanam loquitur confessione? Utrum de illa Genevensi, an de aliqua ab Argentoratensibus proposita, scilicet Sonerio ad eos se recepturo? Sic Ruchat,* V. 100. *Caeterum Genevam eum m. Decembre reliquisse iam supra diximus.*
10) *i. e. Bernatibus. Edd.* vicinis.
11) *Farellus add.* 1538.
12) *Hoc P. S. abest ab impressis. Innuit fortasse Ep. N.* 143.

Ipse morbo detentus non adfuit. Farello autor est ut in suo cum Bernensibus commercio cautius de Conzeno loquatur, et omnino circumspecte in omnibus agat. Genevae novi ministri experiuntur qualia non providerunt. Bucerus negotia ecclesiastica per Germaniam persequitur. Rationes C. cum Farello init de communibus impensis Basileae factis iuste dispertiendis.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 106, fol. 20 coll. c. apographis Cod 111, fol. 13. Arch. Bern. Epp. VII. p. 277. Simleri vol. 45 et vers. anglica Tom. I. p. 65.)

Carissimo fratri Farello Neocomensis ecclesiae ministro fideli. [1])

Gratia tibi et pax a Domino.

Ego vero magnopere gaudeo *Grynaei* nuptias sub id tempus incidisse quo te tot ac tam graves causae necessario domi retinerent. Neque enim is fuit conventus qui sperabatur et nostri post biduum redierunt. Scilicet subolfecerunt Tigurini quid agitaret *Grynaeus.* Itaque polliciti se adfuturos, ad diem dictum curarunt ut veniret sua excusatio. Postea quum propius urgerentur ad conventum eius spem omnino praeciderunt. Dolendum est bonos alioqui ac cordatos viros non maiore publicae pacis studio affici. Neque enim hoc illis curandum erat ut pia inter se conspiratione cohaererent, sed haec quoque cura pertinebat ad eorum officium ut aliis ecclesiis bene secum, ac sibi vicissim bene cum illis conveniret. Peccet sane *Lutherus*, a quo mihi non satisfieri ingenue ipse fateor. Sed quid tandem fiet si destinato studio certamus utri alteros peccando superent? Deinde *Bucero* sunt non mediocriter iniurii de quo nihil boni suspicari sustinent. Postremo ut omnibus causae partibus sint superiores, in actione tamen ipsa delinquunt. Cur enim coetus adeo reformidant? Si quid in *Bucero* reprehensione dignum vident, ubi convenientior eius admonendi locus? Sed ego haec frustra apud te, qui mecum ea deploras, corrigere non potes. Bernates, quin sperabant brevi conventum, magis putarunt expedire, si neque ipsi interessent nuptiis, ne quid seorsum agitasse viderentur. Itaque ipsi etiam excusarunt. Ego nisi in mortem proiicere me voluissem, eo tempore committere corpus itineri non potui. Corripuerat me pridie quam migrandum foret ita vehemens diarrhoea, ut intra diem unum prope confectus me aegerrime in quiete sustentarem. Bene ergo cecidit quod te non frustra fatigasti.

Colloquium quod narras [2]) tibi fuisse cum consule, omnino detrectandum non fuit. Quanquam ex eo parum me voluptatis cepisse fateor. Multa enim video mala quae inde timere, quid boni sperare debeamus non video. Idem in eius verbis animus quem hactenus experti sumus apparet. Aut enim insectatur, aut ubi non est graviori accusationi locus illudit suo more figurate, carpit ac mordet. Deinde istud parum caute abs te factum est, quod quum ad *Conzeni* mentionem ventum foret, impendio liberius stomachum tuum effudisti. Quantum vereor ne haec tua conquestio, utcunque iustissima sit, magnum nobis det incommodum. Alia tamen quae urebant hominis animum adeo non sine fructu excusata esse confido ut hoc quoque de *Conzeno* placidiore animo transmitti potuerit. Quod superest, si nos tres [3]) audis, ulterius posthac in ipso conveniendo perges, et quantum se dabit occasio in eius familiaritatem te insinuabis. Non poterit tam astute agere quin multa audias quae scire nostra retulerit. Ipse vicissim abs te audire multa cogetur, quibus animus eius vel emolliatur aliquantum, vel frangatur. Quid dicendum sit aut tacendum, quae cuiusque rei tractandae ratio, ridiculus sim si admoneam. Ipse ex longo et interiori usu nosti hominis ingenium. Optima causae nostrae defensio in veritate posita est, a qua si abducere te coner, nihil efficiam. Si Dominum credimus innocentiae vindicem, quando non destituimur apud eum optimo conscientiae testimonio, hoc unico praesidio contenti simus: nunquam enim consulam ut obliquas artes captemus, quae sunt in malis causis subterfugia. Tantum ne a nobis negligantur opportunitates, quae a coepto sincere agendi cursu nihil nos impediant. Ut rationem nostri seponamus, magno tamen lucro apponendum fuerit, talem virum plurimis Christi servis restituisse, a quibus eum magno ecclesiae incommodo falsae improborum delationes alienarunt. Denique, ut illum nec tibi nec illis plane concilies, hoc tamen ipsum conducet, si te amicum exhibueris. De *Conzeno* mirum quam belle polliceatur etiamnum *Sulzerus.* Scribit enim non esse dubitandum quin libenter iam in conventum sit consensurus ac sequestris causam permissurus, ut in solidam concordiam redeatur. Hoc mihi in actione *Buceri* displicet, quod nimia rigiditate nos peccasse confitetur. Tum subiungit: sed ubi meliores? ubi doctiores? etc. Mallem parcius laudaret, sine ulla vitii nota, ne hanc ille solam arripiat in qua videatur sibi habere victoriam.

Exspecto ex literis tuis proximis longam historiam eorum quae in conventu vestro tum agitata tum etiam transacta fuerunt. Laetissimus audirem aliquid receptum, quod ad formandam ecclesiam fa-

149. 1) *Farellus adscripsit:* mense Octobri 1538.
2) *N.* 145, *not.* 14.

3) *Calvinum puta*, *Bucerum et Capitonem. B. C. legisse videtur* nostros (our friends).

ceret. Nostri[4]) in disciplinae instaurationem magno conatu sed dissimulanter incumbere pergunt, ne si intelligant improbi, inter ipsa principia impedimentum afferant. Si quis tolerabilis ordo constitutus hic fuerit, bonam eius ad vos traducendi viam prospicio, si communi fratrum deliberatione primo conventu petatur. Sed hoc dispicietur ante annum vertentem. Spes enim nulla maturioris successus se mihi ostendit. Nam si conventus post hyemem impetrabitur, cuius spem nobis fecerunt illae *Sulzeri* literae, aliis rebus destinabitur. Nisi forte a concordia ad ecclesiasticum ordinem transitus fiet.

Videor mihi subolfacere quae causa *Morandum* et *Marcurtium* Bernam traxerit. Quia experiuntur quod non providerunt,[5]) ut se citra levitatis notam liberent causabuntur nimiam erga se malignitatem eorum qui causam nostram fovent. Simul tamen, nisi fallor opinione, stringent stylum suae accusationis in totam Genevatium nationem. Ita novam sibi sedem quaerere necesse habebunt. Faxit Dominus ut alio quovis se potius exonerent quam in vestram viciniam. Si haberemus hic idoneos qui possent accessu tales pestes arcere, ego potius mea manu illuc usque truderem, quam vos obiicerem tanto periculo quantum imminere vobis cerno, si ad vos irruperint. Nos primum in ecclesiola nostra coenam secundum loci ritum celebravimus, quam singulis mensibus instituimus repetere.[6]) *Capito* et *Bucerus* te ac fratres omnes nostros iusserant amicissime suo nomine resalutari, quorum hic longam atque hoc tempore anni molestissimam suscepit profectionem. Ad *Landgravium* concessit, illinc in Saxoniam usque perrecturus. Cum *Landgravio,* civitatibus quibusdam liberis, *Luthero* et Saxonibus causam habet tractandam de bonis ecclesiasticis, quae cupiunt revocare in legitimum usum. Dedi ei ad *Philippum*[7]) literas, quibus rogavi ut me certiorem suae sententiae faceret. Articulos duodecim addidi, quos si mihi concedat, nihil ultra possim ab ipso aut *Luthero* hac in re exigere. Si quid accipiam responsi tecum mox communicabo. Adeo festinanter scripsi ut retinendi exemplaris facultas non fuerit. Germania rerum novarum exspectatione trepidat. Si de ducatu Gueldrensi[8]) armis decernetur cum duce Clivensi, periculum est ne nostri in causam oblique pertrahantur. Quis nobis calculus cum *Oporino* fuerit, ex eius literis intelliges. *Grynaei* mens fuit, ne vinum in rationem veniret, quod a se sumpseramus.[9]) Ego tamen quum vidi *Oporinum* sponte non eo inclinare hiscere nolui. Tu septem hebdomadas et biduum apud eum vixisti, ego menses duos et circiter duodecim dies.[10]) Quod[11]) citra notabilem tuam iacturam factum iri puto, sic partiemur. Ego quinque coronatos, tu quatuor solves. Octo coronatos dederamus a *Balthasare.*[12]) Unum qui ex communi pecunia restabat. Tu sex de tuo numeraveras, ego unum. Ita abs te profecti erant decem ac dimidius. Recepisti per fratris manus quinque. Quatuor impensi sunt in victum. Sesquicoronatum adhuc debeo, quem solvam simul atque licuerit. Hic, nisi velim fratribus esse oneri, de meo vivendum erit. Antea tibi tres florenos et dimidium debebam. E qua summa subducendum erit quod equi domino pretium locationis persolvi ac dimidium eius quod numeravi matronae a qua lectum habueramus. Sunt[13]) autem solidi basilienses plus minus viginti. Equus enim sedecim solidis ac dimidio constitit. Quos in nepotem tuum sumptus feceram recepi, exceptis solidis circiter decem, quos missurus erat mihi *Claudius.* Erat enim abunde, unde summam tantulam conficeret. Nescio quid obstiterit. Id dico ne me existimes nihil recepisse. Vale, frater mihi dilectissime, cum fratribus nostris omnibus, quos tecum Dominus servet incolumes.[14])

Tuus Calvinus.

Sed quid de ludicro bombardarum certamine audio? quod in ludibrium totius viciniae ursum[15]) esse narrant. Quanta, obsecro, impudentia? Scilicet non satis ubique odiosi sunt, nisi novam ex qualibet stultitia materiam captent. Sic Dominus hostes suos vel in frivolis ac nihili rebus excaecat.

Migrabo intra biduum ad aedes *Buceri.*[16])

Has literas servavi decem dies dum non offertur nuncius.

---

4) *scil. Galli Argentoratenses.*

5) *scil. se unanimi omnium favore exceptum iri. Factio calviniana iam tum varia moliebatur et Genevae et Bernae cf. Kampschulte I.* 347 *seq.*

6) *Zwickius Bullingero* 9. *Nov.* 1538.

7) *Melanchtonem. Deperditae sunt sicut et duodecim articuli illi de quibus mox.*

8) *Ranke, deutsche Gesch. im Zeitalter der Ref. IV.* 141. *Ed.* 3.

9) because he had bestowed it himself.

10) *Quum fere constet C. et F. initio mensis Iunii Basileam venisse, sequeretur medio mensis Augusti illum iam concessisse Argentoratum. Sed notes oportet illum non de statione sua Basileensi computum inire, verum de tempore quo apud Oporinum commoratus fuit, cuius neque initium neque finem novimus.*

11) which I think will amount to less than the heavy expense which you anticipated.

12) Balthazar had given us eight crowns?

13) I have.

14) *Farellus addidit:* Argen. mense Octob. 1538.

15) *Cod.* 111 *etc.* versum.

16) *Haec et sequentia in tergo chartae.*

150.

FAREL AUX GENEVOIS.

Malgré les tristes expériences qu'il a faites chez eux, il leur a adressé de Bâle des paroles de paix, dont quelques uns ont profité pour le calomnier encore comme fomentant des discordes. Il proteste donc derechef de son éloignement de tout désir d'exciter les uns contre les autres, et de son désir de cimenter parmi eux la bonne harmonie. Il ne veut ni se créer un parti, ni se défendre contre des attaques aussi puériles qu'odieuses. Il réitère les exhortations de ses précédentes missives et annonce la mort de Couraut ainsi que l'arrivée de Calvin à Strasbourg.

(Archives de Genève. Pièces historiques N. 1206. Copie.)

La grace paix et misericorde de Dieu nostre bon pere par son seul filz Iesus nostre seigneur en la vertu du sainct esperit habitant en vous soit sur vous tous mes treschers freres en nostre seigneur affin que puissiez plainement desponiller toutes affections et purement suyvre la saincte parolle Evangelicque surmontant vous mesmes et vous vaincquans pour estre subgectz a Dieu.

ia cy dessus ie l'ay touché, appellé *tenebras lucem*, ne pour cela condamné en toute ma lettre personne quelconque en ce qu'il chemine bien droictement, [16]) et n'ay point par iniquité faict des arretz en un cabinet pour condamner tous ceulx qui maintiennent iournellement leur doctrine devant tout le monde en estimant ce pendant estre presumption a eulx d'oser condamner les ennemis manifestes de Dieu et de sa maiesté. Car il ne se peult dire a la verité, selon le iugement mesme des principaulx et plus clair voians d'entre les vostres que ie n'aie en cecy la lumiere et vous les tenebres, et si vous cuidez, vous et ceulx qui faillent en cecy comme vous, y cheminer bien droictement, vostre cuider ne faict pas qu'il soit ainsi. Si dieu aussi ne m'a encores remis en lieu ou i'aie a enseigner en public et ne m'a donné les graces si propres a le povoir fere comme a vous, il ne s'en ensuit pourtant que ie ne puisse en mon privé voir et iuger quelque chose de sa verité touchant vous et autres qui enseignez tous les iours publiquement, et que ie ne le puisse dire ou escripre quand occasion s'en presente ou est besoing, et en le faisant ie ne fays point des arrestz de moy mesmes, mais prononce seulement celluy que verité a faict [17]) qui n'en est pas moins pour estre par moy prononcé ou escript en cabinet que s'il estoit de tout chanté et proclamé en tous les lieux publicqs du monde. Si ie vouloie ie dirois bien que c'est devant ceulx a la plus grand part ou aux principaulx desquelz vous scavez que vostre doctrine est agreable, non pas ailleurs, que vous la maintenez. Car vous avez abandonné vostre nation pour ce que vous ne l'y avez osé divulguer et maintenir publiquement: mais pource que i'approuve beaucoup de choses qui sont en vostre doctrine, et vous loue et estime de la maintenir en ceste part, combien que aussi il y en a beaucoup que ie ne puis approuver, il me suffit de dire que, commant que vous la mainteniez et la maintissiez vous en presence de tous les vivans iusques a en mourir, toutesfois comme cela ne la scauroit fere en tout estre vraie et certaine, aussi vous ne devez trouver inique que ce que i'y ay veu estre reprehensible, ie vous aie declaré en la façon que i'ay faict. Il n'est pas dict qu'une personne preschant sa doctrine publiquement ne puisse faillir et que qui le cognoist ne le luy puisse dire en privé par bonne equité. Que i'aie estimé ou estime estre presumption a vous d'oser condamner les ennemis manifestes de Dieu et de sa maiesté, ma lettre ne vous a donné iuste occasion de le dire. Car, en icelle mesure, ie vous declare que ce que disois n'estoit pour approuver aucun mal ou abuz qui se fist es eglises desquelles ie parlois. Et ne vous desprise point, mais aime et loue grandement de ce en quoy par raison vous reprenez et condamnez ceulx qui commettent abuz ou impieté en celles eglises. Lesquelz ie confesse estre a reputer ennemis manifestes de Dieu et de sa maiesté es choses esquelles ilz font manifeste abuz ou impieté, mais non pas en ce qu'ilz ont neantmoins de commun avec l'eglise de Dieu pourtant qu'elle les endure ou supporte. Car en cest endroict il les fault selon mon iugement endurer et supporter avec elle et les tenir au rang ou elle les tient en tout ce qui peult estre de Dieu. Vous avez bien faict de prendre comme procedant de bon cueur tout ce que vous avois escript touchant ce que n'estimez les eglises de ces pais cy eglises de Dieu et que y condamnez plusieurs choses qui de soy ne sont a condamner. Car certainement ie ne l'avois escript d'autre cueur. Mais s'il est procedé de bon cueur et est conforme a la verité de Dieu, comme les principaulx mesmes des vostres (ainsi que i'ay desia dict) iugeront qu'il est, voiez s'il se doibt attribuer a autre esperit que celluy de Dieu.

De vostre retraicte par deca, quoy que vous aiez trouvé estrange ce que vous en ay escript, toutesfois ie ne l'ay aussi faict que de bon cueur envers vous. Mais puisque vous estimeriez y estre comme en un enfer, ie ne vous conseille d'y venir tant qu'en aurez ceste opinion. Si ne lairré ie pourtant de tousiours souhaister qu'il se peust fere que vous y vinssiez en suivant la regle de vostre conscience aussi bien informee que ie desire que la mienne le soit. Car ie suis content de ne vous rien respondre a ce que vous dictes scavoir la reigle de vostre conscience estre plus certaine que la mienne si non que de ma part ie scé que suis bien ignorant et imperfect, mais ie desire que ne ma conscience ne la vostre prenne certitude de reigle qui ne soit en la verité de Dieu. Vous eussiez peu user de l'offre que vous avois faict qui me feust venu a plaisir non a charge, aussi bien que ie ne me suis iamais par cydevant sentu chargé de vous, et ne le me sentiré estre Dieu aidant si quelque fois il advient que vueilliez user d'icelluy mien offre ainsi que le vous ay faict. De vous adresser tellement mes propoz que i'eusse noté vostre personne seule comme pour vous reprocher quelque vice procedant du corps, ie n'en ay eu ne volunté ne occasion, mais si ie vous ay reprins en quelque chose de vostre opinion et de vice de vostre esperit, encores que vous l'aiez commun avec autres, ie n'ay pourtant (comme desia dessus a esté dict) couru sus a la verité de Dieu, ne a ses serviteurs. Car la verité de Dieu n'est pas pour tel vice et ceulx qui l'ont ne sont en cela serviteurs de Dieu.

Que ie aie estimé vostre affliction estre suffisante pour vous mettre en perplexité extreme iusques

16) directement *C.*
17) celluy que estime *C.*

a despriser tout le precedant estat, certes i'ay bien estimé vostre affliction grande et telle qu'elle vous a deu mouvoir a recognoistre voz faultes et vous fere penser si n'en aviez point lesquelles ne vous feussent encores cogneues, mais ie n'ay pourtant estimé qu'elle vous deust fere despriser rien de vostre precedant estat, sinon en tant que l'eussiez cogneu n'estre de Dieu. Et si vous n'avez esté affligé iusques a dire: *Nescio ubi sint viae Domini*, aussi n'ay ie pensé que vostre affliction vous ait deu rien fere perdre de la cognoissance des voies de nostre Séigneur, puis que au contraire i'ay pensé qu'elle vous a deu servir a mieulx les vous fere scavoir et cognoistre. Mais si elle ne vous a proffité a ce qu'aviez cogneu qu'en quelque endroict vous esties ou aviez cheminé hors des voies du Seigneur, si n'est ce pas pourtant chose indigne d'un bon Chrestian, ne qui doive estre trouvee estrange ou impossible qui luy advienne aucunes fois pour les afflictions et corrections qu'il recoit, de se recognoistre ne avoir en quelque endroict ne sceu ne suivy les voies du Seigneur. Ma conscience aussi me testifie assez que, quelque chose que vous aie escript ne quelque offre que vous aie faict rien n'en a esté pour vous obiecter tentation, mais tout a esté pour vous donner occasion de bien vous examiner selon Dieu, et pour obvier a ce que nulle tentation ne vous peust destourner de bien iuger et vouloir suivre ce que a cause de vostre affliction, par advanture vous pourriez cognoistre estre de luy.

Ie ne parleré point de vostre compagnon qui a comparu devant Dieu et lequel ie laisse a absouldre ou condamner a Dieu, si non que pour la pieté que i'ay veue en luy, ie veulx bien esperer que le Seigneur l'aura prins en sa misericorde. Mais ie ne refuse pas sur le differant que nous avons le iugement de Dieu qui sera au dernier iour, non pas que ce pendant l'esperit du Seigneur *qui omnia scrutatur et profunda Dei* [18]) ne le puisse autant certainement iuger aujourduy par ceulx qu'il luy plaist, mais pource que, si ne voulez approuver le iugement que Dieu faict par ceulx cy et le voulez combatre mettant en doubte ou desniant qu'ilz aient l'esperit de Dieu [19]) et qu'ilz iugent par luy, vous ne pourrez desnier l'autre dernier manifeste et universel iugement de Dieu, ne luy resister ou l'eviter. La vraiement sera cogneu ou il y aura eu temerité ou escartement. La comme toute sentence des sages de ce monde qui pensent leur parolle avoir assez de poix pour condamner rien de Dieu sera renversee, aussi toute sentence de ceulx qui aians la crainte de Dieu auront iugé en sa parolle sans rien presumer de leur sens cognoissance ou scavoir, quoy qu'ils aient esté ignorans petis et contemptibles en ce monde, sera confermee et ratifiee. La vraiement les Anges rendront tesmoignage d'un chascun comme il appartiendra. Si vous avez quelque craincte de Dieu (comme ie croy) et si povez estimer que i'en aie, advisez, ie vous pry, de considerer d'autre esperit que n'avez encores faict ce qui touche nostre diversité et pensez de vous ce que vous voulez et est raison que les autres pensent d'eulxmesmes. S'il vous est aussi demouré quelque scintille d'amitié envers moy que me vueilliez escripre, ie vous pry, ne me celez pas rien de ce que penserez selon Dieu me devoir escripre: mais faictes le de sorte que ce ne soit par contention et que ne bailliez occasion de penser que colere et presumption avec envie de trop vous iustifier devant les hommes le vous face fere. Que si vous ne povez user de ceste modestie et temperance, vous me ferez (iusques a ce que nostre Seigneur nous donne povoir mieulx accorder ensemble) beaucoup de plaisir de ne m'escripre point, au moins de tel propoz, comme aussi ie ne vous en escripré de ma part. Car au lieu d'en tirer proffit ou consolation, nous n'en rapporterions que malcontentement et regret. Mais ne laissez pourtant d'estre asseuré que ie desire et desireré tousiours, Dieu aydant, vostre bien et salut comme le mien, et feré toute ma vie pour vous a ceste fin comme ie vouldrois estre faict pour moy.

En me recommandant a vous bien humblement et affectueusement ie supply nostre Seigneur qu'il nous vueille tellement reduire et conduire tousiours en ses voies que nous soions finalement recenz en sa gloire comme ses eleuz. Amen. De Paris ce unieme de Decembre.

Celluy qui tousiours desire vous estre amy et frere en Christ.

De Haultmont.

18) Dei om. C.
19) mettant . . . . l'esperit de Dieu om. C.

154.

FARELLUS CALVINO.

Conzeni animus mutatus. Sonerius in magno discrimine versatur, et se dimissum iri exspectat. Neocomi res tolerabiles. Viretus novus maritus laborum mole obruitur. Pii in Gallia in vinculis crudelissime habiti.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Ep. Farelli fascic. I. N. 36.)

Suo Calvino quam carissimo in Domino Argentorati.

S. Scripsi et multis, nec puto aliquid superesse, nisi forte post abitionem nuncii literas *Conzeni* exciperem, quibus testatur gratissimas meas fuisse respondetque amicissime. *Zebedaeus*[1]) sancte affirmat vultum, vocem, gestum et quidquid erat in homine miro propensum in nos animum prae se ferre, idque certe credo. Sed quanto felicius literae ceciderunt apud *Conzenum*, tanto infelicius apud *Paderium*. Egi apud *Viretum* ut urgeret negotium, et nunc apud *Grynaeum* ago. Istic non est quod adnitar quum sciam, rem cordi esse quam maxime, ac rursus te praesente quis alium velit hortatorem? Sed res supra quam credi potest maturam expetit actionem: quo plus differtur, eo plus malorum secum affert. *Sonerius* miserrime dilaniatur. Tuae literae ipsi plurimum obfuerunt. Varie a variis acceptae. Sed habes fratrem a quo omnia: nimirum tandem indicatum, et id satis clare, migrandum sibi fore a Gymnasio, nescio an ex urbe.[2]) Sic potes intelligere quam sint dissipanda, imo dissipata omnia. Mederi qua possit via, novit Dominus: tamen piorum est modis omnibus contendere, tum precibus tum alias. Non dubito te tuo in re hac fungi officio. Quod ut instantius perficias rogo. Nos omnia impetrasse apud senatum, puto te intelligere. Sed id superest ut fiat. Coenas celebravimus duas, alteram die dominica, alteram die nativitatis, neutram eo qui decet ordine, nec reverentia et honestate. Priorem ego dominico, quae famulis porrigebatur, quae paulo fuit compositior secunda. Sic fuit miser populus formatus ut redire non possit. Pestes quae nos vexant ac turbant anathemate sunt percussae. *Capunculus* quid diceret nesciebat. Sunt et pauci non per ostium ingressi. Causam Domino committimus. Quam est necessarium ecclesiam restitui, ut addecet, doctrina et disciplina. *Zebedaeus* admissus fuit in pastorem Orbanum. *Comes* iam Bernae egit mensem.[3]). *Viretus* solus totum Lausannae nunc onus gestat. Legit et concionatur in dies. Sic feriatur in primo anno suarum nuptiarum.[4]) Liberatus est nuper vinctus qui tristem egit vitam pane tantum et modica sustentatus aqua. Tantam fert esse inhumanitatem ut nisi post secundam post meridiem ieiunium non frangant: parcissime datur aqua, panis adhuc parcius. Mirum omnes non perire. Servat suos Dominus. Vix posset quis referre ut agatur cum *Ludovico* Gratianopoli. Scis quamdiu egerit in vinculis ob literas imprudenter redditas. Sunt et alii non pauci. Quae vel saxea frangi pectora tanta miserorum calamitate debeant? Qui possunt christiani censeri qui non afficiantur, ac patrem orent, ac pro viribus non iuvent ita omni humano destitutos auxilio? Ages pro viribus ut ipsis succurratur. Sonerius multa refert se impetrasse: quod et alias dicebat, verum nihil experimur. Dominus suis adsit. Vale bene ac salvere iubeto omnes, *Capitonem*, *Bucerum*, *Sturmium*, *Firmum*, *Machartum*, *Staynerum*, *Casparem*, et alios quos optarem festinare ad opus Domini. Neocomi 27. Decembris 1539.[5])

Farellus tuus.

154. 1) *Andreas Zebedaeus ex Flandria oriundus, pastor Orbae nuper admissus, Conzeni literas Farello attulisse videtur. De eo vide Mém. de Pierrefleur p.* 186.

2) *Sonerius revera a Senatu sub finem Decembris* 1538 *munere abdicatus et urbe pulsus fuit.*

3) *Beatus Comte pastor Lausannensis apud Senatum Bernensem accusatus aliquod tempus in vinculis egit, sed causa cognita mense Augusto* 1539 *honorifice restitutus est. A.* 1546 *munere se abdicavit et studiis se dedit medicis. Ruchat, V.* 122, 297. *Caeterum de illa captivitate hic loqui Farellum, affirmare non ausimus. Vide infra N.* 183.

4) *Hoc ipso anno* 1538 *duxerat Elisabetam Tortas Orbanam quae obiit a.* 1546.

5) *Quum iam ex supra dictis evidentissime appareat hanc epistolam a.* 1538 *fuisse scriptam, hic satis habemus monuisse tum temporis novum annum a natalibus Domini auspicandi morem obtinuisse apud plerosque.*

155.

LES MINISTRES DE GENEVE AU SÉNAT.

Ils se plaignent d'être en butte à des calomnies de la part de gens qui les traitent d'infidèles et de papistes. Ces calomnies ayant trouvé de l'écho jusque dans le sein du Conseil, ils demandent des explications, ils exigent qu'on les mette en présence de ceux qui les accusent et finalement ils offrent leur démission.

(Archives de Genève. Pièces historiques. — Ruchat, V. 512 et suiv.)

Magnifiques Seigneurs, nous avons tousiours estime que fussiez certains de la fidelite de nous en nostre ministere evangelique et que ne vouldrions iamais dire ne prescher chose aulcune que ne fussions bien certains qu'elle seroit reglee par la parolle de Dieu. Et ce pensions nous tant parce que les magnifiques Seigneurs de Berne vos bons amys et combourgeois nous avoient reputez et reputent telz ainsy que bien avoient cogneu, et a la verite telz sommes nous. Que par ce aussy qu'a ceste fin avons este demandez par vos seigneuries. Nous

avons pareillement pense et iuge que vous entendissiez asses le bon vouloir que nous avons pour vous faire service et a vostre republique, parce que sans aulcun regard de ce que nous laissions, mesme estant bien asseurez que nous aurions beaucoup de labeurs, sommes venuz a vous par le bon consentement des magnifiques seigneurs ausquelz nous estions et nous sommes entierement efforcez selon le debvoir de nostre office de reduyre vostre peuple a bonne paix et union, auquel certes avons trouve affections trop particulieres et dommageables non seulement au cours de levangile, mais aussy a la conservation et entretenement de vostre ville et republique. Or nous sommes presentement certains que nostre fidelite et leaulte en nostre ministere et nostre bon vouloir vers vous et vostre republique n'est ne n'a este par grand nombre de gens ainsy receu quil debvoit: ains avons este et sommes iournellement reputez pour infideles papistes et corrupteurs de lescripture et pour telz qui vouldrions decepvoir vostre peuple, qui nous est chose trop dure a porter. Cecy savons nous pour certain parce que plusieurs, mandez devant vos Seigneuries pour rendre raison de ce quil vous plairait les interroguer, ont reiecte toute leur faulte sur nous, tant pour nos personnes en particulier que pour nostre ministere. Ainsy sommes a tort blasmez non point en nostre presence seulement, mais en la vostre et de vostre noble conseil, reiectant comment dict sur nous toutes leurs faultes et insolences lesquelles sont plusieurs et grandes. Ces choses considerees et que liniure ne tourne point sur nous tant seulement mais aussy et plustost sur vous et vos ordonnances et mesme de toute la reformation des eglises de la Germanie et signantement de leglise de Berne a laquelle conformement avez faict ordonnance pour la vostre: et nous conformement a leur doctrine qui est purement evangelique avons presche et preschons a vostre peuple, estans certains par la parolle de Dieu que ce que nous enseignons est tres veritable, et neantmoins que nostre ministere nest point seulement inutile mais aussi tourne en contemnement et mocquerie. Et davantage que vostre ville et republique a raison de telles partialites tournerait en dangier trop apparent, et que noz personnes aussy ne seroient en seurete au millieu de tant de malvueillans, ce que ne priserions pas beaucoup attendu quil ne viendroit aulcun fruict ou ediffication. Donc humblement vous supplions, magnifiques Seigneurs, prenans toutes choses en bonne part et comme procedantes de tresbon cueur envers vous et vostre republique, quil vous plaise commander que les causes et raisons pour lesquelles nous avons este et nostre ministere blasmez devant vos Excellences nous soyent baillees par escript et signees par monsieur vostre Secretaire et que les noms de ceulx qui auroient porte telles parolles soyent enregistrez par devers vous pour y pourveoir comme de raison. Oultreplus supplions humblement vous vouloir contenter de si peu de service que nous avons peu faire a vous et a vostre peuple, vous certifians quil a este droict et fidelle et partant dun bon et veritable cueur. Et pour ladvenir quil vous plaise si vous voyez que bon soit vous pourveoir daultres ministres ausquelz Dieu doint la grace de bien perseverer que en grands labeurs nous avons bien continue. Car nous ne porrions plus faire fruictz en ce lieu telz que desirons, estant les choses en tel desordre. Et toutesfoys ne vous entendons point laisser si aultrement ne vous plaist, iusqua ce que vous soyez pourveuz daultres, qui sera en tel temps quil vous plaira nous ordonner et signifier: promettans neantmoings que en tout temps et lieu ou nous serions que nous demeurerons vos bons et feaux serviteurs et amys et de vostre noble ville et cite. Et pour la fin nous prions quil vos plaise avoir regard a toutes choses, faisans diligence de pourveoir partout selon vostre grande sagesse prudence et vertu. [1]) Le dernier iour de decembre 1538.

Iehan Morand.
Anthoine de Marcourt.
Iacques Bernard.
Henry de la Mar.

155. 1) *Pour plus de détails historiques voyez Ruchat, V. 100. Kampschulte I. 349 s.*

MDXXXIX.

156.

CALVINUS PIGNAEO.

Catechismi correctionem ei denuo commendat. Epistolam nuper Genevensibus scriptam a quibusdam male acceptam dolet, in sententia tamen sua perseverat, schisma quamdiu honeste et pie fieri possit vitandum. Cuius sententiae Farello et Zebedaeo nuper expositae argumenta subiicit.

(Archiv. Genev. fasc. 1203. Apographa recentiora exstant in bibl. Genev. Cod. 111, f. 15. Archiv. Bern. Epp. T. VII. p. 286. Simler Vol. 46.)

Optimo fratri Antonio Pignaeo Veliensis ecclesiae ministro.

Gratia Domini tecum. Satis nunc non esse ad scribendum otii non simulabo, quo modo me tibi excusem, sed nescio quo tactus fastidio animus a longiori scriptione abhorret. Quoniam literae tuae postremae nihil habebant, quod responsum desideret, illas praeteribo, nisi quod obiter abs te flagitare pergam, ut in operis nostri [1]) correctionem diligenter sis intentus, vel ut diligentiam tuam, si ultro per se incitata est, magis etiamnum acuam, vel ut securitatem tuam, si qua tibi obrepit, expergefaciam. Caeterum mihi aliunde scribitur vehementer offensos fuisse nonnullos argumento epistolae, [2]) qua fratres Genevenses a schismate dehortabar, interim dum ratio excogitatur, qua misera illa ecclesia utcunque instaurari queat.

Exposuerat mihi *Sonerius* nefas illis videri, si coenam Domini cum sceleratis participarent, aut a pravis ministris susciperent. Ego, quia superstitiosa cruciatione putabam illigari eorum conscientias, eximere volui scrupulos omnes quibus impediri apparebat. Nunc intelligo quid obstiterit quominus ea qua decuit aequitate exceptae fuerint literae: praeterquam enim quod minus autoritatis illis deferunt, ut *Sonerii* vel blanditiis illicitas, vel importunitate extortas suspicantur. Nihil etiam ferre possunt quod non respondeat suo fervori. Atqui potius hoc studendum nobis est, ut fervorem nostrum ad verbi divini regulam moderemur, quam ut illum sinentes sine modo evagari, ad illius intemperiem omnia exigamus. Sententiam porro meam *Zebedaeo*, qui eam sibi displicere indicaverat, confirmavi. *Farello* etiam quantum licuit conatus sum non modo satisfacere, sed etiam persuadere ut suum calculum apud fratres adderet. Interim me nihil scripturum sum pollicitus, ne apud aures parum propitias frustra verba perderem. Tibi vero tribus verbis non pigebit expedire, cur ita eos docuerim.

Primum quum de ecclesiae communione quaeritur, non semper in quamlibet respicimus communionem. Fateor illic demum legitimam exstare ecclesiae faciem, ubi spiritus Christi ita regnat, ut nihil inde exeat nisi purum ac sanctum. Inde autem dico, non quod nullis morbis ac vitiis membra eius laborent, sed corpus ipsum suam semper sanitatem retinet. Cum eiusmodi ecclesia sic est communicandum, ut eius reverearis iudicium, perinde ac profectum e Dei tribunali, eius autoritati obtemperes, perinde ac si delapsa e coelo reciperes oracula. Nam qui non audierit ablegandus est ad ethnicos et publicanos. Verum saepe evenit, ut hac Christi gratia spolietur aliqua hominum multitudo, quum tamen non omnes auferantur ecclesiae dotes.

Baptismus ut ecclesiae sacramentum est, nusquam nisi in ecclesia potest administrari. Atqui baptismo sumus initiati apud eos qui ab evangelio Domini ad idololatriam et omne superstitionum genus defecerant. Aut ergo vanum fuisse baptismum nostrum oportet, aut aliquid ecclesiae relinquamus necesse est, ubi non omnes ecclesiae partes apparent. Et cur non? Atqui alios agnoscendae ecclesiae mo-

156. 1) *N.* 144, *not.* 20.
2) *N.* 143.

dos, qui ad praesentem causam nihil pertinent, omittamus. Agendum mihi fuit cum fratribus quae esset iusta ratio sacramenta Domini participandi: pro confesso assumo extra ecclesiam non esse eorum usum, ut ipsorum dispensationem Dominus illic deposuit. Rursus nec illud negari potest, esse piam sacramentorum participationem ubi est ecclesia. Nunc danda est ecclesiae definitio, quae praesenti argumento conveniat. Dico igitur illic esse ecclesiam, ubi praedicatur doctrina qua velut fundamento suffulta sustinetur. Utcunque etiam naevis aspersa sit praedicatio, mihi satis est salvam et illibatam habere fundamentalem doctrinam, quantum ad stabiliendum ecclesiae nomen. Si ecclesiam mihi Genevae concedis, quid fideles prohibebit, quominus sacramenta Domini participent? At ego palam sacrilegium potius fore quam sacramentum pronunciavi, si coenam Domini distribuerem inter eos: nec certe aliud nunc vel sentio vel loquor. At huius sceleris rei sunt cum ministris tantum ii qui indigni accedunt: nam quum illis commissa sit dispensatio, fidem ac prudentiam adhibere debent, ne promiscue sacrum Domini mysterium exponendo profanent. Hi, quia non discernunt corpus Domini, damnationem sibi suam manducant. Piis vero quale datur mandatum? Nempe ut se quisque probet, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui ergo puram habent conscientiam pravo aliorum abusu, praepostera quoque administratione, non arceantur, modo secundum Domini institutionem praeeunte verbo celebretur. Itaque qui me dissidere mecum putant, nunquam assequuti quid vellem. Difficultas mea in ministerio vertebatur. Isti, dum ministrum a privato ecclesiae membro non distinguunt, misera confusione et se et totum negotium involvunt. Adde quod non hortor ad eam communionem qua testentur bene compositam ecclesiam sibi videri, sed qua tantum reverentiam Christi evangelio ac mysteriis eius deferant, ne se temere ab ecclesia alienent. Argumenta et testimonia quibus haec sententia satis superque roboratur, ad *Farellum* et *Zebedaeum* perscripsi: tibi indicasse sufficit, quod sine causa excandescant boni viri, qui utinam veram pii zeli regulam tenerent.

Novi nihil habeo quod tecum nunc communicem, quum nondum rediit *Bucerus* qui oneratus, ut spero, veniet.

Quum apud me adhuc literae istae iacerent, tuas[3]) quoque mihi frater meus reddidit, quibus video te non secus atque alios fuisse affectum: neque tamen in praesentia per temporis brevitatem atque occupationum turbas disceptare tecum longius licet. Paucis tamen admonebo, ut tecum iterum atque iterum reputes qualis ecclesiae calamitas fuerit in populo israelitico, quum aliis compluribus saeculis, tum aetate Christi, neque tamen unquam desierunt pii aut circumcidere illic suos liberos, aut sacrificia ritusque celebrare: ac ne Dominus quidem ipse eiusque apostoli a sacramentorum participatione abstinuerunt, quamdiu quidem Pharisaeorum improbitate ac tyrannica saevitia non sunt impediti. Idque merito: residebat enim illic foedus Domini, legis doctrina utcunque locum retinebat, nulla erat idololatria, impietas in hominibus erat potius quam in ministerio. Ergo ecclesiae honore societatem eiusmodi licet valde corruptam dignabatur. Causam autem totam prosequi neque animus est, neque necesse puto. Non enim dubito quin eas partes suscepturus sit *Farellus*. Quin etiam valde miror adeo tibi obtusa videri mea argumenta, ut pungere ducas, non perforare. Me certe non pupugerunt modo, sed toto pectore constrinxerunt: proinde supervacua est ista exhortatio, ne veritatem in conscientia mea cuiusquam autoritate perimi patiar. Quod coram Domino sentiebam, pure ac sine ambagibus professus sum. Si quibus non probatur mea sententia, viderint ii ne sine ratione frustra reclament. Ego nunquam adducar ut schismatis sim autor, donec ecclesiam plane a Dei cultu ac verbi praedicatione defecisse cognovero. Haec festinanter, atque adeo raptim subtexui. *Bucerum* adhuc exspectamus. Ecclesia nostra utcunque se sustentat. Operis mei editionem in alteras nundinas differri necesse erit.[4]) Haec est fides. *Sturmius* et *Gaspar* te salutant. Vale. Dominus te conservet. Argentorati 5. Ianuarii 1539.

Calvinus tuus.

157.

FARELLUS CALVINO.

Genevae status rerum omnino deploratus. Ecclesia, schola, disciplina omnis et mores corruunt, pereunt, evertuntur, ipsis ministris pessima quaeque molientibus, quos singulos et nominatim traducit.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocom. Epp. Farelli fasc. I. N. 33.)

Quam carissimo fratri Io. Calvino Christum Gallis pure adnuncianti

Argentinae.

S. Gratulabar tibi prius quod procul ageres

3) *deperditas.*

4) *Opus hoc est Institutionis ed. II., quae propter typographi tarditatem serius quam voluisset proditura erat.*

a Sodoma, neque in horas exaudires clamorem non ferendum. Sed nunc maxime cogor, quum manus Domini desaeviat quam maxime: tantum abest ut conquiescat, ut multo magis intendatur. Quis non illacrymasset super colluvie ebriorum et perditissimorum, dum passim magistratui obganniret contempto verbo Domini? Sed amarior fuit magistratui tantae iniquitatis partus. Quid de eiectione pastorum? Aedes pauperum cui sunt creditae, ac per quos reguntur? Supererat iuventutis aliqua spes: at nunc tota periit dissipato gymnasio, [1]) pulsis omnibus formatoribus piis, quos non tantum pelli volebat non minus in literas affectus, quam in pietatem *Marcurtius*, imo prorsus perditos confici. Aiebat enim: suspendite, occidite nequam hos, nam multo meliores inveniemus qui iuventutem forment. Hactenus actum fuit in nos, ac Christi doctrinam per nos adnunciatam, clam et tecte: nunc apertissime damnantur omnia, ministerium nostrum funditus evertitur, conculcatur. Confessio ac iusiurandum super ea praestitum neque praecepto Domini neque exemplo scripturae potest approbari. Sic aperte *Morandus:* adducentibus scripturae loca non respondit nisi e suggestu, ubi secum deliberavit. Tunc conviciis proscindens, Affer, inquit, ubi iuratum sit in legem Domini interpretatam iuxta voluntatem duorum aut trium? Iurarunt illi quidem in legem Domini nudam. Si dixeris eos, qui docent hoc vel illo die feriandum, et rursus qui id genus, pseudoprophetas et proditores, ego te ac omnes qui iurarunt proditores Dei dicam. *Marcurtius* nihil facit reliqui ipsi ecclesiae, sed omnia tribuit magistratui, ac potissimum ubi multitudine res geritur, se nunquam minorem sequuturum numerum, sed maiori consensurum semper; esse magistratus pastores instituere ac destituere, et non alterius: ad hunc unum spectare omnia, constituere, ordinare, hodie cessandum, cras laborandum, adeo ut nihil liceat agere nisi per magistratum id concedatur: etsi uxor ac liberi domi sint, mihi non licet quacunque ratione ipsos adire nisi per magistratum, cuius est admonere, corrigere, ac omnia tandem peragere: sicque velle omnia dicebat magistratui permittere, ut si triginta hic essent scortatores, nollet vel unum admonere ut vitam immutet, verum id tantum indicaret magistratui, cui omnia quae volumus emendata sunt indicanda. Alii rursus, puto *Bernardum* esse, qui aperte detonat in omnes exteros, quos nequam asserit relegatos in exsilium, non ut dicunt, ob verbum Domini, sed propter scelera sua, qui audent filios urbis et concionatores arguere. Ego, inquit, hoc dico: si me roges non tibi responsum dabo, sed ad magistratum mittam. *Henrichus* alia etiam via agit ne arguatur: indignum affirmant ac non ferendum, biblia ab aliis legi quam a peritis, esseque gallica prohibenda, quandoquidem et ipsae mulieres audent ipsa tractare ac concionatores arguere, pro soliditate biblica. Planctum et apparatum illum mortuorum in funere iam restituit in parte, ac urget, forte sperans pro more emunctorum se pecunias mortuorum nomine a mulierculis. Dici non potest quo furore agantur, ut narrant non vani fratres, quorum pars, inter quos *Zebedaeus*, dum rogantur a nonnullis, deprecantur: ad id adigit quod expedire non possit, nec recitari sine gravi dolore. *Morandus* pro libertate capillorum [2]) velut pro summa fidei contendit: iniquissime, perditissime, et quid non, ait introductum ut velentur, in eversionem libertatis. Interea ubi scelera regnant omnia, dum posceret pius ut sceleris quendam admoneret, respondit: admone tu si velis, ego textum meum persequar. Imo et *Marcurtius* cum eo, dum admoneretur super iniquitate, respondit monenti: crepabis, tui quoque tecum, nec aliud fiet. Sancta iam dicitur esse missa, sanctissimus et Gregorius, qui tam sancte et recte super sacramento altaris scripsit, essetque congruum altare erigi in quo vera cantaretur missa. Sane in hoc sunt omnes ut odio nostri quidquid per nos Dominus egit evertere contendant et omnia dissipare: nihil curant, corruant omnia, offendantur omnes, modo suis indulgeant affectibus. *Sonerius* in hoc erat ut omnes coenam Domini accederent, quod quum facturos se negarent pii, quod nihil commune habere vellent cum iis qui apertissime evangelium subsannant ac verbum *Andreae* [3]) vocant verbum Domini, stercus caprinum Dei sermonem, a quibus vita et fide seiuncti prorsus esse volunt, ut alia taceam non levia quae merito conscientiam movere debent, nimirum ad postulationem ecclesiarum nolle vel pastores, quos ecclesia approbat, audire, tamen fratribus insolentia perseverantibus decreverat ipse vel solus ad mensam ipsorum accedere coenamque cum illis celebrare, tanta intemperie dominico ante diem nativitatis omnes egerunt ac tam inique, ne dicam impie, adeo ut sanguinarios diceres, ac sanguinis sitientissimos, ut coactus fuerit sententiam mutare, testatusque fuerit potius mortem se obiturum quam participare cum eiusmodi, qui post coenam peractam ubi damnassent omnes ut scelestissimos qui cum tali coetu non fregerant panem, invitatis omnibus ac subsannatis qui dicerent se non esse paratos ad coenam, a qua vel in ipsa exhortatione neminem

157. 1) *N.* 142 *et* 154.

2) *ex calviniana disciplina certis regulis adstrictorum.* (Il est deffendu aux femmes et filles toute frisure relevement et entortillement de cheveux) *V. Gaberel hist. de l'Eglise de G. I.* 339. *Ruchat, V.* 58. *Kirchhofer, Farel I.* 238. *Grenus, fragments biographiques p.* 4.

3) *num Zebedaei ad concordiam hortantis?*

iusserunt vel scortatorem vel quovis scelere infectum abstinere, pertranseuntes id quod scribitur de eiusmodi, sicut et id quod est de sui probatione. Forte *Bernardus* solus hoc attigit et legit, alias a se omissum, alii praeterierunt. Annotati sunt exteri[4]) qui non interfuerant: magnis clamoribus egit *Marcurtius* de illis perdendis, palamque testatus est si magistratus esset, iam pelleret eos, sed corpora perderet aut graviter vexaret: iussi sunt sub horridum frigus tum viri tum mulieres ac parvuli solum vertere: civibus parcitum est, soli exteri gravissime mulctati. Furebant concionatores: ipsa magistratus impietas et iniquitas aequior erat et mitior rabie concionatorum. Iam tum his tum aliis rationibus valde offensi plerique ita loquuntur, pastores qui nos docuerunt proprio sanguine parati erant quam nobis proposuerunt doctrinam tueri et confirmare: quid fit ubi nunc impugnantur tam aperte quae nos docuerunt, quod non tuentur et non asserunt suam doctrinam, quamvis persequutionem passi in una civitate in aliam debeamus concedere? Quod a nobis est factitatum: tamen non paucorum timentium Dominum conscientiae ita perturbantur talibus et eiusmodi multis, ut, nisi succurratur, vereor valde ne pereant. Praeterea nisi ante pascha consulatur, idque brevi, gravissime patientur pii, quod in nullo non esset vitandum ob Christi gloriam, ac modis omnibus contendendum ut succurreretur, multo igitur magis in iis quos Dominus per nos voluit salutis admonitos. Spem optimam concepi de *Conzeno* ex suis literis et ex iis quae omnes referunt de eo. Propter Christum Iesum incumbant fratres omnes ut furor tantus compescatur, sicque per omnes agatur ut satisfiat conscientiis infirmioribus, ut tam disiuncta coniungantur per Christum. Quid tot et tantis moris[5]) locus ita datur Satanae, ut sic dissipet omnia, ita saeviat et furiis omnia exagitet? Quae vel saxea pectora non flectuntur tam tristi ecclesiarum facie? nam non una tantum sic laborat, sed plures: ministri non solum pars sunt, sed autores nonnulli. Nullus est gallus qui Petrum cantu admoneat: pulli sunt tantum et cappi, qui palato sapiunt epulonum, quibus tantum carus est venter. Omnes vires huic operi intendes, ac exterminium extremum ut vitetur apud fratres omnes adniteris. Et interea non negliges fratrum qui in Gallia sunt causam, quin mature absolvatur. Nam multa imminent fratribus. Qui cum *Sonnerio* istuc venerat carceribus est mancipatus, et alii non pauci, ac de vita periclitantur. Quantum amas Christum, tantum fratribus adesse velis, ac fratres urge. Literis agerem, sed ubi ades, quid est opus? Omnia nosti, et si hi ad te venerint pii fratres, qui huius gratia magnum iter sunt emensi, referent tibi omnia. Plus satis te fatigavi, sed quid, si vel centesimam eorum quae audivi referrem, te conficerem. Precemur Dominum, ac gratias ipsi agamus de omnibus, studiose consulentes iuxta id quod Dominus dat. Vale bene, ac tecum pii omnes, quos cupio optime valere. *Capitonem* praecipue, *Bucerum*, *Sturmium*, *Firmum*, et quidquid est Gallorum et omnium. Neocomi, 15. Ianuarii 1539.

Farellus tuus.

Fuit hic *Sonerius*. Deus bone, quam sunt deploratissima omnia! *Corderius*[6]) provinciam hic suscepit iuventutis initiandae, quamvis provincia suis humeris non respondeat: tamen vel coepisse aliquid erit. Omnes te plurimum salvum esse cupiunt, ac cum his *Christophorus* ac *Gaucherius*,[7]) per quos intellexi cognatam sanctimonialem vinculis esse mancipatam et carceribus perpetuis adiudicatam. *Thomas*,[8]) *Fatonus*[9]) et omnes fratres salutem tibi dicunt plurimam. Iterum vale.

4) *Galli Genevae degentes, quorum odio factio Genevensium anticalviniana prae caeteris flagrabat.*

5) *vox dubia.*

6) *De Mathurino Corderio olim Calvini Parisiis professore, postea Burdigalae, denique Genevae* 1537 *ubi Sonerii collega fuerat, et exsilii consors, v. Bétant l. l. Bonnet in Bulletin T.* 17 *et Nouveaux récits du* 16ᵉ *Siècle* 1870 *p.* 1.

7) *Farelli frater, olim greffier de la cour épiscopale in urbe patria,* 1533 *religionis causa in vincula coniectus* 1534 *liberatus, nuper apud Valdenses et Comitem de Furstenberg commoratus, iam Neocomi apud fratrem.*

8) N. 35 not. 4. *An Barbarinus Bodriaci pastor?*

9) *Io. Faton, pastor ecclesiae in oppido Colombier in agro Neocomensi.*

158.

CALVINUS FARELLO.

Operis sui editio Roberti morositate in alteras nundinas differetur. Olivetani mortem luget. Laetiora de Conzeno et ex Germania, unde mox plura et magna.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 27. Apographa exstant ibid. Cod. 111, fol. 16, Bernae in Archiv. Epp. VII. p. 293, Turici ap. Simlerum vol. 46. — Anglice edidit Bonnet-C. T. I. p. 80.)

Optimo fratri meo Farello Neocomensis ecclesiae ministro fideli.

Gratia Domini tecum, frater integerrime.

Haberes a me longiores literas, nisi me ita distringeret animi dolor, ut nec mens nec manus suo

muneri obeundo sufficiat. Quum operis mei editionem procedere securus putarem, ecce mihi a fratre exemplar redditur quale miseram. Itaque in alteras nundinas differetur.[1]) Haec gratia mihi a *Roberto* rependitur. Quanquam mea privatim causa nihil est quod doleam, sed quia publici boni putabam interesse, ut quam citissime exiret, non possum non magnopere conturbari, quod spem ac desiderium tot bonorum virorum, unius hominis morositas frustrata sit. Nihil enim volo gravius dicere. Accessit ad eam molestiam mors *Olivetani*[2]) nostri, quam mihi uxor *Sinapii* per literas indicavit. Proinde ignosces iusto dolori meo si et tumultuarias et aliquantum concisas literas a me accipis. Me, ut in rebus moestis fieri potest, valde exhilaravit quod indicasti de *Conzeni* responsione. Quaeso, mi frater, tam faustis auspicatisque initiis bona fide insistamus. Nunc enim primum animus in bonam spem erigi possit, sed ut dicis conventu opus est, sine quo instaurari nequeunt collapsae ac misere dissipatae ecclesiae. Vix aliquid boni sperare audebam donec intellexi factum esse hunc aditum. Nunc in certam spem adducor optimi exitus, si semel convenire dabitur. Exspectandus tamen est *Buceri* reditus,[3]) qui quum non procul domo abesset, ad novum negotium retractus fuit, ἀπόῤῥητον quidem illud, sed quod tibi in aurem insusurrabo. Dux Saxoniae *Georgius* praeter omnem exspectationem commentari se de religione ac ecclesiae reformatione velle cum eo ac Melancthone significavit, diemque condixit quo se Lipsiae sisterent, quo se quoque affuturum pollicitus est. Itaque clanculum eo uterque profectus est. Si quid transiget plerosque alios exemplo suo trahet. Quidam principes ardent mira rabie belli in nos concitandi, ac iam omni apparatu instructi sunt. Verum a prudentioribus retinentur qui prospiciunt non quieturum Turcam, si Germaniam intestinis bellis occupatam viderit. Iam Vallachiam utramque tenet, ac bellum Regi Poloniae indixit, nisi liberum transitum per suos fines permittat. Simul ac redierit *Bucerus* longa historia te onerabo. Non enim dubito quin allaturus sit nobis magnam rerum novarum copiam. *Sonerius* et fratres supervacuo sumptu oneravit, et hic fatigavit irrito labore. Sum enim in hanc causam intentior, quam ut sit opus me sollicitari. Sed quid facerem, quum nondum habitus sit principum ac civitatum conventus, in quem summa negotii reiecta erat? Nuper civitatum concilium Eslingae fuit. Sed de aliis rebus. Nec partis nostrae duntaxat civitates legatos miserunt sed omnes promiscue. Comitia nostratium et principum et civitatum ad octavum Februarii indicta sunt,[4]) ante quem diem venturi huc sunt a *Saxone* et *Landgravio* legati. Nobis sic res cordi est ut nullam occasionem simus omissuri quoad in nobis erit. Nuper ad publicam professionem invitus a *Capitone* protactus sum.[5]) Ita quotidie aut lego, aut concionor. *Michael* ad te scribit. Aliis si detur aliquantulum induciarum, accedent postea ad opus aptiores. Omnes te amicissime salutant, praesertim *Capito* qui nihil ideo scribit quoniam literas meas sufficere putat. *Sturmius* quoque et *Firmius* et *Gaspar* et *Henrichus* et alii. Vale optime frater. Dominus te sibi ac suis conservet. Saluta mihi fratres omnes.

Hinc coniicere potes quam sim composito animo: quod primo loco ponendum erat, mihi inter scribendum excidit: me per doctorem *Ulrichum* ad te ac *Zebedaeum* scripsisse. Asserit se literas deposuisse apud fidum hominem. Significabis primo quoque die, an ad te pervenerint, et ecquid placuerint. Libenter enim audiam tibi fuisse de offensione quam responsum meum inter fratres Genevenses peperit satisfactum.

158. 1) *Cf. supra N.* 156, *not.* 4. *Caeterum haec cimmeriis tenebris obvoluta. De Roberto isto non constat, quum neque de Stephano neque de Olivetano cogitari queat, quos nonnulli hic sibi videre visi sunt, neque de Catechismo neque de Psychopannychia. Si quid videmus opus suum alicui fratri* Roberto *antequam prelo subiiceretur inspiciendum miserat, qui tandem et sero non inspectum reddidit, exhausta cupidi patientia.*

2) *mense Februario* 1538 *Ferrariae defuncti.*

3) *a colloquio Lipsiensi (inter Pontanum et Melanthonem legatos Electoris Saxoniae, Carlevitium Georgii Ducis legatum, et Bucerum quem cum Io. Feigio Landgravius miserat) primis Ianuarii diebus habito. Vide Corpus Ref. III. a. h. d. Seckendorf ed. Lips.* 1694, *p.* 210.

4) *Sleidan. II.* 140 *ed. am Ende.*

5) *Scholae theologicae in Gymnasio d.* 22. *Martii* 1538 *Sturmio rectore condito tum temporis haberi coeperunt.*

159.

FARELLUS CALVINO.

Multus est in iterandis querelis et referendis rebus minoris momenti. De concordia in negotio sacramentario ultro citroque satagitur. Regis Angliae mira ratio seditionem sedandi.

(Ex autographo lectu difficillimo bibl. pastorum Neocomensium, opp. Farelli fasc. I. N. 34.)

Integerrimo fratri Ioanni Calvino Christum Gallis adnuncianti Argentorati.

S. Gratiam et pacem a Deo. Nuncius ille

Sonerii ubi vinum decoxit huc pervenit cum tuis literis. Meas tantum mihi reddidit, alias in octavum paene diem reservavit. Etsi *Christophorus* tunc aderat per quem prius rescivimus tristem fratris [1]) exitum, ecclesiae Christi gravem et incommodum, ut scribis. Apud *Christophorum*, quasi divinans finem impendere sibi scriptum reliquit, quid vellet de suis fieri. Sed postquam fido commisit negotium, id absolvet probe. Concessit Bernam *Christophorus* per quem iterum ad *Conzenum* scripsi. Fuerunt et cum eo aliarum classium decani, praeter Iverdunensem, cui nescio an probetur aliorum factum, vel quid aliud sit. Iam fertur Genevae esse: cuius gratia, non constat. *Richardus* [2]) Galliam invisit: absens quum esset non interfuit. Mira aiunt homines referre de Domino de *Iamais* [3]) et aliis qui volunt ministros. Verum ut ad *Christophorum* redeam, quid ipse et alii egerint non intellexi. Subindicarunt nonnulli sic habere ut synodum nullam non sint amplius habituri. [4]) Bene, si mente tenes, idem *Erasmus* [5]) nobis dicebat. Bona fide opto concordiam, quae magis mihi quaeritur quam speratur, siquidem piscatores turbatis aquis plus voti fiunt compotes quam claris, ideo hoc amant suo servientia negotia: sed nihil negligitur. Dominus quod bonum censuerit agat. Scripsi ad *Sultzerum*, [6]) mittens literas fratribus istic nuper datas. Cum *Huldricho* [7]) ages super literis ad me et ad *Zebedaeum* datis, nam nostrum nemo excepit. Non est quod ita labores apud me super coniunctione tam disiunctorum. Ipse cuperem procul esse pios omnes a tam nephanda hominum colluvie, ubi in dies crescit omne scelus, exstinguitur tota pietas. Super coena ne verbum quidem feci alicui: tantum precationum admonni et confessionis peccatorum, ob quae in haec inciderunt mala. Claudius *Sabaudus* [8]) tandem longo carcere divexatus exautoratus est nec ad aliquod vobis officium amplius censetur idoneus, idque merito quod eum vel umbram probitatis habenti loci [9]) potest superesse apud portenta tam horrenda! puto ex inferis evocaturos esse Satanam et tres post hunc iniquitate viciniores, qui superioribus diabolis syndici sufficiantur, quique luporum sanguinis appetentium sitim exsaturent. *Adami* [10]) cognatus quum literas accepisset a classe, ipsas resignavit et alias confixit. Res comperta fuit, quam et non negavit. Dum timet sibi, solum vertit. *Gastius* nescio qua ratione Galliam petens migravit. Parum abfuit quin huius cognatus, quem *Gascotum* vocabant ad ministerium non fuerit admissus, vir praeter latrocinia etiam falsae monetae percussor ut aiunt. Sunt et alii designati cytharedi et id genus, per quos ministerium funditus evertitur. At non tam male habent omnia quin aliquid sit reliqui. *Zebedaeus* magno fructu Orbae docet: tum pietas, tum eruditio reddunt eum etiam impiis et pontificiis commendabilem. *Alexander* iussus est loco cedere. Bernam petiit, unde literas attulit ut commode, si possit, ad pascha usque duret in ministerio. *Glandineus* [11]) largitionibus omnia corrumpit et omnes proscindit. Nos hic olfacimus nescio quid: nam nonnulli gestiunt si dum hic ago quietae non sint res, alii forte hac via sperant se manum admoturos: ut nosti quam sint varii mortalium affectus. *Michaelius*, [12]) qui in Gallia, ut scis, Christum ignominiosissime abnegavit, plura praestans quam hostes ausi fuissent ex eo petere, nec satis habuit nisi rursus has turbaret ecclesias, quae recte docuerat evertens, a *Grynaeo* et *Carolostadio* ad nos mire commendatitias excepit literas, nescio an ad Bernates. Hic agit cum *Capunculo*, clamque tentavit apud socerum *Caroli*, cui totus adest *Capunculus*. Sed bene habet quod tali posti adesse non possum, nec si possem vellem. Quam optarim *Grynaeum* et alios esse parciores in eiusmodi commendandis. Plus satis ex colluvie illa passi sumus, si quidem haec ecclesiarum dissipatio, ut scis, fructus est fastuosae et portentosae promotionis *Caroli*. Quam sunt pestilentes tam ambitiosi nebulones, qui Deum abnegarent millies quam semel se paterentur in ordinem redigi. Plus vellem in fratrum candore iudicii esse: non puto tam insanos qui vel puellam committerent illis, et tamen audent poscere tam scelestis ecclesias committi, quasi non plus satis insaniatur vel sponte in hac parte. *Corderius* noster ita hic agit, [13]) ut miserrime ipsi prospectum

---

159. 1) *Cuius? an Coraldi? Atqui de hoc pridem utrinque, nec a Calvino Farellus de eius obitu certior factus fuerat? Cadit tamen in eum quod Tononii a Liberteto Geneva profugus hospitio exceptus fuerat antequam Orbam se conferret mox moriturus. Cf. Ep. N.* 148. *An Olivetani potius?*

2) *Minster apud Paterniacenses, qui olim ob religionem Galliam reliquerat (Bulletin XI.* 253*) postea de coena cum Zebedaeo controversiam habuit (Ruchat, V.* 128. *Hundeshagen, p.* 142*).*

3) *Comte de la Marck, seigneur de Iametz, ex gente Bouillon.*

4) *De placitis et ritibus Bernensium lutheranizantium in agros ditionis gallicos importandis, Conzeno et Meyero promotoribus.*

5) *Ritterus, eo scilicet tempore quo C. et F. Bernae commorabantur antequam Basileam se conferrent.*

6) *iam et ipsum Bernensem.*

7) *Vide post-scriptum praecedentis.*

8) *Cl. Savoye, vir consularis Calvini assecla, a.* 1538 *perduellionis accusatus e senatu pulsus et in carcerem coniectus est (Roget, p.* 75. *Galiffe, quelques pages etc. p.* 16.*)*

9) *sic.*

10) *Teste Herminj.* II. 448. III. 319 *Adamus Sonerii ψευδωνυμία.*

11) *De Alexandro et Glandineo v. N.* 145, *not.* 16.

12) *Cf. Kirchhofer, Farel. II.* 11.

13) *Iam ergo Neocomi munus novum adierat.*

sit, siquidem cives cum principe contendunt graviter super ecclesiasticis bonis, unde fit ut minus ipsi prospectum sit. Vereor ne diutius apud nos agat. *Viretus* ipsum ambit. Tractabamus de *Caspare* [14]) qui istic est, quum pii fratres vel non habeant, qui se et iuventutem forment. Visum igitur fuit expedire ut eo concedat. Tu huius admonebis ut quam citissime itineri se accingat, nisi vobis aliud videatur magis expedire: sed vix puto posse vos sanius consilium isti dare. Si venturus est *Michael*, [15]) ne differat diutius. Prospiciendum est Montibelligardensibus, nam *Nicolaus* [16]) scripsit propediem sperare se per principem curam pastorum et pauperum suscipiendam, post quam missa est abrogata. Praeterea non pauci destituti sunt pastoribus, quos nemo curat, sed brutorum instar vivunt. Scis enim a Bernardis et Henrichis, ut alios taceam huius farinae pastores, scorta potius parari et curari quam pastores. Quam est necessarium et *Bucerum* et alios bonos adesse conventui, si obtineri possit, ut subinde possint admonere, affectibus ne tantum tribuatur, nec sic agatur cum sponsa Christi, ne conspurcanda tradatur cuivis pestilentissimo in posterum: sed quanto magis incessare videtur concio, tanto plus despero. Verum sacrae Domini plagae fugabunt fucatam negotii evangelii curam. Egi cum consule his diebus: satis propensum animum declarat. Si non sic intempestive ipsum adiissem, fusius omnia fuissem prosequutus. Si dabitur iterum occasio salutandi, plenius agam. Salutavi *Capitonis*, *Buceri* et tuo insuper nomine, quod ipsi ingratum non fuit, sicut nec puto vobis non esse. *Viretum* et alios hortabor ut incumbant, ac ipse adnitar si res expediri possit. Si ante pascha non fiat, miserrime agetur. Cuperem, si fieri posset, ut haec ecclesia sedata foret super ecclesiasticis bonis. [17]) Agas quaeso cum fratribus, si qua via consuli possit ut pauperibus, iuventuti formandae, et aliis ecclesiasticis negotiis ecclesiastica relinquantur. Valde metuo ne, qui adesse debent, non satis adsint. *Anglus* fertur mira ratione sedasse seditionem nuper ortam: nimirum quod post multos, quos praemiserat celeribus equis, tandem in mediam prorupit turbam affirmans, non sine iusta causa sic convenisse, quo conspecto vix unus eloqui potuit. Alii omnes poscentes veniam domum dimissi sunt, ultro promittente rege nemini futurum fraudi: episcoporum et aliorum rasorum qui causa fuerant vel quadringenta aut sexingenta [18]) plexa fuerunt: sic pacatum est regnum. Burgundiones iam insolescunt ac liberius evangelium proscindunt. Sunt qui tradant in Mediolanum apparari militem, alii in pios. Varii sunt fumi, sed ad resipiscentiam qui advertat nemo est, pauci qui hortentur. Neapolitanus, qui *Basilius* dicitur, hic fuit: is nonnulla in catabaptistis approbans, alia etiam damnans, vafre impetit pietatem ac omnia suspecta contendit reddere. Omnino mihi videtur ex pontificiis huc emissus, ut tentet quam sint firma nostra, quaque via, si conveniendum sit, nos possint adoriri: nam pestis antichristi quum videat non posse subsistere socium, vult omnem perire pietatem. Hypocrita est appositissimus et si quid videatur posse insultu se....... [19]) devolat? et alio se transfert. Si causa responderet iniquitati ac simulationi, quid non efficeret? At variat saepe, ut est mendaci natura. Egit cum *Corderio* qui, ut est candidus ac ex iis quae foris videntur iudicat, sic non parum in hominem fuit affectus. Sed iam nuncius urget. Vale bene. Saluta mihi omnes in Domino, *Capitonem*, *Bucerum*, *Sturmium*, cum Gallis omnibus. Salutant te omnes fratres. Neocomi 5. Februarii 1539.

Tuus Farellus.

14) *De hoc Calvinus supra* N. 145.
15) *Quem cave confundas cum supra notato.*
16) *Nic. de la Garenne de quo Tossanus supra* N. 128.
17) *De hoc negotio v. Ruchat,* III. 63.
18) *sic. Vocabulum sequens valde dubium.*
19) *vox dubia.*

160.

BEDROTUS GUALTHERO.

Nova de Argentoratensibus Francofordiam profectis, de rebus anglicis aliisque plus minus fida et certa.

(Ex autographo bibl. civic. Turic. MS. F. 80 olim Epp. Tom. XLV. p. 23. Habet quoque Simlerus vol. 46.)

Rodolpho Gualthero Tigurino iuveni optimo amico suo apud D. Myconium.

Basileae

In eius absentia D. Myconio.

S. Has tibi inscriptas heri textor quidam in aedes meas misit. Per *Frobenium* igitur ad te easdem remitto. Si nescis, *Martinus* [1]) noster Francofordiam ivit ante dies aliquot, *Calvino*, *Sturmio*, *Cratone* [2]) et Gallis aliquot *Melanthonem* salutaturis

160. 1) *Si Bucerum intelligit, fallitur: is enim Calvinum in eo itinere praecessit. v. hunc ad Farellum* 16. *Mart.*
2) *Quisnam hic sit, nescimus. De cel. Cratone Vratislaviensi nos cogitare vetat huius aetas, quum eo tempore vix undeviginti annos natus et Vitebergae studiis operam dans tantis viris Argentorato proficiscentibus Francfordiam comitem se adiungere non potuerit. Neque Melanthonis epistolae aliquem Cratonem produnt, neque Gillet, V. D., in vita Cratonis τοῦ πάνυ de tali itinere aliquid habet. Cf. etiam N.* 197. *not.* 14, *unde colligimus fuisse chalcographum aliquem Argentoratensem.*

comitatus. Adiunget se *Martinus Philippo* Wittenbergam redituro comitem. Utinam idem et tibi liceat. Sed serum hoc est votum. *Philippum* decumbere lecto Francofordiae rumor est, sed incertus.[3]) Nostri enim nihildum hac de re scripserunt. Ex Anglia audio, quae utinam sint falsa: regem nuper combussisse quendam virum et magnum et pium, ob dogma quod vocant Zwinglianum. Sed et *Grimualdum* secretarium esse in periculo, atque alios viros optimos. *Tonstallum*[4]) contra et Londinensem[5]) in summa apud regem autoritate esse. Scripsit haec *Calvino Bucerus*, ne a me confingi suspiceris. O reges, o tyrannos! D. *Myconio* dicito ex me plurimam salutem, meque nihil habere iam rerum novarum quod ei communicem, verum brevi habiturum. Nostri enim postas instituerunt, ut intra paucas horas ultro et citro literae perferri possint. Abiit pridie Francofordiam comes *Guilielmus*[6]) cum suis aliquot capitaneis, declaraturus se nostrarum partium esse. Alii pacem sperant et eam quidem honestam, alii bellum metuunt. Quidquid rescivero *Myconio* non celabo, quod viro optimo velim meo nomine dicas. Rationem nostram non consignavi probe. Tu igitur, quantum mihi debeas, obsecro, vel verbulo indica. Tenes enim ista melius, opinor, quam ego. Excidit mihi plane quantum tibi in viaticum dederim mutuo. M. *Ottonem*[7]) diligenter saluta ex me: ei dicito postridie *Prothasium* Wittenbergam rediturum. Tu in Domino vale, mi *Rudolphe*. Cursim Argentinae dominica prima Martii.[8])

Bedrotus.

161.

BULLINGERUS RUMLANGIO.

Praeter alia, de concordia agit Helvetios inter et Lutheranos promovenda, cui ipse eo tantum pacto suum calculum se adiecturum affirmat, ut de Luthero libere iudicare permittatur, utpote homine non deo et alioquin de ipsa S. S. temere iudicante.

(Ex autographo bibl. civ. Zofingensis cod. 14. Tom. II N. 5.)

Et genere et eruditione claro viro Eberharto a Rumlang scribae Bernensi amico sincero.

Dem Seckelschryber zu Bern.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Non est, *Eberharde* mi, ut D. *Sebastiano*[1]) de tuo quidquam numeres. *Froschoverus* illi satisfaciet. Quum enim ipsi quod scripseras suggererem, ille dixit se homini satisfacturum. De aliis ne sis sollicitus. Interim modestia tua novit seni aliquid condonare. Frustra vero ipse metuit offendi *Lutherum*. Pluris enim veritas quam *Lutherus* habebitur a theologo. Nemini autem obscurum est quam temere de quibusdam libris S. S. pronunciarit *Lutherus*. Ego non video quid peccarit D. *Sebastianus*. Quod si concordiae conditiones id possunt, ut nemo pro veritate contra *Lutherum* vel os aperiat, quum homo sit *Lutherus*, non Deus, pereant concordiae conditiones. Ego agnosco *Lutherum* esse hominem qui et falli possit et fallere, qui de errore admonendus sit et revocandus. Non probo illos qui ex ipso nobis novum pectoris scrinium fabricare statuunt. — —

8. Martii anno 1539.

H. Bullingerus tuus.

162.

CALVINUS FARELLO.

Respondet ad duas nuperas amici epistolas quarum altera tantum exstat. De subita Francofordiam profectione eiusque causis narrat, ibidem tractata fuse exponit. Speciatim res anglicas: Regis petitionem ut Melanchthon sibi concedatur, et coniurationem a Card. Polo factam. Obiter de negotio bonorum ecclesiasticorum, deque legatione in ipsorum causa Genevam versus facta autoribus amicis.

(Manu scripta non exstat. Edita est a Beza Gen. p. 13, Laus. p. 25, Hanov. p. 27, Chouet. p. 13, Amst. p. 6. — Anglice legitur l. c. I. 92.)

Postridie quam mihi reddita fuerat penultima tua epistola, dedi me in viam, ut Francfordiam peterem. Adeo autem tumultuarius fuit discessus, ut tibi respondere non vacaverit. Id quod in subitis consiliis fere evenire solet. Profectionem vero illam suscipere mihi nunquam in mentem venerat nisi pridie quam exsequutus sum. Verum quum literas a *Bucero* recepissem, quibus indicabat

3) *imo falsus sicut etiam sequentes ex Anglia.*

4) *Tonstall, ep. Durhamensis, teste Strype in Vita Cranmeri I. 105. Alius huius nominis prof. Oxoniensis, Tho. Mori familiaris, divortium Regis et Catharinae Aragonensis vindicavit scripto.*

5) *Stokesley. Strype l. l. p. 95.*

6) *Wolfgangi filius a Fürstenberg, mercenariorum Capitaneus modo Imperatoris modo Regis vexilla sequutus.*

7) *O. Werdmüller Turicensis, postea prof. Basileae, denique in patria V. D. minister.*

8) *quae fuit 2. mensis.*

161. 1) *Meyero, pastori Bernensi, Conzeni in negotio concordiae procurandae asseclae.*

se nihildum potuisse de fratrum[1]) causa agere; cupido mihi statim incessit eo usque concedendi: partim ne fratrum salus negligenter, ut fit in tanta rerum turba, tractaretur: partim ut cum *Philippo* de religione atque ecclesiae ratione commentarer. Utraque, nisi fallor, ratio iusta tibi videbitur. Accedebant *Capitonis* ac omnium hortationes, praeterea comitum opportunitas. Nam *Sturmius*[2]) et alii boni viri se mihi comites adiungebant.

De Domino de N.[3]) minus credendum est quam feratur. Nosti enim quam sit illud verum, famam eundo vires acquirere. Unum tantum concionatorem appetebat, qui hac quadragesima plebem suam puriore doctrina imbueret. Domina R. illuc me initio invitavit: sed quia via non satis aperta videbatur, excusavi me hic alia vocatione detineri, minutula quidem illa, sed quae ad me obligandum sufficeret. Doctor *Ulrichus*[4]) iam secundum mensem procul abest, ut non possim cum eo de literis expostulare. Causatus est se eas deposuisse apud N., unum, nisi fallor, ex fratribus qui aliquando contra Solodorenses tumultuati sunt. Dolet mihi plurimum eas periisse: siquidem multa continebant, quae magni interfuit non evulgari. De coniunctione quod suadebam non est quod tantopere averseris: testabar enim me nihil magis optare, quam ut longissime se illinc pii omnes subducerent. Hoc unum contendebam, ne schismate scinderent qualemcunque ecclesiam: quae utcunque esset corruptissima moribus, doctrinis etiam exoticis infecta, non tamen desciverat penitus ab ea doctrina, qua ecclesiam Christi fundari docet Paulus. Sed quia res est eiusmodi quam attingi non expediat, nisi prolixe et ordine excutiatur, non ulterius prosequar: nisi quod testatum volo, me non aliam fratribus unionem suasisse, quam quae nobis Christi exemplo monstratur, qui non dubitavit Dei mysteria cum deploratae impietatis Iudaeis participare. Atque ut intelligas qua prudentia consilium meum expenderint, id eos in primis exacerbavit, quod ministrum a plebe discernebam, illumque dispensatorem esse asserebam a quo prudentia et fides requiratur. A privatis minus quiddam et facilius dicebam exigi, ut se unusquisque probaret. Verum id, si dabitur coram colloqui, inter nos parvo negotio transigetur. Quod video luculenta Dei iudicia apparere in sonticas illas pestes quae miseram ecclesiam vexabant, partim me consolatur et recreat, partim autem animum meum perstringit, quia video non prorsus offendiculo carere. Est tamen omnino expetendum, ut quoquo modo ecclesiam suam talibus excrementis purget Dominus.

De *Gastio* mihi frater ad liquidum narraverat. Male me habet illa *Grynaei* facilitas in dandis commendationibus: nec tam diu distulissem cum eo agere, nisi quo tempore literae tuae huc pervenerunt, parcendum ei censuissem: quia tum uxor eius in ultimo vitae periculo versabatur, nam gravida quum esset peste correpta fuerat. Quaeso mihi significa, quo se bonus ille et infractus Christi martyr proripuerit. A N.[5]) video tibi non parum fore negotii, quamdiu sic varicari perget. Sed quia tolli non potest, necesse erit tolerari. Puta tibi datum a Domino qui patientiam tuam exerceat. Habemus tibi non parvam gratiam, quod nostro nomine Consulem salutaris: nam id quoque refert, ut intelligat utrumque nostrum sic esse coniunctum cum *Bucero* et *Capitone*, ut omnia inter nos consilia communicemus.

De bonis ecclesiasticis utinam tibi possem aliquid melius polliceri, quanquam non est res pessimo statu: *Bucerus* enim tanta constantia institit, ut videatur nonnihil promovisse. *Philippus* illum initio rei difficultate deterrebat: dimoveri tamen non potuit quin pergeret. Difficile autem videbatur impetrare, quoniam nihil id Principes ad se pertinere putant, qui bona ecclesiastica pro suo arbitrio administrant. Et alii quidem aegre ferunt sibi de manibus excuti lucrum cui iam assueverunt. Alii tametsi nihil iacturae sensuri sunt, non facile adducuntur, ut invidiam eius ordinis, quem magnum esse in Germania nosti, in se concitent. *Bucerus* ex vetusta ecclesiae consuetudine modum protulit, quo et ecclesiae et paci publicae Imperii consulatur. Quoniam ea lege legata sunt bona, quae hodie tenent canonici primariae ecclesiae huius civitatis, ut a Comitibus administrentur, permittit ut sit collegium ex nobilibus familiis, a quo haec possideantur: qui autem in illud collegium asciscentur, eos nec sacerdotes esse vult, nec canonicos: sed coniuges qui tantum fidem suam ecclesiae obligatam habeant, ut ad tutandam ipsius quietem impendant se ac sua omnia. Quoniam episcopus est princeps Imperii, nec tolli potest locus ille, quin magno cum motu Imperium concutiatur, putat expedire quod olim fiebat, ut in eius locum succedat ex collegio illorum Comitum, cui maneant salvae possessiones, quae sunt hodie penes episcopum: voceturque Vicedominus, quod magis sit earum oeconomus, quam proprietarius. Eius officium sit ecclesiam tueri si aliunde impugnetur, atque in eam rem fidem suam solenni sacramento obstringat. Reliquae facultates in usum magis legitimum redigantur, ut sunt praebendae, capellae, prioratus et reliqua. Usum appello magis legitimum, ut ministris et scholis, pauperibus, aliisque ecclesiae oneribus destinentur. Id si ob-

162. 1) *Gallorum.*
2) *Ioannes nempe, ut ex Melanchthonis epp. apparet.*
3) *Cf. N.* 159, *not.* 3.
4) *Ibid. not.* 7.

5) *Alexandro fortasse. Ibid. not.* 11.

tinetur, erit ut in rebus adeo dissipatis tolerabilis conditio. Aliqua et quidem iam magna spes est, quod Principes coeperunt animum inclinare, civitates autem rem cordi habent, quae vident ecclesiarum suarum bona tam misere dilapidari. De *Basilio* scripsit ad me *Talearis*,[6]) illum petiisse nuper Genevae publicam disputationem, sed repulsam passum esse: quod equidem libenter audio, ne in gente plus satis alioqui novitatis cupida falsa dogmata evulgentur, quibus refutandis nemo sese opponat.

Nunc ad secundam epistolam,[7]) quam ab aenigmatibus exordiris. Qui sint enim illi excubitores, ebriosi, fures, minime assequor, nisi apertius exposueris. Proinde quaeso ut mihi primis literis edisseras. De illa *Comitis* et *Genani* legatione[8]) nihil aliud potuit exspectari, quam ut irriti reverterentur. Nescio an in fratribus tantum sit consilii, quantum animi esse non dubito. Si *Comitem* sine formula certa dimiserunt, mihi factum eorum penitus improbatur: scis enim quid parere noverit illa inanis gravitatis affectatio. Feramus omnia tentari, ne per nos stetisse videatur quominus ecclesiae melius haberent. Abs te hoc iure postulare nequeunt, ut ministerium eorum approbes, quos ecclesiasticae censurae relinquendos nemo non videt. Sed verissimum est quod ais, omnes qui sibi male conscii sunt nihil magis expetere, quam ut omnia in obscuro demersa lateant, ne sua quoque foeditas detegatur. In tantis involucris videndum quid possimus: caetera Domino permittenda. Cuperem sane ut malorum omnium sepulta esset memoria, quae citra noxam retractari non possunt. Sed quid prodest, odia, dissidia tum doctrinae tum animorum, obtrectationes, caeteraque haec mala in ecclesiae visceribus conclusa retineri, quae tandem in pessimum ulcus erumpant? Optandum potius ut cum acerbitate aliqua discutiantur, si aliter fieri non potest. Sed quid vetat medium aliquod tenere, ut honor ministerio nostro suus restituatur, remedium ecclesiae illi miserae ac perditae adhibeatur, quae inter fratres sunt offendicula tollantur, dissimulatis ac suppressis malis, quae nihil opus est de integro exagitari? Sunt enim quaedam vulnera, quae attactu magis recrudescunt: quiete melius et oblivione sanantur. Quid sibi obsecro volunt boni viri, quibus hoc venit in mentem, ut ego sine te redeam, qui tecum sum eiectus? Ut in operis communicationem manum praebeam iis, a quibus volo esse alienissimus, donec ecclesiae satisfecerint? Sic enim rem instituunt ut ex quatuor duo nobiscum remaneant, ut nullo ecclesiae iudicio quasi per veniam restitutus, locum sine ulla autoritate teneam. Quid enim faciemus? unde sumemus exordium, si res collapsas velimus instaurare? Si verbum fecero quod displicuerit, mox silentium imperabunt. Sed nolo apud te haec et similia stylo prosequi, quae melius ipse reputas quam dici queant. Rursum si id procedit, fratrum iurgia vix potero sustinere: summam enim solo meo reditu confectam existimabunt. Proinde optarim ut aliud potius quidvis agant ii qui hunc lapidem moliuntur. Nihil enim quam magnam molestiam mihi accersunt, idque frustra.

Ut promisi, breviter tibi perscribam. Statum rerum Francfordiae hunc comperimus. Aderant e domo Saxoniae *Elector*, eius frater, et nepos ex *Henrico*, quem *Mauritium* vocant. Hi tres in suo comitatu habebant equos quadringentos, *Lantgravius* secum totidem equites adduxerat: *Luneburgensis* minore pompa. Aderat et *Brandeburgensis* iunior frater Electoris, *Brunsvicensis* iunior, aliique tres quorum nomina non teneo. Hi omnes foederati: caeteri qui in foedere continentur legatos miserant, ut Rex *Daniae*, Dux *Prussiae*, aliique nonnulli. De iis nihil mirum videbatur quod domi remanserant, quia rebus tam dubiis ac periculosis procul abesse tutum illis non erat. Verum nemo erat qui non indigne acciperet, *Wirtembergensem* malle venatione sua et nescio quibus lusoriis oblectamentis frui, quam consultationi interesse, in qua et patria eius, et caput fortasse agatur, quum biduo tantum abesset. Qui volebant excusatum, dicebant non dubitasse curam in reliquos reiicere, quibus negotium cordi esse noverat. A civitatibus primarii viri missi fuerant. Primis deliberationibus bellum omnium suffragiis decernebatur, donec intervenerunt Electores duo, Comes *Palatinus*, et *Ioachimus* Brandeburgensis, cum Caesaris literis, et legato episcopo Hispano, quem *Londensem* appellant. Principio mandatum *Caesaris* exposuerunt, quo illis permittebatur vel pacem vel inducias cum nostris pacisci, quibus rationibus ac legibus optimum fore existimarent. Deinde longa oratione ac validis argumentis conati sunt animos ad pacem inflectere: praecipue tamen caput hoc premebant, quod Turca non quieturus sit, si videat Germaniam intestinis bellis implicatam. Et iam aditum habet patefactum, cum Walachias teneat, transitus illi a *Polono* ex foedere debeatur. Ita ergo iam nunc Germaniae imminet. Pacis conditiones ut nostri excogitarent, voluerunt. Si pax confici non posset, rogarunt ut ad inducias decurreretur. Utriusque fides ac sinceritas nostris est explorata. Nam *Ioachimus* in causam evangelii omnino propensus est, *Palatinus* non iniquus. Verum quia mandata quae ab Hispania veniunt minus fidei habent, maluissent rem ab Electoribus universis compositam, penes quos summa in Imperio est potestas. Id impeditum

6) *N. 132, not. 16.*

7) *deperditam.*

8) *Genevam puta, ad restituendas res. Uter is fuerit Comitum, et quis Genanus, nescimus.*

fuit, quod *Moguntinus* multas ob causas a *Saxone* repudiatus est: *Ioachimus* in comitia consentire ausus non est, a quibus patruus excluderetur. Ergo nostri articulos obtulerunt, quibus se invitos ad belli cogitationem descendisse ostendebant: siquidem iniurias exponebant quibus fuerant ad id consilium necessario adacti. Pacis leges dicebant, ut suas sibi ecclesias administrare liceret, sub qua administratione bonorum ecclesiasticorum dispensationem volebant contineri. Integrum deinde sibi servabant, ut in foederis societatem possent admittere qui adiungere se vellent. Quum oblati iam essent articuli, discessimus. Postea significavit *Bucerus* Electores duos plus aliquanto concedere quam *Caesaris* legatum. Ratio est, quod *Caesar*, quum hostium nostrorum opibus indigeat adversus Turcam perinde ac nostrorum, cupit utrique parti sine alterius offensa gratificari. Summa tamen postulati eius est, ut citra praesentis status mutationem, viri docti ac probi et minime contentiosi conveniant, inter quos de capitibus religionis controversis disceptetur: postea res ad Comitia Imperii referatur, ut de sententia omnium ordinum ecclesiae germanicae reformatio transigatur. Inducias ad ea peragenda anni unius paciscitur. Nostri nec brevibus adeo induciis contenti sunt, et aliquid certius sibi dari postulant. Ita omnia sunt adhuc in suspenso: nec extra belli periculum sumus, nisi *Caesar* ulterius procedat. *Iuliacensis* nuper patre orbatus, legatos misit cum huiusmodi mandato, se ducatum Geldriae, cuius legitimus erat dominus, Dei beneficio recuperasse: nunc sibi de eo controversiam moveri tum a *Caesare*, tum a *Lotharingo*, sine ullo satis specioso praetextu. *Lotharingum* enim nihil iuris posse obtendere, nisi quod sit haeres postremi Ducis. Atqui illum per vim, contra ius et fas, ducatum possedisse, qui sententia Imperii familiae Iuliacensi adiudicatus erat. *Caesarem* praetexere quidem emptionis titulum: sed quam vel commentitiam, vel nimis fraudulentam esse appareat: nempe quum pretium fuerit 50 millium coronatorum, quo vel sola urbs aestimari queat: certe eam summam infra anni unius reditum esse. Rogabat ergo nostros ut apud *Caesarem* intercederent, ne principem Imperii sine causa lacesseret. Quod si *Caesar* nollet precibus acquiescere, auxilium eorum ad tuendam communem libertatem implorabat. Nihil adhuc responsi tulit: quando consilium capere ex rerum suarum inclinatione necesse habebunt. De foedere tamen nulla fiebat mentio, etsi non est a religione alienus. *Angli* petitio fuit ut legatio ad se nova mitteretur, cui adiungeretur *Philippus*: ut haberet cuius consilio uti posset ad ecclesiam melius constituendam.[9]) Non erat dubium quin legationem missuri essent Principes. *Melanchthonem* mittere non placebat, quod mollitiem animi eius suspectam habeant. Neque vero qua in opinione sit aut nescit, aut dissimulat: tametsi mihi sanctissime deieravit vanum esse hunc timorem. Et sane ut videor mihi eius animum perspicere, non minus illi fidere ausim quam *Bucero*: dum negotium est cum iis qui sibi indulgeri aliquid volunt. Tanto enim studio propagandi evangelii flagrat *Bucerus*, ut quae praecipua sunt contentus impetrasse, interdum sit aequo lenior in iis concedendis, quae minutula quidem ipse putat, sed habent tamen suum pondus. Rex ipse vix dimidia ex parte sapit. Sacerdotes et episcopos severis sanctionibus, non tantum ministerii privatione, arcet a coniugio: missas quotidianas retinet: septem sacramenta vult salva esse: ita habet mutilum et semilacerum evangelium, ecclesiam vero multis adhuc nugis refertam. Iam quod sani cerebri non esse omnes vident, scripturam vulgari idiomate haberi in regno non patitur: ac novum interdictum nuper publicavit, quo ab eius lectione plebem arcebat. Atque ut intelligas illum non iocose insanire, nuper virum quendam probum et doctum exussit ob negatam praesentiam Christi carnalem in pane: cuius mors ab omnibus piis et eruditis valde comploratur. Nostri tamen utcunque eiusmodi facinoribus graviter offendantur, eius regni rationem habere non desinent. Video de coniuratione [10]) nihil ad vos pervenisse praeter obscurum et ambiguum rumorem. Cardinalis *Polus* fratrem [11]) habebat virum et primariae nobilitatis, et autoritatis inter proceres maximae. Siquidem eorum familia Regem propinqua cognatione attingit: ipse vero rarae cuiusdam prudentiae et gravitatis habebatur. Ita sibi in causa fratris moderatus erat, ut nihilo esset apud Regem deteriore loco. Quum Regi minime suspectus esset, quia palam dissidium cum fratre prae se ferebat: omnium opinionem sua calliditate fefellit. Ita inter se pepigerant, ut Cardinalis exercitum duceret per Galliam: simul atque accederet ad finem regni, tumultum frater eius cum aliis coniuratis excitaret: quo Rex occupatus in placandis intestinis motibus adversus externum hostem defendere se non posset. Cardinali facile erat armare militem Papae sumptibus. Verum priusquam adventaret, detecta est ab indice conspiratio. Nam quo se rite instruerent, necesse habuerant complures facere conscios. Nepos vir strenuus quum audisset pactiones esse deprehensas, voluit sibi mortem consciscere. Sed quum impeditus fuisset, saevitiam quaestionis ferre non potuit. Se-

9) *Cf. Corpus ref. III.* 671. 676. *Seckendorf III. p.* 225. *Schmidt, Mel. p.* 351.

10) *utrum vera an ficta, ambigitur. Weber, Gesch. der altkath. K. und Secten in Grossbr. I. p.* 470.

11) *Imo duos: Lord Montague et Sir Geoffrey Pole, qui suam vitam caeteris traditis redemit.*

quuta est aliorum confessio: in omnes autores vindicatum est. Quum tot ac tantis Dei beneficiis tam male respondeat Rex, vereor magnopere ne tandem graves poenas luat suae ingratitudinis. Interim dum Francfordiae habetur conventus, mortuus est ex insperato filius *Georgii*, qui ob insaniam vinctus custodiebatur. Si fuisset patri superstes, tutela novis motibus potuisset praebere causam. Nunc successor est non dubius ille *Mauritius Henrici* filius, quem in foedere esse supra indicavi. Ita bona spes est, ditionem quam nunc tenet *Georgius*, statim Christi peculio accessuram. Nam *Georgius* aetatem excessit procreandae soboli idoneam. [12]) Hac ratione vides, quantum ad summam rerum, pendere adhuc omnia, nec certam habere inclinationem. Quo magis rogandus est nobis Deus, ut faustum aliquem exitum rebus tam perplexis afferat.

Quid profecerim in causa fratrum, simul quale fuerit, ac quibus de rebus meum cum *Philippo* colloquium, rescisces per *Michaëlem*, qui ante novem dies abire constituit. Cogor enim nunc prae tabellarii festinatione mittere dimidiatas literas. Alteram partem tunc excipies. Vale frater mihi amicissime. *Thomam* [13]) ac fratres omnes mihi saluta. *Capito* et *Sturmius* te millies salutant. Gratia Domini nostri Iesu Christi tecum. Argentorati, 17 Calendas Apriles 1539. [14])

Calvinus tuus.

163.

SADOLETUS GENEVENSIBUS.

Iacobi Sadoleti cardinalis R. E. et episcopi Carpentoracti ad Senatum Genevensem scriptam epistolam a. d. XV. Cal. Apr. 1539, edidimus una cum Calvini responsione Opp. Tom. V. pag. 369 seqq. praemissa brevi dissertatione historico-literaria ibid. p. XLIV seqq. Exstat quoque haec Epistola manu scripta in Archivis reip. Genevensis fascic. N. 1208. Incipit a verbis: Arbitror aliquibus vestrum.

12) *De his rebus vide Sleidan p. 145 ed. l. Seckendorf,* III. 212. *v. Langenn, Moritz v. Sachsen I. 68 ss.*
13) *Malingrium.*
14) *i. e. 16. Martii, non 15. ut Bt. habet.*

164.

CALVINUS FARELLO.

Prioris relationis de rebus Francofurdiensibus continuatio, ex Buceri epistolis concinnata. Ipsius cum Melanchthone colloquium de concordia stabilienda et disciplinae ecclesiasticae necessitate. Interim res angusta domi.

(Manu scripta non exstat. Edita est a Beza Gen. p. 11, Laus. p. 23, Hanov. p. 25, Chouet p. 11, Amst. p. 5. — Anglice l. c. I. 104.)

Quoniam verebar ne tibi molesta esset longior mearum literarum exspectatio, malui nuper abscissas praemittere, quam te differre in *Michaelis* adventum. Nunc igitur reliqua contexam. [1]) Prius vero quam veniam ad colloquium *Philippi* breviter tibi exponam quo progressus sit ex eo tempore rerum status. Tam iniquas conditiones ausus est tandem ferre *Caesaris* legatus, ut parum abfuerit quin res iterum ad gladios rediret. Volebat ut se a sacramentariis nostri subducerent. Vides Satanae artes. Hoc scilicet captat, ut non modo vetera, quae olim seminavit, odia alantur: sed novae quoque offensae, velut accensae faces, ad maiora dissidia excitanda accedant. Atqui nostri nec sacramentarios ullos recognoscunt, et coniunctionem sibi esse volunt cum Helveticis ecclesiis. Ideoque illud omissum est a *Caesare*, factumque ut ad paciscendas inducias animi inclinarent: quae utinam ecclesiae Christi utiles sint. Mihi certe nihil boni promittunt. Hoc quoque videt *Elector* Saxoniae, qui quum hactenus cunctator sit habitus, necessitatem belli impositam nobis putavit. *Lantgravius* praeter omnium spem bellum dissuasit. Ac quanquam non detrectabat sequi, si aliter sociis videretur, emollivit tamen eorum animos qui in eius alacritate plurimum reponebant. Nunc ergo res ad inducias vergit, inter quas de concordia utrinque dispicietur. Verum adversarii nihil aliud quam de belli opportunitate cogitabunt. *Saxo* ab hoc conventu *Clivensem* [2]) conveniet, cuius sororem habet in matrimonio. Si ad suscipiendam religionem illum adducere poterit, magnum erit regni Christi incrementum. Siquidem hodie non habet inferior Germania potentiorem principem, et qui latius dominetur: nec superior etiam, excepto uno *Ferdinando* qui amplitudine ditionis tantum superat. De legatione ad Regem pro salute fratrum ac causa religionis commendanda nihildum erat decretum, quum *Bucerus*

164. 1) *Cf. Sleidan II. 140, Planck III. 2. p. 10 ss, Ranke IV. p. 101 ss. Seckendorf, III. 200.*
2) *Guilelmum hoc ipso anno Ioannis patris successorem.*

postremo scripsit.[3]) De legationibus enim ultimo loco agetur, quia ex rerum suarum conditione melius tunc deliberabunt, qua quidque ratione petere debeant. Ergo in id tempus nos sustineamus.

Cum *Philippo* fuit mihi multis de rebus colloquium: de causa concordiae ad eum prius scripseram,[4]) ut bonis viris de ipsorum sententia certo possemus testari. Miseram ergo paucos articulos, quibus summam rei breviter perstrinxeram. Iis sine controversia ipse quidem assentitur: sed fatetur esse in illa parte nonnullos, qui crassius aliquid requirant: atque id tanta pervicacia, ne dicam tyrannide, ut diu in periculo fuerit, quod eum videbant a suo sensu nonnihil alienum. Quanquam autem non putat constare solidam consensionem, optat tamen ut haec concordia, qualiscunque est, foveatur, donec in unitatem suae veritatis nos Dominus utrinque adduxerit. De ipso nihil dubita, quin penitus nobiscum sentiat. De aliis rebus quales habuerimus sermones, longum esset enarrare: sed haec erit aliquando materia iucundae inter nos colloquutionis. Ad disciplinam dum venitur, ipse aliorum more ingemiscit. Magis enim deplorare miseram hac in re ecclesiae conditionem licet, quam corrigere: ne vos istic solos laborare putes. Eduntur quotidie passim exempla, quae omnes ad optandum remedium excitare merito debeant. Eiectus est non ita pridem Ulma vir probus ac doctus cum extrema ignominia, quod non sustineret magis vitiis indulgere. Dimissus est a collegis suis omnibus cum honorifica commendatione, praesertim a *Frechto*. Quae Augusta nunciantur, nihilo magis laeta sunt. Ita posthac res lusoria erit pastores ministerio deturbare ac in exsilium eiicere. Nec malum istud emendari potest, quia nec plebs, nec princeps iugum Christi a papae tyrannide discernunt. Censet ergo *Philippus* nihil melius esse, quam ut in tanta tempestate ventis adversis aliquantum obsecundemus: spemque facit, ubi plus quietis ab externis hostibus erit, opportunitatem fore ut interioribus remediis oculos intendamus. *Capito* nunc Deum et homines obtestatur, perditam esse ecclesiam, nisi mature succurratur rebus tam afflictis: nunc, quia profectum nullum videt, mortem precatur. Verum si vocatio nostra ex Domino est, ut esse non dubitamus, Dominus benedicet, utcunque omnia adversentur. Tentemus ergo remedia omnia: quae si desunt, pergamus tamen ad ultimum usque spiritum.

Quum te video sic afflictari, interdum adesse cupio, ut nonnihil solatii afferam. Rursum dum succurrit nihil me tibi afferre posse, nisi materiam invidiae maioris, libenter absum, ne plus satis gravatum premam. Fratres Waldenses coronatum unum mihi debebant, cuius partem a me mutuo acceperant, partem dederam nuncio qui cum fratre venerat, *Sonerii* mandato. Hunc ut tibi darent, iusseram. Si dederint, retinebis, quo tantundem aere tuo exonerer. Quod reliquum erit, solvam quum potero. Ea enim mea est nunc conditio, ut assem a me numerare nequeam.[5]) Mirum quantum pecuniae mihi effluat in extraordinariis sumptibus: et de meo praeterea vivendum est, nisi velim fratribus oneri esse. Valetudinem quam mihi pro tuo in me amore sollicite commendas, non ita facile curare licet. Sed nimis sum prolixus. Iniuriam enim talibus nunciis facio. Bene vale optatissime frater. Dominus te ad hanc molestiarum molem sustinendam spiritus sui virtute corroboret. Scripta mense Martio 1539.

Calvinus tuus.

3) *Neque postea fuit, quum satis haberent per Melanthonem literas mittere.* (*Corpus Ref.* III. 695.)

4) *Epistola deperdita. Philippus ipse in suis ex Francofordia de C. tacet.*

5) *Henry*, I. 403. *Kampschulte*, I. 321 *sq.*

165.

FARELLUS LIBERTETO.

Episcoporum Lugduni congregatorum molimina. De Olivetani reliquiis et Ioannae Calvinique in easdem iure respiciendo. Fromenti futura statio. Glandinei convicia.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium, Epp. Farelli fasc. I. N. 35.)

Christophoro suo Thononii.

S. Duobus verbis in calce literarum fratris indicas te scripsisse ad me per *Viretum*. Sed neque ex te, neque ex *Vireto* aliquid recepi: unus *Zebedaeus*[1]) laetiora quaedam subindicavit de concordiae successu, ut pergant fratres iuxta promissum rectius ac purius. Adsit ipsis Dominus. Sane, quantum in me est, ut ipsorum felix sit cursus nihil velim omittere: tantum indicetur si qua possim opem ferre. Hactenus non potui aliter sentire, quam *Turnonensem*[2]) pro viribus laborasse in omnibus evertendis: nunc audio *Sadoletum* aliis artibus conari cursum impedire verbi. Hic serio occurrendum: qui viciniores estis cum fratribus agite ac ut occurratur, satagite. Mihi dolet non parum, quod per *Viretum*

165. 1) *qui tamen ipse a Zwinglianorum partibus stabat.*

2) *Card. de Tournon quo praeside tum Lugduni episcoporum, inter quos Sadoletus, conciliabulum habebatur de Geneva ad sacra pontificia retrahenda. Kampsch.* p. 352. *Gaberel* p. 307.

omnium non factus sum certior: forte aliquid est quod nolit me rescire, nimirum parum essem gratum,[3]) nec iis quibus opto Christum esse quam gratissimum. At hoc nuncio nihil laetius, quod ad me attinet, contingere potest, nec ideo quidquam remittere volo de christiana in ipsos caritate, modo absens prodesse possim. Nunc praesens ipsis adesse non possum, nisi quis conficere me velit, puto sic a Domino affectos in mei levamen. *Calvinus* in suis literis testatur *Olivetanum* fide nunquam fuisse astrictum *Ioannae*, diligentiusque interrogatum ab eo pernegasse, praecipue ubi alter, nimirum *Arenarius*,[4]) eam ambiret. Attamen iubet ut ipse agam quod videbitur hic agendum cum *Ioanna*, aut tibi committam, seque ac fratrem probaturum quidquid egeris. Ego sane, nisi dum deliberarem scribere ad *Calvinum* suas relegissem, non meminissem iniunctum mihi vel tibi fuisse: sic effluunt mihi omnia. Ideo, ut scriptum mihi est, tibi iniungo ut agas quod noveris agendum, mentemque *Calvini* tibi aperio hoc ita velle. Igitur transiges cum *Ioanna* et cum aliis quibuscum erit transigendum, ut noris expedire. *Calvino* ex suo est vivendum, nisi, ut scribit, fratres gravare velit: ideo ipsi adesse oportet. De *Fromento* audimus parum grata: contuleramus cum eo ut apud Blasienses[5]) ageret, si posset id commode, a Bernatibus obtenta missione, idque nobis significaret. At non tanti nos facit, satis contemptim habens omnes, unde offenduntur. Puto ipsum veluti in negotiationibus, me in ministerio versari. Dominus ipsum dirigat. Sane opus habet insigni admonitione, quam optarem excipi ab eo ut decet. *Glandineus* diris nos proscidit ac proscindit in dies, sed speramus mox finem suae causae imponendum. Vale: plura non licet. Saluta omnes non ad ......[6]) sedes iam vacat *Elaeiarius* de eundo scribebat: quod dicam non habeo. Neocomi 11. Aprilis 1539.

Farellus tuus.

3) esse me gratum (?).

4) *Neque de hoc, neque de ista Ioanna nobis constat. Quae videtur Tononii degisse aut alias Liberteto propius fuisse notam. Caeterum de Olivetani rebus haereditario iure transmittendis agi videtur, ideoque Calvini intererat ut hoc negotium ex aequo et bono tractaretur.*

5) *St. Blaise ad lacum Neocomensem. Caeterum hoc ipso anno* 1539 *Genevam rediit* (*Kampsch. I.* 367) *quam quando reliquerit non constat.*

6) *vox dubia. Etiam reliqua minus certa.*

166.

LIBERTETUS CALVINO.

Refert quid de libris aliisque rebus ab Olivetano relictis huc usque egerit, quid ultra agere debeat quaerit. Persequutiones variae et crudeles in Sabaudia et Gallia. Genevae pacem inter diversarum partium assedas instaurari posse vix sperandum.

(Ex autographo bibl. Gothanae. Cod. 405, fol. 38.)

Pio atque erudito viro Ioanni Calvino sacrarum literarum professori eximio.

Argentinae.

S. Literas quidem tuas recepi, amicissime frater, utcunque tardius, quum nostrae iam pridem tibi potuissent afferri. Sed ex tuis facile coniicio meas ad te prius non pervenisse. Ego interim, ut coepi, omnia quae carissimus *Olivetanus* et post eum *Alnaudus*[1]) varie disperserant (ut liberalitate et fraterna communicatione totus flagrabat ipse meus *Lodov.*[2]), ea inquam coacervare contendo, quamvis aegre nonnulla, et alia nullo pacto extorquere possimus. Quod frater,[3]) si venerit, verum comperiet, omniaque fideliter cum eo tractabimus. Si vero ob aliquam incommoditatem, puta itineris, expensarum et huiusmodi, non miseris eum aut alium, scribe saltem, et quidquid iusseris, perficiendum curabimus pro viribus: sive libros ad te aut alio mittendos sive hic vendendos duxeris, et pretium mox per *Farellum* ad te deferendum curabimus. Non enim habeo per quem isthuc aliquid mittam, praeter carissimum *Farellum* cui iam priores ad te dederam. Scripta vero et lucubrationes laboriosissimas fratris studiose apud me asservo. Indicabis quid magis expedire visum fuerit. Sunt nonnulla secretissima quae, ut mutua fert tam arcta amicitia, nulli quam tibi vel *Farello* velim ipse committere. Indumentorum partem *Alnauldus* retinuit, causatus ea quae, dum viveret, contulit in eum, longe quidem maioris pretii quam detrita, ut ait, haec vestimenta. Sed et fere poenitebat eum quod reliqua tam mature reddidisset. Ego vero pium fratrem his minimis interturbare nolui, imo commune hoc vitium potius dissimulavi. Partem alteram indumentorum servabat *Antonius* ille pauperculus sartor, cui in catalogo usus eorum concedebatur, atque ideo tenuitatem suam obiicientem magis urgere non ausus sum.

Frater ille classis nostrae a crudelissimo tyranno *Bernardo* a pistrino Aquianensi cum aliquot sicariis

166. 1) *Nomen hoc ignotum. Cogitabamus de* Almeute, *i. e. Sonerio quem hoc nomine ab ipso Olivetano decoratum scimus ex praef. operis biblici. Sonerius enim eius in vallibus Pedemontanis comes fuerat.* (*Herm.*) III. 319. 351. 398.) *Verum is tum temporis Genevam reliquerat.*

2) *Lodovicus, ipse Olivetanus, ut demonstravit idem* III. 290. 418. *Cuius reculae et libri in illo itinere italico a quo non rediit variis locis depositi aut aliis ad tempus concessi fuerant.*

3) *Calvini.*

iam pridem (ut ex ordine ad te scripsi), dum ex paroecia ad alteram festinaret, violenter raptus, circa decimum captivitatis suae diem mira Domini providentia e faucibus huius leonis Anissiaci [4]) ereptus est dum Nicenum pergerent. Ita dispensarat Dominus ut tyrannus, vias quaerens indirectas per scopulos, nihil de rapto fratre cuipiam aperiturus, coactus fuerit per urbes et pagos se ubique iactans transire, adeo ut in dicta urbe potus ex uno diversorio alterum mox abiturus ingrederetur, ubi frater omnibus ingredientibus fidei suae rationem reddebat ingenue: cui per voluntatem Domini praeses, qui alios enecat, vitam servavit, accedente mox diligentia quidem non exigua magnificorum legatorum [5]) atque praefecti qui tunc Genevae erant. Rerum novarum rumor hic multus est, qui nihil non belli atque tumultus saevissimi ubique portendit, vel puerorum (quod vulgare est praesagium) quotidiani exercitus per compita id indicant. Persequutionem quidam a Delphinatu profecti recrudescere aiunt, non solum in nostris partibus, sed et in Provincia, maxime in Waldenses. *Chananatium* quendam ludi moderatorem cum *Pellissone* Viviaci rogo consecratum aiunt: Gratianopoli aliquot, Avenione unum, et alibi alios capite detruncatos, alios vero carceribus crudelius quam antea variis divexatos modis. Nunc, nunc nostra possumus erigere capita, quoniam proxime instat redemptio nostra.

Vale, mi carissime *Calvine*, et te ad proximam messem eximiam prudenter servato. Dominus id et omnia faciat pro sua bona voluntate. *Ioannes* Rhoma rediit Genevam, e cuius colloquio deprehendi me eodem mense superiore Aug. eodemque fere die de vita periclitasse bis aut ter, quo amicissimus, [6]) imo animus meus, sive dimidia mei, ut ais, pars ex hoc migravit saeculo. Utinam simul utrumque Dominus iunctissimum ex hac valle miserrima sustulisset. Sed ad alia nos parat summus opifex, cuius voluntati perpetuo parere nos faciet sua in nos tam immensa benevolentia. Salutabis, si placet, nomine nostro D. *Capitonem* et D. *Bucerum*, *Aedionem* et alios viros eximios, non omissis *Caspare Hymb.* et *Henrico*, quibus velim pro viribus consulere. Tononii, 11. Aprilis 1539.

Tuus quantus quantus est
Christof. Libertetus.

Arbitror *Farellum* tibi ex ordine scripsisse quid cum Genevensibus ministris egerimus. Ego mox ab ipsa reconciliatione Genevam concessi, ut pro mea tenuitate conventis satisfacerem: quod probe successit. Sed aegre tandem a multis id exoravimus: parati potius erant caput et vitam exponere, non solum exsulare, quam ad coenam convenire cum aliis, nisi intercessissent pii fratres quibus fidunt. Illa ministrorum reconciliatio. *Viretus* demum ante Pascha quoque reliqua illic egregie perfecit, bis item aut ter magno fructu concionatus. Nunc pacatis omnibus Satan insanire incipit quod sic perstringatur. Tu, mi frater, urgebis (ut plurimum potes) negotium. De restauratione eorum quae tam misere corruerunt cum ministris contuli, sed parum spero vulnus id gravissimum per huius autores (ut habentur) sanatum iri. Vale rursus, et si videretur tibi ut *Caspar* huc ministraturus verbum accederet, impelle eum. Desunt enim nobis tres aut quatuor ministri, tribus etiam paroeciis singulis designatis ministris.

4) *Annecy.*
5) *Bernensium.*
6) *Olivetanus.*

167.

LIBERTETUS BARBARINO ET FATONO.

Mittit hanc simul cum praecedente ad Calvinum ab ipsis quoque legenda. Libros quosdam tam medicos quam alios sibi ad tempus poscit.

(Ex autogr. bibl. pastorum Neocomensium, fascic. epp. Fabri N. 46.)

Carissimis fratribus Thomae Barbarino ministro Bodriaci et Ioanni Fatono ecclesiastae Columbariensi.

Pontareusae. [1])

S. Tam variis occupor negotiis ego imbecillis viribus, optimi fratres et amici integerrimi, ut *Farello* nostro ac vobis nunc (ut decreveram) scribere non liceat. Quamobrem, si velitis, poteritis has ad *Calvinum* reserare et perlegere, quum eadem vobis scribere non possim, atque demum *Farello* nostro tradere, quem rogo ut tuto et sigillo suo insignitas mox mittat. Articulorum *Basilii* confutationem a *Zebedaeo* non recepi. Moneto eum, si liceat, ut ad me mittat. Sperabamus vos hac aestate huc usque exspatiaturos, sed vos urgendo equorum intractabilium more magis retrocedere videmini. *Thoma*, si contingat tabellarius et commode carere poteris, De orando Deum Chrysostomi cum Methodo Galeni, quem circumferre posthac cogar, [2]) et com. Oribasii

167. 1) *Pont-à-Reuse, vicus prope Colombier, in quo, ut videtur degebat Fatonus, pastor oppidi huius* (157, *not.* 9.). *Thom. Barbarin, Delphinas ob religionem exsul, tum V. D. M. in oppido Boudry.*
2) *Libertetus olim medicinae operam dederat in academia Montis Pessulani.*

in Aphorismos mittito precor, vicissim missurus. Si quid ita tibi necessarium fuerit, libellum de Morbis et symptomatibus omitto, non minus quam alii mihi necessarium ob praxim medicam, cui a quibusdam importune adigor incumbere, animo tandem invito. Sic omnibus usibus proximis nostris inservire cogimur et libenter facimus quantum suppetis. Valete. Tononii, 11. Aprilis 1539. Salutate omnes.

Vester Ch . . .[3])

168.

CALVINUS FARELLO.

Multis negotiis obrutus raptim novissima tradit de conventu Francofordiensi deque rebus ecclesiasticis Argentoratensium.

(Manu scripta non exstat. Impressa legitur Gen. p. 16, Laus. p. 31, Hanov. p. 34, Chouet p. 18, Amst. p. 8. — Gallice in edit. Colon. p. 4. Anglice in edit. Edinb. T. I. p. 108.)

Non memini hoc toto anno fuisse diem unum, quo magis obrutus fuerim variis negotiis. Nam quum hic nuncius voluerit principium libri mei secum auferre, circiter viginti folia relegere me oportuit.[1]) Ad haec legendum fuit et concionandum,[2]) scribendae quaternae literae: transigenda quaedam controversia,[3]) respondendum plus decem interpellatoribus. Excusabis ergo si et breviter et minus accurate scribo de omnibus rebus. Quid in conventu[4]) deliberatum fuerit, non prius intelligemus ad liquidum quam redierit *Bucerus*, quem ex eius literis exspectamus ante septem dies. Scripsit tamen nobis nunquam se vidisse paratiore animo principes nostros ad evangelii defensionem. Certe Smalcaldiae facinus in re non magna ediderunt, quo prodiderunt animi sui magnitudinem. Erant enim illic impurae quaedam imagines, quas cum suis altaribus diruerunt. Sustulerunt etiam in coena elevationem, quam hactenus retinuerant. Eant nunc qui moderationes nescio quas somniant, ad quas nos revocent. Hoc tibi volui in gustum praebere, ut intelligas eos procul abesse a trepidatione. Senatus quoque noster cordatum se praebet. Nuper Abbatissam,[5]) quae dilapidare coeperat bona monasterii, in custodiam dedit. Camera imperii Episcopi rogatu eam dimitti iussit. Contemptum est mandatum. Socii foederis factum approbarunt, et se causam recepturos testati sunt. Missus inde nuncius ad cameram qui denunciet non staturum Senatum illius iudicio, qualecunque tandem fuerit. Exspectamus ergo dum lusorium suum fulmen iaculentur. Cura obsecro ut *Balliotus* pecuniam mittat, unde *Wendelino*[6]) satisfiat. Non possum nunc ulterius pergere. Saluta omnes fratres diligenter. 20. Aprilis 1539.

Calvinus tuus.

3) *charta abscissa.*

Si itaque conveniat, missas vel missarum celebrationem dici panegyrin eam qua sancte et nomine Christi conveniunt, peccata sua praeeunte ministro confitentur et absolutionem ab eodem percipiunt; deinde sacras leges et prophetarum atque evangelicorum librorum lectiones atque explicationes audiunt, psallunt et fidem confitentur, suaque consecratione qua se Christo addicunt, oblatis pro egentibus donis testantur, tum communiter pro omnium ecclesiarum necessitate preces fundunt, et recitatis verbis Domini sacram[8]) corporis et sanguinis percipiunt, gratiasque Domino agunt, et percepta benedictione dimittuntur, hanc panegyrin, caeremoniam et actionem si conveniat missarum vel celebrationis missarum nomine intelligendam, non certe abolitionem sed correctionem missarum profiteri nos testati sumus.

Quum autem vulgo et[9]) autoribus adversariis nemo missarum nomine eiusmodi caeremoniam intelligat, ut quae nusquam etiam apud eos tot iam saeculis exstet, et nostram veram eucharistiae administrationem, eandemque quam preces[10]) missarum solemnia vocaverunt caeremoniam et actionem adversarii missarum nomine dedignarentur, confirmavimus nos hac in re fecisse quod Aristoteles prudenter docet: retenta enim sententia sapientium et veterum, sumus hac voce usi more vulgi pro horrenda illa eucharistiae perversione quam adversarii missarum nomine venditant, utque ea prorsus tolli ab ecclesiis Christi debet, ita etiam abolitionem eius non correctionem professos nos esse.

Nam adversarii istis suis missis primum communionem corporis et sanguinis Christi nec praedicant verbis nec exhibent sacramentis, deinde sacras preces et lectiones, quas ibi recitant, ea lingua recitant qua populus nec excitari nec institui potest, nam eam non intelligit. Postremo, quod omnium est perniciosissimum, faciunt homines ea ipsa sua actione fidere pro Christo. Nam videmus maiorem partem hominum, qui in ipsorum adhuc ditione sunt, quamvis in atrocissimis perseverent sceleribus sintque ab omni poenitentia alienissimi, tamen quotidie audire missas: quod indubie non facerent, ut sunt religionis inanes, nisi illis sperare se posse [*crederent*] meritam iram Dei evadere et ea sibi Dei beneficia mereri, scilicet vitam diuturnam et beatam, praeterimus, quodque[11]) offerenda erant esurienti et sitienti nudoque, extorri, aegroto et captivo Christo et minimis egenis dispensanda, faciunt offerri sibi abliguriendo[12]) cum omne genus sceleratis hominibus, levitatem item et non dignitatem[13]) turpissimam. Proinde nemo studiosus Christi missas istas non ut summam abominationem exsecrari possit.

Ad haec Carolus testificatus est, se has abominationes ex animo exsecrari, ac propterea, ab eo quum primum Galliam reliquit et ad nos pervenit, nullam missam fecisse nec porro facturum, sed de hac ipsa re sic loqui propter bonos qui passim Christo serviunt in vera fide, et facilem correctionem rituum receptorum ac praecipue huius caeremoniae admittere possint si non nimia novatione offenderentur, et ea ipsis relinquerentur quae per se

7) *lege:* ne rogare quidem pro eo possit.
8) *lege:* sacramentum.

9) ex.
10) priores? prisci? patres?
11) *lege:* Praeterimus quod quae . . .
12) abliguriendа.
13) *Iam in margine codicis coniectura proponitur haec:* foeditatem item et nundinationem.

impia non sunt et a veteribus pie usurpata agnoscuntur.[14]) Nos homines vel in solitis precibus satis videre, oportere nos per omnia niti meritis Christi, non ministerio eucharistiam celebrantis ullave caeremonia externa, qua vel ibi geritur, vel alibi ab ulla creatura geri possit. Sed et illud clare in ritu veterum et consuetis concionibus exstare, oportere mysterium Christi in hac caeremonia explicari populo ad fidei in Christum instaurationem et sacramentorum communicationem diligenter commentari atque totam quoque exhiberi: denique nec verum usum oblationum difficile sit istis ostendere et persuadere ex iis quae adhuc in usu ecclesiarum haerent.

Art. 3.

Ad haec nos respondimus: quaecunque ecclesiae in administranda eucharistia fiduciam externi operis, quantum poscit salus populi huic nimis alte immersi, avertere studeant, et praedicare confirmareque fiduciam Christi, ita ut necesse est in ista Christi ignoratione et neglectu, laborent, communicationem corporis et sanguinis eius sedulo commendent et integram omnibus praestent, nec sine ea eucharistiam in coetu populi celebrent, preces quoque, lectiones et doctrinam sic administrent, ut inde populus vere excitari et aedificari possit, intellectisque omnibus amen adiungat, oblata quoque curent Christo offerre et minimis[15]) eius, et verbum eius dispensari. Ad hunc, inquam, modum si quae ecclesiae eucharistiam administrant, et gravissimas istas perversiones et abusus quibus papistae cunctam fiduciam Christi averterunt amoveant, his nos in reliquis omnibus ritibus et observationibus omnia libertati, quae ad veram piorum aedificationem instituitur et usurpatur, libentissime accessuros.

Art. 4.

Gratulabatur post haec nobis consensionem de eucharistia, quae ecclesiis nostris restituta est, ut citra transsubstantiationem, ac etiam veterem Christi Domini cum symbolis eucharistiae coniunctionem, quae detrahat aliquid vel veritati humanae naturae in Christo, vel gloriae eius coelesti in qua nunc regnat, aut tantum inania symbola[16]) absentis Christi, sed ipsum Domini corpus et ipsum sanguinem distribui et percipi cum pane et vino in sacra coena agnoscant.

Art. 5.

Praeterea dicebat, sibi videri non solum causa vitandae offensionis sed etiam gratia aedificationis instituendae et promovendae retinendum esse in ecclesiis symbolum impositionis manuum, siquidem depellatur omnis quae abusu huius symboli irrepsit superstitio: nam et apostolos spiritum sanctum ad confirmationem et robur christianae religionis hoc symbolo tradidisse baptisatis, sicut et facultatem donumque spiritus ad obeunda in ecclesiis sacra ministeria. Veterem vero ecclesiam, ut apud Cyprianum videre est, etiam veniam peccatorum ea confessis eodem symbolo fecisse. Quumque in his certis Christi promissionibus hoc signum adhibeatur, et exhibendis donis Christi invisibilibus usurpetur, non videri sibi quare huiusmodi istius symboli usurpationes non etiam sacramenta appellari possint, vel secundi ordinis, quando non ita expressum Domini de his mandatum in sacris literis exstet, ut de eucharistia et baptismate.

Ad ista respondimus: nos optare ut in omnibus ecclesiis primum ii qui in infantia baptizati sunt diligenter de religione nostra, quum primum eius per aetatem possunt capaces esse, publice per ecclesiarum ministros instituantur, quo catechismus, qui non potuit ante, post baptisma adhibeatur. Deinde, quum promoventur huiusmodi catechumeni, ut[17]) profiteri fidem Christi in ecclesia seseque ipsi Domino in obedientiam evangelii atque disciplinam ecclesiae adducere foedusque salutis propria conscientia cum Domino inire valent, ut ecclesiae per parentes suos, vel ab his paratos deductores, publice sistantur et coram omni populo ab illis commodis rogationibus per ministros eosque procuratores et fidei confessio et Satanae mundique abrenunciatio suique ipsorum in obedientiam Christi in disciplinam ecclesiae addictio et consecratio publice recipiatur, utque hac professione sancta et ἐπερωτήματι bonae conscientiae (ut divus Petrus vocat) completo, tum etiam prece, pro confirmatione spiritus iis qui ita professi sunt, fusa ab omni ecclesia, eisdem a primo ministro manus imponantur, quo ille symbolo eis nomine totius ecclesiae, imo Christi, confirmet manum Domini ipsos conservaturam, corroboraturam et deducturam in omnibus, adeoque ubertim suum spiritum inflaturum ut sancte et pie in ecclesia eius versantes progressus salutis indies faciant, regnumque Christi ornent et augeant.

Itaque velle nos etiam ii[18]) qui ad sacra ecclesiae ministeria rite delecti probatique fuerint, eiusmodi impositione manuum, quum fidem illi ministerii sui publice in ecclesia professi sint, et facta pro eis ab ecclesia precatio fuerit, spiritum sanctum exhiberi, id est, donum et facultatem spiritualem munus suum sancte et salubriter obeundi, sicque eos ad functionem suam inaugurari et ecclesiae commendari.

Ad eundem modum diximus, nos et illud pro-

14) *Alter textus*: cognoscuntur.
15) *vox dubia.*
16) *Scriptum est*: cimbla.

17) *lege:* et.
18) iis?

bare ut ministri veniam peccatorum hoc symbolo facta peccatorum exomologesi petentibus addicant, ita ut maiores nostri et ecclesia Christi soliti sunt facere. Videmus enim Dominum Christum et omnes ministros eius quum veteris tum novi testamenti hoc symbolo impositionis manuum, tanquam generali, ad reddendos homines certos de favore ac beneficiis Domini adque ea ministerialiter exhibenda usos fuisse. Dominus sane precando et manus imponendo, favorem patris ot donum redemptionis, quam parabat, contulit. Ita apostoli eodem signo tradebant spiritum Samaritanis et sanitatem aegrotis, sic et donum spiritus sancti iis quos praeficiebant sacris ministeriis. Mose quoque Iosuae impositis manibus initiavit.

Itaque hoc signo ad exhibenda ea dona Domini, quorum habemus certas promissiones, uti ecclesias salutariter posse iudicamus, quamquam de eo nec Domini nec apostolorum mandatum exstet: quod enim Dominus et apostoli tum ecclesia vetus sic isto symbolo usi sunt, id nobis satis ostendit quid hac in re non [19]) probetur et queat a nobis utiliter usurpari. Quia scimus et ecclesiis hanc libertatem esse, ut commendandis promissionibus Domini firmandaeque in eas fidei quibusvis etiam signis uti possint, modo ea ad commendandas promissiones Dei et fidem in his roborandam vere faciant nec quidquam vel superstitionis aut offendiculi secum trahant. Sed nec de appellatione sacramenti nos pugnare testati sumus, quandoquidem tot praeclarae nobis a Domino promissiones factae sunt, nos ab ipso bonum spiritum et dona atque facultates spirituales, et quibuscunque opus sit ad bene exsequendum quae ipse iniunxit, siquidem fide oremus, impetraturos. Iam ministrorum Christi atque dispensatorum mysteriorum eius et [20]) hasce promissiones verbis et signis confirmare credentibus et ipsa haec dona nomine Christi exhibere. Nam Dominus hos vult esse administros spiritus, peccata remittere et charismata sua dispensare. Inde est quod Paulus scribit ad Timotheum: donum praedicandi evangelii datum ipsi et ei inesse per impositionem manuum presbyterii. Divus quoque Augustinus in 2. contra epistolam Parmoniani libro ordinationem sacramentum vocat: quum enim probare vult, haeresi ut non baptismum ita nec ius dandi baptismi amitti, hanc rationem adfert quia utrumque sacramentum sit et quadam consecratione utrumque homini detur, illud quum baptizatur, istud quum ordinatur, ideoque in ecclesia catholica neutrum licere iterari.

Respondimus igitur Carolo, nos neque si ecclesiae ista symbola ita ut praemisimus usurpent, neque etiam si sacramenta vocent repugnare, sed studere etiam ut ubique ad eum modum restituantur: tantum ut absit omnis superstitio, meritique et virtutis Christi, qui caput ecclesiae suae in ea omnia suo ipse spiritu virtuteque perficiet, obscuratio, et confirmandis promissionibus illius excitandisque animis ad suscipienda ipsius dona vera fide omnino facient, [21]) nec dicantur facere quum re vera serviant superstitioni. Cur enim damnaremus in se quod Christus et apostoli tanta religione observarunt? Quapropter in plerisque nostris ecclesiis ministri impositione manuum ordinantur et a peccatis qui ea confessi sunt et veniam petunt absolvuntur, sed et confirmantur iam eodem symbolo qui de religione instituti coram ecclesia professionem Christi publice faciunt: quum in ecclesiis papae adhuc servientibus pro vero istius symboli usu nihil quam abominanda quidem superstitio et ludibrium quoddam exhibeatur praesertim in confirmatione.

Art. 6.

Monebat deinceps Carolus de confessione et absolutione privata, videri sibi (aiebat) et has debuisse in ecclesiis retineri et propter erudiendos qui in cognitione religionis rudiores adhuc sunt, et propter confirmandos eos qui habent conscientias gravius perculsas. Magni enim debet esse nobis quod Dominus dicit: Quorum remiseritis peccata, iis ea remissa erunt etc. Nam videri sibi Dominum his verbis quoddam in ecclesia instituisse tribunal de peccatis iudicandi, eoque inde vel remittendi vel retinendi.

Ad hoc diximus: magni quoque haberi hanc Domini sententiam et quaecunque de remittendis peccatis ministerio ecclesiae in evangelicis literis exstant, eoque docere nos, neminem extra ecclesiam et contempto eius ministerio remissionem peccatorum percipere posse. Sed adiecimus huno in veteri ecclesia ordinem observatum fuisse, ut oum remissione peccatorum primum baptismate exhibuissent. [22]) Nam quae eo primum peccata abluuntur, tum remittendi peccata ministerium praeterea praestarent quum ii qui in graviora peccata lapsi ea vel postquam abstentione fuissent correcti vel antea se peccasse coram ecclesia confessi et veniam admissi ab ecclesia precati essent. Ut vero occulta admissa quispiam sacerdoti aperiat neminem adactum fuisse, quod ex scriptis sanctorum patrum et ecclesiastica historia abunde cognosci potest. Id enim satis apparere plerosque, quos iudicii divini metus plusculum agitabat, ultro etiam occulta sacerdotibus aliquo modo confessos fuisse et aliquod ab eis poenitentiae exercitium suscepisse, cum consolatione absolutionis. Nam quum hi viderent quanta se-

19) nunc? *vel fortasse:* eum . . .
20) *lege:* est.

21) faciant.
22) *Locus desperatus. Haec et sequentia Oedipo opus haberent, et probabiliter nonnulla interciderunt.*

veritate de poenitentia sua ecclesiae satisfacerent qui in graviora et manifesta peccata incidissent, et audirent a fidelibus pastoribus, ieiunia illa, vigilias, accubationes in humo ect. quibus humiliabantur ii qui in professione poenitentiae erant, esse remedia, quae peccata,[23]) quibus, quum vera fide susciperentur et fierent, meritae afflictiones temporales interdum redimerentur, et futuri lapsus, edomita sic carne et impetrato spiritu iustitiae robustiore, caverentur, monebantur ut si quando paria mala admisissent, quanquam id clam esset ecclesia aut ministris, paribus item poenitentiae operibus et studiis cuperent se purgari et contra similes casus confirmari.

Istud autem faciebant libero et sua sponte, non aliqua ecclesiae lege adacti, sed paterna modo hortatione invitati, nec quod ita fieri compelleret salutis necessitas, sed alliceret certis conscientiis in re desperata utilitas. Si enim ista observatio habita fuisset ad salutem hominum necessaria, vel ex illis demum verbis: Quorum remiseritis peccata, ita ut baptismus et eucharistia in universum fidelibus commendata sunt, indubie ecclesia Constantinopolitana eam non removisset, aut certe D. Chrysostomus, quod praedecessor eius in inconsulto sustulisset, qua erat religione, statim restituisset. Sequi igitur libet veterem et meliorem ecclesiam, quam constat ad occultorum peccatorum, quorum homines apud tribunal ecclesiae convinci per testes non possunt, confessionem et satisfactionem paternis exhortationibus invitasse, non lege aliqua compulisse. Nam Innocentius III. primus legitur de hac re legem tulisse in concilio suo Romano quod celebravit anno Domini 1216.

Nam ut sancti patres nullam eius necessitatem fecerunt, sed utilitatem modo ostenderunt, ita nec nobis fas fuerit affirmare, nullis remitti peccata posse nisi ea ministris nominatim et in specie confessi fuerint. Neque ea vocatur veteribus peccatorum confessio qua homines quid peccarint enarrent, sed qua se peccasse fatentur et deplorant. Quum enim publicam facerent exomologesin eorum malorum quae autem ecclesiae non erant nota, ad quid utilis fuisset admissorum narratio? Non itaque requirebatur ut exponerent quid fecissent, sed ut faterentur se male fecisse et promitterent se deinceps nihil tale admissuros.

Scimus illud a schola dici solitum, si ab ecclesia remitti peccata oportet, cognosci etiam ab ea oportere, ut illa sciat quid remittere debeat. Sed hic paralogismus accidentis est. Cognosci quidem ab ecclesia oportet quantum tamen ad eius cognitionem deduci confessione potest, tum quem peccatorum absolvere debet peccasse idque agnoscere, sed non quid peccarit: nam ad id ut homines percipiant absolutionem et remissionem in nomine Christi non requiritur ut ipsi sciant quidnam quavis in re peccarint, ut nemo etiam id scire potest, sed quod peccarint in omni vita sua, quod ea etiam vitiositas ipsis innata sit, ut nunquam possint quod ad ipsos attinet non peccare, adeo ut semper illis oranda sit vis spiritus Christi ad ea quae recta sunt ducentis et impellentis, et iuxta etiam peccatorum remissio omnisque salutis fiducia in uno Christo qui nostra peccata expiavit ponenda. Eo enim valet depravatio naturae nostrae, ut in his quoque factis, quae acti spiritu Christi bene agimus, legi tamen non satisfaciamus et peccatum semper admisceamus: quapropter Dominus ipse nos docuit continenter orare: remitte nobis debita nostra.

Art. 7.

Referebat ad ista Carolus: quum tamen ad remissionem peccatorum requiritur agnitio peccatorum et maxime quae[24]) peccata sint quae admisimus, eam agnitionem acriorem utique fore, si in singulis etiam male admissis consideretur quantum sit peccatum quantumque mali perpetratum. Deinde dignum quoque esse ut veniam pro quolibet delicto, cuius conscientiam habere possimus, a Domino oremus: proinde posse etiam singula utiliter ministris indicari, ut illa ex lege quam graviter peccatum sit doceant, et ad agnoscendum eo plenius, et ad expetendum eo ardentius Christi beneficium excitent.

Ad quae respondimus, et in nostris ecclesiis doceri, ne homines quae prave faciunt dissimulent, et ut pro singulis etiam peccatorum, quoad fieri potest, veniam a Domino orent, at ut immorentur diu in consideranda gravitate cuiusque peccati pro se et ex suis circumstantiis et velle inde poenitentiam excitare et augere, non doceri, ut id nec veram nec salutarem poenitentiam vel suscitat vel auget, si vel libidinem peccandi revocat, vel legalem modo poenitentiam, quae fiduciam somni[25]) sui trahit, ingerit, autem[26]) certe etiam ad perniciosam desperationem impellit. Quocirca ita nos de his homines docere. Primum si quid peccarint, quamlibet id minutim videant, ne id contemnant, si[27]) ex eo per legem Dei quod malum sit cognito, statim sese immittant in considerationem radicis peccatorum, unum[28]) et id quod tantum admisisse se dolent, et omnia alia suppullulant, et perpendant quaenam illa et quanta sit: eam vero radicem docemus vere

23) *Hic quoque errorem latere manifestum est. Vel deest verbum:* quae peccata obliterarent, *aut aliquid simile, vel pro:* quae *reponenda alia particula, ex. gr.* contra.

24) *vox dubia.*
25) *sic.*
26) aut (?)
27) sed (?)
28) *Sensus postulare videtur:* ex qua et id unum . . . .

ignorationem et diffidentiam Dei, amorem sui, neglectum proximi, perturbatam et maxime verum enim [29]) cupiditatem, qd. s. [30]) naturam ipsam totam, quanta quanta est, Deo et legi eius perpetuo repugnantem, ita ut vitio originis perdita est. Quae consideratio facit homines de omni iustitia sua penitus desperare sibique displicere, totos pendere, quos premit peccatum rei. Deinde ne vetis [31]) in hac consideratione rei minus insistant movemur, sed hortamur veniant atque agnoscant sentiantque se totos perditos in peccatis et conceptos et natos esse semperque vixisse et vivere, ut ad Christum Dominum sese attollant qui iubet ad se venire quicunque laborant et onerati sunt, qui est propitiatio pro peccatis nostris, et in ipsa remissione peccatorum apprehensa patri coelesti, cum [32]) ut in gratiam restituti filii recte fidant, factique ita de omni in se paterno animo certiores, scilicet ut vero ipsius ita et iustitiae studio, mandant [33]). Ad hanc vero salutarem resipiscentiam docemus sacrum ministerium, sed privata institutione et absolutione, plurimum conferre. Quare ut utramque homines magni faciant admonemus.

Sed ut singula pravo facta ministris exponantur, aut ut privatim singuli [34]) vel in quem etiam peccata sua certis temporibus ministris confiteantur non requirimus, propterea quod id nullo verbo Dei nec exemplo apostolico ullo doceatur. Ad id autem hortamur ut iuniores aetate, et quicunque opus eruditione habent, sese ministris aliquando sistant erudirique se de omni cognitione Christi patiantur. Ita hortamur nos eos qui perturbatas habent conscientias, sive inopia iudicii de suis actionibus, sive imbecillitate fiduciae de remissione peccatorum, ut privatis confessionibus consilium et consolationem apud suos pastores quaerant. Monemus etiam multo plures esse in ecclesiis qui hac privata confessione egregie iuvari queant (quae vulgo patent). [35]) Itaque optamus multo quoque maiorem esse omnium in ecclesiis cum pastoribus suis consuetudinem, ut privatim et confirmari commodius possint quotquot eo habent opus et ad hanc consuetudinem usumque sacri ministerii etiam privata quum doctrina tum consolatione diligenter hortamur.

Sed [36]) ut patres ad privatim confitendum eruditionis maximae utilitatis et praescribendi exercitia poenitentiae incitabant, ita nos praecipuae utilitatis, consolationis ex privata absolutione veroque usu sacri ministerii. Vero enim perturbatis conscientiis et tamen ad Christum suspirantibus ingens consolatio accedit quum nomine ecclesiae et Christi privatim etiam peccata remitti sibi audit. [37]) Nam illud iure magnifacimus: Quorum remiseritis peccata etc. Itaque hortamur nostros ut verba ministri in absolutione accipiant tanquam ex ipso ore Christi profecta.

Iuxta haec et generalem peccatorum confessionem et absolutionem, quae in ecclesiis fit, sunt nihilominus certa magis quae utilitatem habere affirmamus. Nostra itaque sententia [38]) et doctrina de confessione et remissione peccatorum quae in ecclesiis exerceri debet, hoc in primis necesse esse ut adulti omnes peccata sua confiteantur: hoc est, se in omni vita sua esse peccatores plane perditos, sed nisi de singulari aliquo alio delicto ab ecclesia reprehensi sint, satis est id fieri confessione generali sine explicatione omnium peccatorum. Domini ecclesia peccata primum remittens [39]) baptizando, deinde generalibus illis absolutionibus quae quotidie fiunt praebendo eucharistiam. Praeterea privatam confessionem et absolutionem hominibus commendandam, utilitatis privatae eruditionis et consolationis [40]) usuique sacri ministerii: necessitate autem salutis a nemine posse exigi ut privatim minister iudicet, nisi possit de certo aliquo peccato convinci.

Ultra haec nihil posse ex iis scripturae locis evinci quae de remittendis peccatis per ecclesiae ministerium testantur. Nam tametsi omnino oporteat peccata ministerio remitti secundum illud: Quorum remiseritis peccata etc., nullus tamen exstat scripturae locus quo concludi certo posset administrari hanc remissionem per ecclesiam non posse, nisi iis qui et privatim fatentur se peccasse et enumerent singulatim quid peccarint. Sed manifestis factis apostolorum et veteris ecclesiae cognoscitur, sufficere se profiteri peccatorem et remissionem per Christum petere, sive id quis palam et cum aliis sive privatim pro se faciat. Nam enumerationem singulorum factorum neque in publica neque in privata confessione vetus ecclesia unquam requisivit.

Art. 8.

Fecit Karolus post haec etiam mentionem de extrema unctione, de qua rogabat an cuiquam ecclesiae vitio daudum putemus si illam ita ut divus Iacobus descripsit aegrotis adhibeat.

---

29) *Pro his duabus particulis quae evidenter perperam scriptae sunt desideratur unum adiectivum.*

30) *sic!*

31) *Vox corrupta, et proxime sequentia plus quam obscura.*

32) cum *delendum videtur ut tolerabilis evadat sensus.*

33) mancant (?)

34) singula?

35) *sic!*

36) *Sequitur locus corruptissimus. Sensus esse videtur, a scriba misere distortus, hic: patres privatae confessionis utilitatem in dictandis exercitiis poenitentiae posuisse, reformatores in absolutione.*

37) audiant.

38) *adde:* est

39) remittit (?) remittendo (?)

40) *vide tu an inserendum:* causa, caett.

Respondimus: Si nihil admisceretur superstitionis, et symbolum illud tantum ad confirmandam orationem fidei a Christo cuncta petentis et exspectantis adiungeretur, nihil in eo damnaturos esse.

Tamen quia nec ista epistola plane autoritatem apostolicam habet nec a prima ecclesia inter solennes et communes omnibus ecclesiis caeremonias unctio haec numerata esse dicitur, testati sumus ita eam aliis ecclesiis nos permittere retinendam, ad commendandam pure unctionem Christi, ut invicem contendamus nunc ecclesiis concedi ut eam praetermittant, postquam superstitioni, hoc est, fiduciae operis externi tantopere servivit, et apud nostros homines apostolica simplicitas sic recepta sit et adametur, ut non queat facile ista unctio promovendae fidei in Christum apud nostros servire: sicut nec pleraeque aliae caeremoniae et ritus, quos tamen non infitiamur a veteribus, donis Christi commendandis, pie adhibitos. Ea [41]) iam constat, nullis prorsus symbolis aut caeremoniis locum in ecclesiis dandum esse, quae non ut verbum evangelii per auditum, ita ipsa per oculos et alios sensus testimonium redemptionis Christi suo modo et pure confirmet. [42])

Art. 9. [43])

Ad haec Karolus referebat: sibi satis esse si istiusmodi ritus non ut per se impii damnentur, in abusu eorum se quoque agnoscere plurimum impietatis admissum esse et hodie admitti.

Art. 10.

Rogabat deinceps D. Karolus de invocatione sanctorum qui cum Christo coelesti pace fruuntur, an iudicaremus si ecclesiae Deum invocent, ut illorum pro se preces dignetur exaudire, etsi quis ex hoc voto ad ipsos etiam verba faciat, non quidem ea opinione tanquam ipsi ea verba audiant, sed quemadmodum quis in vehementi cogitatione de amico etiam nou [44]) hic agente, absente tamen, incipit apud se quasi cum illo loqui, ad eum tanquam praesentem, postquam animo iam praesto est, verba dirigere.

Ad ista respondimus: nos optare ut ecclesiae satis habeant memoriam sanctorum eorum, de quibus nobis certae historiae exstant, sic celebrare ut populus opus et redemptionem Christi in illis magis cognoscat et pleniore fide amplectatur, imitationeque fidei eorum amplius accendantur.

Nam per qualemcunque opinionem de illorum pro nobis apud Deum intercessione (initio enim nil aliud quae [45]) pater per Christum orabatur ut sineret illorum apud se preces, quas pro nobis facerent, valere) ea superstitio et impietas invecta est, ut [46]) illa, si non superavit, certe aequavit tamen abominationem ethnicorum. Sed ita solet evenire ubi tanti fiunt quae nullo adeo Dei verbo vel probato etiam sanctorum quos scriptura commendat exemplo, suscipiuntur. Et quisnam qui Christi apud patrem pro nobis intercessione rite fidat, eiusque pondus rite intelligat, possit de intercessione divorum sollicitus esse? Ut enim hic nobiscum agentes sanctos hortamur ut pro nobis orent, alia ratio est: communicamus adhuc tota vita cum illis in qua primum esse debet ut in nobis et illis nomen Domini sanctificetur et urgent [47]) eius amplificetur. Inde fit ut quum eos vere praesentes verbis, vel absentes literis convenimus, votum istud primum omnium nominis Dei sanctificandi merito proferamus, utque illorum est eodem voto ad quamlibet occasionem inardescere, commodum hortamur eos in ea re ad officium et petimus ut pro nobis preces fundant. Cum iis autem qui hinc discesserunt, etiamsi nihilominus nostra [48]) sint, et optent nobiscum nos secum ad imaginem Dei plene restitui, tamen nullam cum eis vitae praesentis communionem habemus.

Quare quum nullo etiam scripturae vel oraculo vel exemplo huc invitemur, haud facile sine immunita [49]) aestimatione et fiducia intercessionis Christi quisquam de invocatione divorum tam sollicitus fuerit eiusque desiderio sic inarserit, ut ipsos tanquam praesentes et se audientes appellet, maxime quum de Christi intercessione eam promissionem habeamus, nos quidquid in nomine eius rogemus id etiam impetraturos esse. Si igitur de Christi patrocinio recte sentimus, de divorum precibus pro nobis qui possumus tam anxii reddi ut, ceu extra nos positi, ipsos tanquam coram essent alloquamur? Et quare etiam unum et alterum potius quam omnes? Ut autem excessum affectus huiusmodi in privatis utcunque excusaremus, qua ratione transferre autem liceat in publicas preces ecclesiae, quae ita institui debent ut sint privatis precibus certissima regula et exempla purissima? Nos alia ratione excusandos D. patres de ista divorum appellatione putamus. Natura ita comparati sumus ut dum laudes tam eximias divorum vel ipsis [50]) celebramus vel audimus celebrari ab aliis (uti sancti pratres in

41) *sic!*
42) confirment (?)
43) *Numerus hic evidenter falso appositus.*
44) etiamnum (?) *i. e. adhuc superstite.*

45) quam?
46) *Ante hanc particulam quae etiam soloecismum comitem secum ducit, aliquid excidisse videtur.*
47) *sic. In margine iam olim aliquis emendavit:* regnum.
48) nostri.
49) imminuta.
50) ipsi

memoriis ipsorum praedicare maximo studio soliti sunt), singulari quadam ipsorum sanctimonia velut extra nos rapiamur, ipsosque sic laudatos tanquam ob oculos nostros praesentes animo nostro intueri et suspicere videamur, et ea pium animum quasi exstasis[51]) et divorum ceu praesentium admiratione ut[52]) consequitur ut eos mens nostra, ut quos praesto sibi esse et coram intueri videtur, affari etiam incipiat: quas apostrophas et ethnici scriptores in laudibus mortuorum fecisse leguntur.

Itaque existimamus sanctos illos patres qui in suis panegyricis orationibus de divorum laudibus orationem ad divos converterunt ipsorumque apud Deum intercessionem rogaverunt, indulsisse quum ardore animi sui in divos quem tam magnificis illorum laudibus in se ipsis excitabant, tum etiam more oratorio et susceptae grandiloquentiae, certe in usum ecclesiae publicum istas appellationes divorum non transtulerunt, contenti ut ecclesiae Deum publice orarent sanctorum pro nobis intercessionem valere. In istis tum suis apostrophis certe perniciosum exemplum privatis precibus praetulerunt, quod paulo post et in publicas preces irrepsit. Solenne enim precibus fuit, in perorationibus orationum quibus divos celebrabant, minus magnificas divis ipsis preces offerre. Id quod et apud Gregorium Nazianzenum et Dionysium etiam videre est, ut Prudentium et alios taceamus.

Postquam igitur haec res prava posterorum immutatione in tantam ruinam pietatis et multiplicationem atque robur manifestissimae anthropolatrias cessit, nostrum fuerit, ut qui moniti tantis malis sumus, quidquid ad tantam religionis eversionem, vel stabiliendam, ubi ea adhuc subsistit, vel renovandam, ubi submota est, ullo pacto valere possit, studiosissime adversari tollere et arcere.

Art. 11.

Addebat ad haec Karolus se nullum purgatorium statuere eoque nec rationem ullam animas inde liberandi.

Art. 12.

Proposuit et idem Karolus de precibus pro defunctis, quibus dicebat ipsis a veteri ecclesia non remissionem poenarum purgatorii, sed beatam resurrectionem modo quaesitam esse, quumque haec omnibus Domino credentibus promissa sit et exspectetur adhuc nos pro illa et pro nostris mortuis orare.

Respondimus: nos non repugnare quin pie optari queat a nobis, impleri etiam in defunctis regnum Christi et regenerationem perfici. At vero huic rei caeremoniam constituere et publicas in ecclesia pro peccatis defunctorum preces habere, coenam Domini celebrare et oblationes offerre, quae omnia vetus ecclesia factitavit, nescimus quo modo comprobare liceat. Apostoli enim nihil de eo vel verbo vel exemplo praecepisse leguntur, sed nec Moses, per quem Dominus populo suo omnes ritus, qui religioni quovis modo competere possint, accuratissime instituit. Luctus quidem suos pro mortuis priscus populus insignes habuit. Qui illis indubie defunctis suis resurrectionem precatus est, attamen abfuit ut publice pro eis ab ecclesia preces atque sacrificium figeret, ut Dominus sacerdotes iusserit a funeribus etiam suorum, nisi ex primo et secundo gradu proximi essent, prorsus abesse. Quumque in sacro ornatu essent in universum nulli eos funeri, ne parentum quidem, adiungere se passus est.

Paulus quoque, quum de luctu mortuorum moderando et ea spe resurrectionis mitigando moneret, si esse officium caritatis agnovisset publicas preces facere pro remissione peccatorum impetranda defunctis, aut saltem pro optata resurrectione, locus profecto erat peropportunus vel verbulo de eo admonendi. Maxime quum id quoque ad institutam de mortuis consolationem non leve momentum habuisset.

Interim autem fatemur, neque id plane pro nihilo habendum, quod ecclesia primis adeo temporibus et saeculo Tertulliani, oblationes fecit pro defunctis. Neque forsan et illud contemnendum quod est de hac re in historia Macchabaeorum. Sed iuxta incertum est, an ecclesia ritum hunc non indulgentia quadam carnalis affectus erga mortuos, vel quadam ethnicorum imitatione potius quam traditione spiritus sancti susceperit. Neque enim verisimile est spiritum sanctum adeo nullam in omni scriptura rei huius significationem daturum fuisse, siquidem officium sit christianae caritatis ab ipso dictatum. Constat autem ecclesiam Tertulliani tempore pleraque observasse in quibus magis humana se cogitatio quam doctrina spiritus sancti ostentat. His itaque inter se libratis, ut nolumus impietatis damnare veterem ecclesiam, quod mortuis per Christum remissionem peccatorum et resurrectionem solemniter et publice oravit, et comitem etiam verae precationis oblationem pro esuriente et sitiente Christo adierit, ita nec hodie quemquam impie facere iudicamus, qui optet suos per Christum dominum feliciter in regeneratione resurgere. At docere, esse in officio caritatis, vel publicas vel privatas pro defunctis preces instituere, quum id nulla scriptura docet, et cessit ecclesiis tam male, haudquaquam agnoscimus eis competere, qui restitui regnum Christi religionisque puritatem prudenter

51) *excidit verbum.*
52) ut *delendum.*

et vero studio quaerunt. Fatebatur praeterea Karolus se saepe admodum turbatum fuisse eo quod videamur a reliquis ecclesiis quandam fecisse secessionem atque petebat ut sibi exponeremus quanam ratione huius secessionis crimen a nobis depelleremus.

Ad id ei diximus: societatem unitatemque ecclesiarum inter se constare fide et confessione Christi professioneque doctrinae eius et usu vero sacramentorum atque disciplinae communicatione, et nulla rituum aliorum vel caeremoniarum conformitate. Alioqui nec ecclesiae posteriorum temporum cum ecclesiis apostolorum una ecclesia essent. Iam nos persistere in vera fide Christi, fideique huius confessione retinere sinceram Christi doctrinam, et sacramentis ita ut ipse instituit uti, disciplinam Christi membris libenter admittere, et omnia in vicem quoque libenter praestare ac praestituros esse omnibus qui illam a nobis suscipere volunt. Permanere igitur nos in vera societate et unitate ecclesiae et corporis Christi cum omnibus ecclesiis et privatis etiam christianis, qui hoc, quod dicuntur, vere sunt. In erroribus utique quos in doctrina, et superstitione quam e ritibus, simonia et perversitate quam e ministeriis ecclesiae repurgavimus, non esse suam ecclesiarum societatem et veram Christi communionem. Itaque nec in ritibus illis, qui ut nullo verbo Dei vel probato exemplo ecclesiis obrepserunt ita superstitioni perniciosissimae servierunt, quos utique submovere penitus debuimus potius quam corrigere, dum illud instaurandae apud nostros religioni conducibilius esse, quam hoc deprehenderemus. Et ut plerique ritus, quos submovimus sine detrimento religionis, retineri potuerint, nullos tamen omnino sustulimus, qui non sint ex earum rerum genere de quibus nos nemo iudicare debet, Coloss. 2, et quarum rerum libertatem ecclesiae sibi invicem semper permiserunt, dum a veris pastoribus administrarentur, et quae nec hodie in ecclesiis eodem [*modo*] non servantur. Nullam igitur nos ab aliis ecclesiis Christi, quae id vere sunt, secessionem fecisse, sed pseudoepiscopos cum papa suo nostras ecclesias et nos ministros earum indicta causa abiecisse et haereseos iniquissimo condemnasse. Propterea quod a recepta veritate Christi et instituta regni eius apud nos instauratione vellemus ad ipsorum mendacia.[53])

Et vero quia Carolus semel in administratione puriore evangelii quam profitemur fuit, et hinc rursus ad cardinales quosdam et alios papae addictos praelatos sese recepit, remittique sibi a pontifice romano potiit, quod apud nos tanquam apud haereticos ac schismaticos fuisset, id quod bulla Pauli tertii,[54]) quae ipsi impetrata et erga eum exemtioni demandata est, nos iam admonuimus hominem, ut agnosceret serio quam graviter Christum et eius ecclesias hac a nobis ad papae dominatum reditione nostrarumque ecclesiarum et ministrorum earum criminatione offendisset. Nam licet in nostris ecclesiis multum sit adhuc infirmitatis, ut quae ex gravissima illa dissipatione papae romani tyrannide festa[55]) nondum sese plane receperunt, nec possunt illico omnes eadem enodare minusque pari dexteritate explicare in vita quoque subinde a nobis ipsis et nostris admittantur . . . . . .,[56]) datum tamen hoc nostris ecclesiis est, ut nullum omnino dogma nostrae religionis sit quod non ignata[57]) fide teneant et constanti simplicitate profiteantur.

Testis est nostra confessio Caesari in Comitiis Augustanis exhibita et alia nostra scripta. Credimus enim confitemur et praedicamus Deum unicum in essentia, trinum personis, patrem, filium et spiritum sanctum. Patrem ingenitum, filium a patre ab aeterno genitum verum [*Deum*] de Deo vero, spiritum sanctum procedentem a patre et filio, item eiusdem cum patre et filio naturae et essentiae. Et filium carnem nostram assumpsisse, eundemque verum Deum et hominem vera sua morte peccata nostra expiasse mortemque nostram destruxisse, sua resurrectione veram iustitiam et vitam aeternam restituisse. Et quum coelos ad dexteram patris conscendisset, rex et dominus et instaurator omnium, spiritum sanctum paracletum ecclesiae suae misisse huiusque vi et donis et testium ministerio ecclesiam sibi collegisse, collectamque per omnia saecula servare, quam ut corpus suum ipse caput eius praesens praesentia regit, sanat, instaurat per doctrinam, sacramenta et disciplinam suam, in qua sola remissionem peccatorum et veram poenitentiam exhibet, et spem futurae et beatae vitae confirmat, quam et penitus restituet puramque sistet sine omni macula et ruga, tradens regnum suum [*dic?*] reparationis Deo et patri ut Deus iam sit omnia in omnibus. Quum autem gloriosus et toti mundo in nubibus caeli et maiestate patris conspicuus apparuerit iudex vivorum et mortuorum, singulisque secundum sua merita rependerit: vitam aeternam [*iis*] qui vera ipsi fide, quae non potest non per caritatem efficax esse, crediderunt,[58]) iis vero qui in eum hac fide non crediderint aeterna supplicia. Haec et quaecunque ab his primis religionis nostrae capitibus pendent, consentientes cum universa ec-

53) *Errorem hic latere patet, sed quis sit, tibi investigandum permittimus.*

54) *deest verbum.*
55) facta (?)
56) *deest aliquid.*
57) immota (?)
58) *sic textum restituimus non omni ex parte sanabilem Codex exhibet:* rependerit vitam aeternam. Qui vera etc.

clesia Christi quae ab initio usque ad hunc diem fuit, et futura est usque ad finem mundi, firmiter credimus, simpliciter confitemur et constanter praedicamus, eoque cuncta huius fidei symbola a sanctis patribus constituta recipimus et sequimur.

Praeterea hoc saeculo nostrae ecclesiae solae articulum iustificationis primique praecepti de vera in Deum fiducia puroque cultu Dei, observatione quum in doctrina tum in usu sacramentorum et caeremoniarum caeterarum recte tenent et sinceriter docent; solae et sacri ministerii dignitatem et disciplinam vero studio restituere laborant, legitima ministrorum electione ac probatione, tum etiam synodorum censura revocata, quum in ecclesiis quae papae adhuc serviunt, quantum quidem attinet ad publicam earum administrationem, videamus articulum iustificationis prorsus obliteratum esse, aperto doceri et geri quae fiduciam in divos, in illorum reliquias, memorias, idola, in sacrificulorum iactatam pietatem sine verbo, in sanctimoniam, in opera, in caeremonias et propria etiam facta, in purgatorii denique quod finxerunt peccatorum expiationem in populo ita suffulserint ut ea fiduciam vivam Christi plane evertant: ministrorum etiam ordinem in illis ecclesiis impudentissimis adeo simonia et foedissima sacrorum nundinatione vitaeque tanta spurcitia et nequitia defoedatum et proiectum esse totus orbis deplorat: ut nulla unquam superstitio in ministris suis tantam perversitatem et impunitatem tulerit. Quae quamvis immanissima mala praeterea cumulant saevissima et crudelissima persequutione omnium eorum qui veram Christi doctrinam, purum sacrarum caeremoniarum usum et vitae reliquam disciplinam, hoc est, ecclesiarum restitutionem reducere annituntur.

Hortati itaque Karolum graviter sumus ut perpenderet quid sit ad hosce tam flagitiosos et impios homines ac totius regni Christi eversores gravissimosque hostes a nobis quoquo modo reverti, ac prae se ferre tanquam sentiat apud illos doctrinam Christi et administrationem ecclesiae eius habere tolerabilius quam apud nos, illisque titulum ecclesiae catholicae concedere, nobis schismatum crimen et haereseos impingere.

Horum itaque quum Karolum admoneremus confessus est ingenue, ut et antea fecerat quam ipsi ista obiecissemus, se gravi infirmitate magnaque quadam perturbatione perculsum ac praecipitatum fuisse. Testabatur tamen se nunquam animo a nobis secessisse, tametsi dum ei iam apud nostros locus non esset corpore ad pontificios se contulisset. Se enim, licet ad impiorum praelatorum dominatum quoquo modo recepisset, non tamen eorum impiae tyrannidi sed sanctis potius Christi qui sub illorum tyrannide dispersi sunt et captivi tenentur, ministerium Christi exhibere et docere voluisse. Itaque se in ista quamlibet gravi perturbatione atque infirmitate superatum a Domino esse, ut quamquam apud adversarios constitutus nullum tamen articulum fidei sanaeque doctrinae nominatim sed in quem [59]) tantum omnem haeresin et errorem abiuraverit, nec uxorem suam abdicaverit, nullam item impietatem docuerit, nec missas habuerit: verum contra articulum iustificationis ea claritate et constantia privatim et publice asseruerit, ut ob id subinde in nova discrimina inciderit mutareque loca oportuerit. Et huius luculenta nobis testimonia exhibuit, inter caetera etiam epistolam ad se Sadoleti in qua nominatim ab illo reprehenditur quod fidem et satisfactionem Christi recte praedicasset et purgatorium et humanas satisfactiones dissimulasset, imo et damnasset. [60]) Praeterea testabatur se ob id ipsum ad nos rediisse, id quod utique non potuerit non perdurum esse carni suae, quum propter tam gravem quae ei nobiscum intercessisset offensionem, tum etiam propter factam a nobis secessionem, quod viderit spe sua apud adversarios Christi studium in illis locis resuscitandi frustrari et a praelatis, qui initio apud se animos instaurationi ecclesiarum haud iniquos prae se tulerint, nihil fore exspectari posse, quam indies magis magisque se munire laborent contra omnium ecclesiarum reformationem regnique Christi restitutionem, quo ex ista . . . . [61]) ecclesiarum oppressione et spoliatione, quam nunc obtinent, ambitionem luxumque suum diu queant fovere. Aiebat se non dubitare, imo id expertum esse, Dominum ubique multum populum servare, et sperare se Domino etiam apud adversarios non plane inutilem fuisse: ita multos illic puram Christi fiduciam motos sua praedicatione amplexos esse. Sed dum improbitate praelatorum et monachorum loco Christi sinceriter praedicandi excludi se videret, non alia causa ad nos revertisse quam quia apud nos et esse veras ecclesias Christi et ministerium eius haberi sincerum non dubitaret, sperare tque fore sibi in nostris ecclesiis locum ubi iuxta Christi doctrinam vivere cum fratribus, his facultatibus quas a Domino accepisset quantulaecunque essent, et commodare aliquid posset. Nam si ita sibi iratus Dominus fuisset, ut traditu in sensum reprobum se cupiditatibus carnis suae potius quam regno Christi cedere maluisset, fuisse sibi oblatas conditiones ab adversariis omni de gratia Christi nihil sollicito haudquaquam poenitendas.

Ad hunc itaque modum Karolus nobis suum casum et in eo Domini misericordiam exposuit, oravitque per Christum veniam omnium quae vel a nostris ecclesiis ad hostes Christi se conferendo

---

59) in genere (?)
60) *Cf. Tom. VII. p.* 299.
61) *vox dubia.*

vel nostras ecclesias per bullam illam vel alias quocunque modo criminando, aut saltem non ut oportebat defendendo, et apud adversarios haerendo, aut quovis pacto alio toto illo tempore suae perturbationis peccasse, quum ipse sibi conscius esse posset, tum vel nobis vel aliis videretur. Abiurabat diserte et graviter omnem consensum cum papa romano et cum cunctis eius creaturis et administris qui illi in ista in qua est regni Christi oppressione sanctorumque persequutione conspicinnt[62]) et verissimis antichristis: quos universos et singulos, dum in ista sceleratissima et immanissima ecclesiarum devastatione et evangelii Christi oppugnatione perseverat,[63]) coram Domino et nobis anathemate devovebat, seseque pro veritate Christi, de qua ipsi nobiscum non convenisset, ac omnium instauratione ecclesiarum staturum nobiscum ac pugnaturum, pro portione spiritus Christi quae ipsi contigisset, dum uti se Dominus in hoc ministerio et in hac vita dignetur, qua papam et cunctos antichristos impietatisque assertores,[64]) sanctos licet qui dispersi sub istorum tyrannide sunt, ut omnes filios Dei vera caritate et Christi visceribus amplectatur et salvos optet.

Postquam igitur ad hunc quem praemisimus modum de omni doctrina Christi eiusque administratione Carolo nobiscum convenisset suumque lapsum, quum in recedendo a nobis et nostros traducendo, tum se ad hostes Christi recipiendo, veniamque ab illis quod apud nos fuisset petendo, et quidquid in ista sua perturbatione peccavit, ingenue confessus esset, antichristosque et cunctam illorum impietatem diserte damnasset, seseque constanter posthac perstiturum atque dimicaturum nobiscum contra papisticam et omnes religionis nostrae perversiones et pestes pollicitus esset, gravi etiam exsilio et multis aerumnis lapsus sui poenas dedisset, denique cum iis ipsis fratribus cum quibus certamen gravius habuit et a quibus ad pontificios discessit iam in gratiam rediisset, de quo illorum literas dudum acceperamus, quique petebant ipsi Christi lenitatem et caritatem benigne impendi, visum nobis est, esse lenitatis et dilectionis christianae fratri sic nobiscum de regno Christi consentienti eiusque se propugnationi addicenti casumque suum cognoscenti veniam praecipitationis suae et reconciliationem cum ecclesiis Christi quam tantopere flagitabat nequaquam denegare.

Proinde quantum ad nos attinere potest, et salva confirmataque ea conventione qua Agathopoli a fratribus nostris in gratiam receptus est et consensionem Christi admissus, in nomine Christi remissionem peccatorum suorum addiximus nostraeque eum ecclesiae ac nobis reconciliamus,[65]) et ut fratrem et symmystam amplexi sumus: quod etiam eo fecimus libentius qnod evidentibus argumentis deprehendimus eum, dum apud adversarios fuit, Christum praedicare non destitisse, atque quam primum ipsi huius facultas plane negari coepit recta ad nos rediisse, potiusque dixisse apud nos in libera sinceraque Christi confessione cum summa vivere paupertate et gravibus exerceri aerumnis, homo iam paulo minor sexagenario, quam apud *Ἀντίχριστος*[66]) honoribus affluere et delitiis. Dominus Iesus eum et nos omnes conservet et spiritu suo in dies augeat. Amen.

Volphgangus Capito.	P. Karolus.
Martinus Bucerus.	
Casparus Hoedio.	
Matthias Zell.	
Ioannes Calvinus.	
Iacobus Bedrotus.	
Ioannes Sturmius.	

(datum pro copia.)

188.

CALVINUS FARELLO.

Acta cum Carolo enarrat, in quibusdam paulo aliter atque in praecedenti documento perscripta sunt, in quibusdam locupletius. Simul amicum severe vituperat quod erga hominem istum tam facilem se praestiterit.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 30. — Recentiora exemplaria habentur ibid. Cod. 111, fol. 151, in Archiv. Bern. Ep. T. VII. p. 300, unde descripsit Simler Vol. 47. — Anglice legitur in edit. Edinb. I. 127 sqq.)

Optimo fratri meo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo.[1])

Ego quum his diebus novum subinde argumentum scribendi occurreret abstinere a scribendo volui, donec ad exitum aliquem perductum esset *Caroli* negotium, cuius tractatio nostros distinebat, me vero cura vehementer anxium habebat. Non visum est *Bucero* expedire ut ullis actionibus interessem, donec ventum foret ad spem aliquam concordiae, vel saltem incli-

62) conspirant?
63) perseverant.
64) *deest verbum, fortasse plura, nam et quae sequuntur manca videntur.*

65) reconciliavimus (?)
66) *ἀντίχριστον, vel ἀντιχρίστους.*

188. 1) *Farellus adscripsit:* 8. Octobris 1539. de Carolo.

natio aliqua in utramvis partem facta esset. Id a me impetrari non difficulter passus sum: ne quid asperius dicerem, quod maiores etiamnum turbas excitaret. Et hoc ipse expetere videbatur, quo liberior esset adversum nos dicendi locus. Inceperant, quantum intelligere potui [2]) a doctrina. Sciscitati enim sunt, numquid in ea quam praedicamus fide desideraret. Ille de certis capitibus contulit, quae ordine recensentur in actis quae postea perscripta sunt et nostra subscriptione comprobata. Inde ad eius defectionem descenderunt, quae erat epitasis actionis. Conatus est modis omnibus excusare. Iactabat enim iustissimam causam se initio contra nos suscepisse: non enim protinus ad accusationem prorupisse, sed amice postulasse ut subscriberemus tribus symbolis: nos vero non tantum detrectasse, sed vexasse multis cachinnis symbola illa, quae perpetua bonorum consensione autoritatem firmam in ecclesia semper habuerant. Exceperunt nostri, non tamen fuisse illi causam cur ad papistas deficeret. Deinde severissime castigatum hortati sunt ad resipiscentiam. Quum vocatus essem respondi ad eius obiecta. Et primum quidem totam rem, ut erat, ab initio exposui. De symbolis nos purgare, paulo fuit difficilius. [3]) Erat enim illud odiosum, nos ea repudiasse, quae quum totius ecclesiae suffragiis sint recepta extra controversiam esse debent. Quanquam id quoque diluere promptum erat, nos non respuisse, multo minus improbasse, sed ideo tantum detrectasse subscriptionem ne ille, quod captaverat, de ministerio nostro triumpharet. Manebat tamen semper aliquid invidiae. Praesertim vero id favorem illi conciliabat, quod paulo antequam nos vexasset receptus fuerat in ministerium *Claudius*, [4]) qnem constabat ab omnibus ecclesiis fuisse toties iure damnatum. Ergo, tametsi malitiose fecisse ipsum ostendebam, efficere non potui ne praetextum aliquem habuisse [5]) videretur nos impetendi. De battalogiis satisfacere meum fuit. Ego vero nullo negotio comprobavi [6]) esse illic battalogiam. Confessus tamen sum, me non fuisse dicturum nisi eius improbitate coactus fuissem. Sed volumen conscribere opus esset, si referre omnia vellem. Summam enim totius nostrae contentionis retexui, [7]) ac ita ordine digessi, ut facile appareret malum a nobis non prodiisse. Nunquam melius sensi quantopere nos gravassent suis delationibus amici nostri Bernenses [8]) quos nosti. Nemo erat nostrorum qui de innocentia nostra dubitaret. Vexabant me tamen de symbolis, quod subscribere noluissemus, quum id sine periculo esset, ac nos magna suspicione eximere posset. Consilium ergo nostrum uno ore improbabant. Haec absente *Carolo*. Rogavit deinde *Bucerus* ut ea omnia notarem in quibus deliquisset. Id nolui. Habebat enim semper aliquid quo vel eluderetur vel extenuaret delictum. Quando igitur nihil profuturum me videbam ea ratione, praetexui me nolle instruere contra eum accusationem: satis mihi esse, si se peccasse profiteretur ex animo. Verum quia exitum mihi fore difficilem providebam, nihil magis urgebam quam ut sine me transigerent. Nihil me velle impedire, modo ne assentiri cogerer. Hoc quia existimabant esse impedimentum, non concesserunt. Confecti ergo sunt articuli in quibus nonnulla ipse deprecatus est, [9]) quae eius rogatu fuerunt expuncta. Tum ad me missi fuerunt multa nocte. Quum legissem, uno loco sic fui consternatus, ut non meminerim toto hoc anno maiori in moerore fuisse. Postridie mane vocavi ad me *Sturmium*. Dolorem illi meum exposui. Retulit illo ad *Bucerum*. Condixerunt mihi horam in aedibus *Matthiae*, [10]) qua exponerem quid me gravaret. Illic graviter peccavi quod non potui modum tenere. Ita enim totam mentem meam occupaverat bilis ut omni ex parte acerbitatem effunderem. Et erat sane aliqua indignationis causa si adhibita fuisset moderatio. Expostulabam quod *Carolo* iam abituriente defungendi causam [11]) illos articulos mihi obtulissent, quod pronunciarent bonos sibi videri me inaudito, quod sententia iam lata subscriptionem a me peterent, qnam si recusarem illos adversarios essem habiturus. Res tamen ipsa praecipue me commovebat, quod illic dicebat *Carolus* se commendare Domino offensiones quibus impulsus ad defectionem fuerat, ideoque commendare quod ex parte ad alios pertinerent. Clausula orationis meae fuit: mihi decretum esse potius perire quam illud obsignare. Illic tantus utrinque fervor fuit, ut non fuerim futurus asperior in *Carolum* ipsum, si adfuisset. Tandem proripui me ex coenaculo. Sequutus est *Bucerus*, qui postqnam me suis sermonibus mitigavit, retraxit ad alios. Dixi me velle amplius considerare antequam plane responderem. Ubi domum redii, correptus sum mirabili paroxysmo, nec aliud solatii occurrebat

2) *Hinc elicere possis colloquium ipsum non ita systematice ut in Actis perscriptum est, sed magis desultorie processisse; Actis enim ipse Calvinus nomen subscripsit, citra dubium antea perlectis.*

3) *Primum scripserat:* De symbolis diluere studui quod erat maxime odiosum. Nos illa respuisse negavi. *Quae in archetypo deleta non leguntur in apographis, neque apud Anglum.*

4) *Glandineus, nunc in agro Vadensi minister* (*N.* 145 *not.* 16).

5) I could not take away from him every pretext for attacking us.

6) by no means have I admitted that there was here any useless battology *etc. quod ex diametro sententiae autoris repugnat.*

7) *Apographa omnia, et post ea Anglus add.* iis.

8) *Consenus et Meierus.*

9) he had proposed himself.

10) *Zellii.*

11) *sic in archetypo. Caeteri:* causa.

quam in gemitu et lacrymis. Eoque magis excruciabar, quod tu mihi istorum malorum causa eras. Identidem enim mihi exprobrabant tuam lenitatem, qui clementer statim *Carolum* amplexus esses. Me nimis esse capitosum, qui nihil moverer isto praeiudicio. [12]) *Bucerus* omnes personas quidem induebat, ut animum meum emolliret: sed exemplum tuum interim mihi invidiose obiectabat. Neque vero excusare hic potes vel incogitantiam vel nimiam facilitatem. Atque, ut ingenue loquar, maiorem et gravitatem et constantiam et moderationem in te merito quis desideret. Institerunt tibi boni fratres ut illum reciperes in gratiam. Hic non cessisti, sed prorsus concidisti. Animadvertisti paulo post lapsum. Poenituit. Atqui sine poenitentia recipere ipsum poteras, [13]) nisi modum excessisses. Patere [14]) ergo me solatium aliquod capere ex tuae culpae accusatione, quae mihi tantopere incommodavit. Quod si coram appellare te potuissem, convertissem in te totam illam intemperiem quam in alios effudi. Postquam me aliquantulum recepi vocavi ad me *Iacobum* [15]): sciscitatus sum quid cum eo actum esset. Quaedam retulit quae mihi animum exciturunt. Itaque postulavi ut locus ille induceretur, ubi defectionis suae culpam in alios derivabat, utque nominatim confirmarentur illae conditiones, quibus receptus fuerat a vobis in gratiam Agathopoli. Aliquid melius effecissem, nisi me impedisses. Tibi ergo imputa si quid est vitii. Primum, quod non ea qua decebat moderatione reconciliationem temperasti, ut non nisi cum solenni lapsus ac resipiscentiae testificatione ipsum recepisses. Deinde, quod non mihi perscripsisti omnia ut acta fuerant. Spero tamen scriptum, ut nunc est, fore tibi tolerabile: sed magno mihi constitit. Restat nunc ut, quando eum recepimus in gratiam, constanter in ea perstemus. Nam si non debuimus abiicere, omni studio est retinendus. Id non aliter fiet quam si tuos omnes retineas, ne illi insultent. Scriptum, simul ac descriptum fuerit, ad te perferetur. Illic satis firmis vinculis constrictus est, ne quid novi moliatur. Tantum vos eam illi mansuetudinem servate quam praemature exhibuistis. Sed haec et reliqua persequar quum scriptum mittetur. Nunc volui tibi paucis indicare quem finem habuerit ista causa. Nunc *Carolus* ad *Rognacum* [16]) profectus est, quo consilio, non habeo compertum, nisi ut secessum aliquem sibi quaereret, donec apud vos sit agendi locus. Profectus est cum eo *Alexander*, [17]) quem ex sententia *Barbarini* se comitem sumpsisse excusavit. Ab illo autem non erat cur vel tibi vel nobis timeres. Non enim ea sumus hic facilitate ut eos amplexemur quos aliae ecclesiae excommunicarunt. Petiit quidem ille quoque audiri: sed otium non erat. In reditu si petierit, non intercedam quominus audiatur: modo antea mihi consignes totam eius historiam, quo possit pro dignitate excipi. [18])

Tuis literis brevi respondebo. Corripuit enim me gravis catarrhus qui plura nunc scribere non patitur. Hic qui meas tibi literas reddit commendatus nobis fuerat a Domino *Rognacensi*, in cuius gratiam conati sumus illi reperire conditiones: sed non potuimus. Inter opificia magis inclinabat animus ad artem concinnandorum librorum. Nunc istuc profectus est quo omnia experiatur. Cupio tibi esse commendatum et spero. Dignus enim est *Rognacensis* in cuius gratiam et hoc et plura. Omnes te amicissime salutant, praecipue *Capito, Buc., Sturmius, Pedrot. Claudius, Gaspar, Iacobus* cum suo comite, *Enardus* et omnes Galli. Quia scio te satis assuefactum esse meae asperitati, non excusabo quod incivilius aequo tecum egerim. Saluta mihi omnes fratres, praecipue *Corderium* et *Capunculum* et *Thomam*. De epistola Sadoleti [19]) fac quod visum fuerit, quid tamen feceris significa. *Corderius* rem mihi magnopere gratam faciet, si psalmos quos habet descriptos mihi curaverit. [20]) 8. Octob. Argent. [21])

Calvinus tuus.

12) who could not be moved from the judgment which I had formed.

13) you might have recovered yourself.

14) Do you suppose . . . .?

15) *Bedrotum puta.*

16) *Le Sieur de Rognac et sa femme inter eos nominantur quos Parlamentum Parisiense m. Ian.* 1535 *citat de religione inquirendos, sed contumaces. Qui ubi tum temporis sederit non constat.*

17) *Le Bel, nuper a classe Tononensi ministerio privatus.*

18) I will not intercede that he may be heard, unless he shall declare to me his whole history, to which proposal, in respect of his dignity, he may except.

19) *Plura exx. Farello distribuenda misisse videtur.*

20) *Plures enim illo tempore psalmis poetice vertendis operam navabant, quorum tentamina Noster conquirebat ut libellum canticorum in usum ecclesiae suae gallicae concinnaret.*

21) *Farellus add.* 1539.

189.

CALVINUS VIRETO.

Nova quaedam affert ex Gallia et Anglia de rebus religionis. De Actis cum Carolo per Farellum ut audiat curabit.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 47. Ibidem exstant apographa Ionvillaei Cod. 111ᵃ, fol. 22, v. et recentius Cod. 111, fol. 152, v. Tertium in Archiv. Bern. Epp. VII. p. 310. Quartum Turici Simler. Vol. 47. — Anglice edita est Tom. I. edit. Edinb. p. 178.)

Optimo et suavissimo fratri meo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Quum literae tuae venerunt iam secundus ad principes nuncius dimissus erat, per quem nostri petierunt illam de qua prius egerant legationem, [1]) deinde alteram quoque ad *Anglum* mitti, qui duos episcopos [2]) et multos doctores in carcere detinet, quod furiosis eius decretis subscribere recusarint. Ne dubites, mi *Virete*, rem Senatui nostro cordi esse. De nobis taceo, quos tamen cura bonorum fratrum propius afficit quam existimes. Si verba dari vobis putas, quoties successum quem optas non cernis, non satis cogitas quid a nobis sit exspectandum. Atque ut scias istam tarditatem negligentiae nostrae minime posse imputari, senatus quoque noster valde miratur non remitti sibi nuncium, cum qualicunque saltem responso, nec dubitat praesenti rerum conditione impediri principes quo minus certum aliquid statuant. Edictum regis [3]) transtuli ac curavi describendum. Nihil negligimus. Sed non semper assequimur nostra diligentia quod bonis omnibus optandum esset. Novum quoque impedimentum nuper accessit ex contentione comitis *Guillelmi* cum militiae et aulae regiae praefecto, quae utinam tandem aliquid boni pariat. Simul atque allatum fuerit responsum, quodcunque erit, vobis indicabo. Utinam voto nostro respondeat. Quae ex aliis Galliae partibus afferuntur literae nullam mentionem edicti faciunt. Et sane inter vertendum nonnullam mihi suspicionem iniecit compositio, quae sapere aulicam elegantiam non videbatur. Id tamen apud me continui, ne fratrum periculo minus diligenter consuleretur. Cum *Carolo* quibus legibus nostri transegerint, posthac ex lectione rescisces. Nunc quoque nonnulla scribo ad *Farellum* quae communicare tecum poterit. Ego more meo coactus sum sustinere totam invidiae molem. Quia tamen res confecta est, dabis ipse quoque operam ut omnes veteres offensae aboleantur. Vale, mi frater. Argent., 8. Octob. Salutant te omnes fratres, *Capito*, *Bucerus*, *Sturmius* et reliqui.

Calvinus tuus.

---

189. 1) *pro Gallis fratribus.*

2) *Shaxtonem Sarisberiensem, et Latimerum Worcestriensem, qui sex Articulis a Parlamento m. Iunio* 1539 *promulgatis se submittere recusarunt. Salig, Augsb. Conf.* II. 372.

3) *De tali edicto eo anno in rebus religionis promulgato nobis non constat. Videtur fuisse apocryphon, quod ipse C. suspicatur.*

190.

LUTHERUS BUCERO.

Sturmium et Calvinum reverenter salutari iubet.

(Sumimus hoc *ἀποσπασμάτιον* solius epistolae in qua Vir summus Calvini nomen cum laude commemorat ex Tom. V. Epp. Variorum in Archivis Thomanis Argent. Integram reperies ap. De Wette Tom. V. p. 210. Ipse Noster non semel de hoc elogio sibi gratulatus est.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Bene vale. Et salutabis D. Iohannem *Sturmium* et Ioh. *Calvinum* reverenter, quorum libellos [1]) cum singulari voluptate legi. *Sadoleto* optarem ut crederet Deum esse creatorem hominum etiam extra Italiam. Sed haec persuasio non penetrat corda Italorum, quum tamen soli prae caeteris exuerint plane humanum sensum prae superbia. Iterum vale. Die Calixti [2]) 1539.

T. Martinus Luther.

191.

CALVINUS GRYNAEO.

De optima methodo S. S. in usum theologiae studiosorum enarrandi. Quam sibi proposuerit finem in interpretanda Ep. ad Romanos, et cur post aliorum eximios labores suum non inutilem fore putaverit. De Commentariis Melanthonis Bullingeri et Buceri modestum iudicium.

(Est dedicatio Commentarii in Epistolam Pauli ad Romanos, a qua Noster scriptorum suorum exegeticorum seriem auspicatus est. Excudebat Argentorati Wendelinus Rihel. 1539—1540, mense Martio opus absolvens quum haec epistola iam Octobre exarata fuerit. Recentiores editiones commentarii alio loco recensebimus.)

Ioannes Calvinus Simoni Grynaeo viro ornatissimo S. D.

Memini, quum ante triennium de optimo enarrandae scripturae genere inter nos familiariter commentaremur, eam quae plurimum tibi placebat rationem mihi quoque prae aliis probatam tunc fuisse. Sentiebat enim uterque nostrum praecipuam interpretis virtutem in perspicua brevitate esse

---

190. 1) *Scil. Calvini Ep. ad Sadoletum de qua P. Henry non cogitasse mireris* (*I.* 268), *et Sturmii Epp. de dissidiis religionis, Arg. eodem mense Sept. editas.*

2) 14. *Oct. non vero* 16. *April. ut suo marte Walchius addidit* (XXI. 1465).

positam. Et sane, quum hoc sit prope unicum illius officium mentem scriptoris quem explicandum sumpsit patefacere, quantum ab ea lecturos abducit, tantundem a scopo suo aberrat, vel certe a suis finibus quodammodo evagatur. Itaque cupiebamus ex eorum numero, quibus in hoc laboris genere theologiam iuvare hodie propositum est, unum aliquem exstare qui et facilitati studeret, et simul daret operam ne prolixis commentariis studiosos ultra modum detineret. Quanquam autem scio sententiam hanc non apud omnes receptam esse, et eos qui non recipiunt nonnullis quoque argumentis adduci ut ita iudicent, ego tamen dimoveri non possum ab amore compendii. Verum quum ita ferat ea quae hominum ingeniis insita est varietas, ut alia aliis magis arrideant, fruatur hic sane quisque suo iudicio, modo ne quis omnes alios sub leges suas redigere velit. Ita fiet ut neque nos, quibus magis placet brevitas, eorum labores vel respuamus vel contemnamus qui in sacris libris enarrandis copiosiores sunt ac fusiores, et illi vicissim nos ferant, etiam si putent nimis pressos ac concisos. Ego certe mihi temperare non potui quin experirer, ecquid posset hic ecclesiae Dei mea opera commodare. Neque vero aut me assequutum nunc confido illud quod tunc nobis videbatur esse optimum, aut assequi me posse speravi quum inciperem. Verum ita stylum temperare conatus sum ut videri possem animum intendisse ad illud exemplar. Quantum profecerim, quia meum non est iudicare, tibi tuique similibus relinquo aestimandum. Enimvero quod periculum in hac potissimum Pauli epistola facere ausus sum, consilium meum obnoxium fore video multorum reprehensioni. Nam quum tot excellentis doctrinae viri antehac in eius explicatione elaborarint, credibile est, nullum aliis melius aliquid afferendi relictum esse locum. Ego vero fateor, tametsi mihi aliquod operae meae pretium pollicebar, hac tamen cogitatione fuisse me initio deterritum, quod verebar ne incurrerem in famam temeritatis, si post tot egregios artifices manum huic operi admoverem. Exstant in istam epistolam multi veterum, multi recentiorum commentarii. Et sane nusquam melius collocare suam operam poterant: quando, si quis eam intelligat, aditum sibi quendam patefactum habet ad totius scripturae intelligentiam. De veteribus sileo: quibus pietas, eruditio, sanctimonia, aetas denique tantum autoritatis fecit, ut nihil quod ab ipsis profectum sit contemnere debeamus. Ac eos etiam qui hodie vivunt nominatim omnes commemorare nihil attinet. De iis qui praecipuam operam navarunt dicam quod sentio. Philippus *Melanchthon*,[1]) pro singulari et doctrina et industria et dexteritate qua in omni disciplinarum genere pollet, prae iis qui ante ipsum in publicum prodierant multum lucis intulit. Sed quia illi propositum modo fuisse apparet, quae inprimis essent animadversione digna excutere, in iis dum immoratur multa consulto praeterit, quae vulgare ingenium fatigare nonnihil possint. Sequutus est *Bullingerus*[2]) qui et ipse magnam suo merito laudem adeptus est. Habuit enim coniunctam cum doctrina facilitatem, qua se magnopere approbavit. Tandem *Bucerus*[3]) lucubrationibus suis emissis veluti colophonem imposuit. Siquidem vir ille, ut nosti, praeter reconditam eruditionem copiosamque multarum rerum scientiam, praeter ingenii perspicaciam, multam lectionem aliasque multas ac varias virtutes, quibus a nemine fere hodie vincitur, cum paucis est conferendus, plurimos antecellit, hanc sibi propriam laudem habet quod nullus hac memoria exactiore diligentia in scripturae interpretatione versatus est. Cum talibus ergo viris velle contendere, ut nimis improbae aemulationis esse confiteor, ita mihi nunquam in mentem venit vel minimam laudis partem illis praeripere. Maneat illis salva et gratia et autoritas quam sunt bonorum omnium confessione promeriti. Hoc tamen mihi, ut spero, concedetur: nihil unquam fuisse inter homines tam absolutum in quo vel expoliendo vel ornando vel illustrando non fieret locus sequentium industriae. De me nihil praedicare audeo, nisi quod iudicavi, non inutilem fore hanc operam: ad quam suscipiendam nulla me unquam alia ratio quam publicum ecclesiae bonum induxisset. Ad haec sperabam fore ut in diverso scribendi genere nulla aemulationis invidia premerer, quae mihi inprimis timenda erat. *Philippus* enim quod voluit adeptus est, ut maxime necessaria capita illustraret. Multa quae negligenda non sunt, dum in illis primis occupatus praetermisit, noluit alios impedire quin ea quoque excuterent. *Bucerus* et prolixior est quam ut ab hominibus aliis occupationibus districtis raptim legi, et sublimior quam [*ut*] ab humilibus et non valde attentis intelligi facile queat. Nam ad cuiuscunque argumenti tractationem se contulit, tam multa illi ad manum suggeruntur ab incredibili qua pollet ingenii foecunditate, ut manum de tabula tollere nesciat. Quum ergo alter non omnia sit persequutus, alter fusius sit persequutus, quam ut exiguo tempore perlegi possit, nullam aemulationis speciem habere institutum meum mihi videbatur. Dubitavi tamen aliquamdiu, praestaretne quasdam veluti racemationes post ipsos aliosque facere, in quibus ea colligerem in quibus iuvare me posse mediocria ingenia arbitrabar, quam perpetuum commentarium texere, in quo multa repetere necesse foret, quae aut ab illis omnibus aut aliquo saltem illorum prius essent dicta. Verum

191. 1) *Annott in ep. ad Rom.* 1522. *Eiusdem Comment.* 1532.

2) *Comment. in epp. apostol.* 1537.

3) *Metaphrasis et enarratio in Ep. ad Rom.* 1536.

quia illi non raro inter se variant, atque ea res multam praebet difficultatem lectoribus parum acutis, dum haesitant cuius sententiae potius debeant assentiri: putavi hunc quoque laborem non poenitendum fore, si optimam interpretationem indicando sublevarem eos a iudicandi molestia, quibus non satis firmum est a se ipsis iudicium. Praesertim quum ita omnia succincte perstringere instituerem, ut non magnam temporis iacturam facturi essent lectores apud me legendo quae in aliis habentur. In summa, dedi operam ne quis iure conqueratur multa hic supervacua esse. De utilitate nihil dico. Cuius tamen plus se hinc cepisse fatebuntur forte non maligni homines, ubi legerint, quam ego verbis verecunde spondere ausim. Iam quod ab aliis interdum dissentio, vel certe nonnihil diversus sum, in eo me excusatum haberi aequum est. Tantam quidem apud nos venerationem habere debet verbum Domini ut interpretationum varietate quam minimum a nobis distrahatur. Sic enim eius maiestati nescio quomodo derogatur. Praecipue si non magno delectu magnaque adhibita sobrietate id fiat. Atqui si contaminari nefas ducitur quidquid est Deo dedicatum, ferendus certe non est ille qui rem omnium quae in terris sunt sacratissimam impuris aut etiam non rite praeparatis manibus attrectet. Proinde affinis sacrilegio audacia est, scripturas temere huc illuc versare, et quasi in re lusoria lascivire: quod a multis iam olim factitatum est. Verum animadvertere semper licuit, illos ipsos, quibus nec pietatis studium deesset, nec in tractandis Dei mysteriis religio ac sobrietas, nequaquam ubique inter se consensisse. Nunquam enim tanto beneficio servos suos dignatus est Deus ut singuli plena perfectaque omni ex parte intelligentia praediti essent. Nec dubium quin eo consilio ut nos in humilitate primum, deinde communicationis fraternae studio retineret. Ergo quum sperandum in praesenti vita non sit, quod maxime alioquin optandum esset, ut in locis scripturae intelligendis perpetua sit inter nos consensio, danda est opera ut nulla novandi libidine incitati, nulla sugillandi alios cupiditate impulsi, nullo instigati odio, nulla ambitione titillati, sed sola necessitate coacti, nec aliud quaerentes quam prodesse, a superiorum sententiis discedamus: deinde ut id fiat in scripturae expositione, in religionis autem dogmatibus, in quibus praecipue voluit Dominus consentaneas esse suorum mentes, minus sumatur libertatis. Utriusque studium mihi fuisse facile deprehendent lectores. Sed quoniam de me vel statuere vel pronunciare me ipsum non decet, libenter hanc censuram tibi permitto: cuius iudicio, si omnes plurimum iure deferunt, ego nihil non deferre debeo. Quo scilicet propius mihi ex familiari consuetudine perspectus es, quae quum aliorum existimationem aliquid minuere soleat, tuam, quae alias apud omnes doctos praeclara est, non parum auget. Vale. Argentinae, 15. Calend. Novembr. 1539.

192.

RUMLANGUS BULLINGERO.

Bernensis ecclesiae turbae et discrimina circa rem sacramentariam: Lutheranizantium conamina in mutando libro Agendorum: Calvini laudabilis sententia de coena Domini.

(Ex autogr. Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 153 olim Epp. T. 31, p. 353. Exstat quoque ap. Simlerum vol. 47.)

S. Libentius idque multo libentius velim plausibiliora et quae tibi grata essent, Vir doctissime, perscribere.[1] Verum non possum committere quin tibi significem quid Lutherani nostrates meditentur. Quum praeteritis concionibus *Sebastianus* et *Conzenus* ad nauseam usque nos de substantiali esu dominici corporis (sicut ego intellexi: vocant enim esum hunc ipsum verum ipsius veri dominici corporis esum: statuunt enim vere praesentem Dominum, verum Deum et hominem. Et *Sebastianus* triplicem praesentiam Christi posuit, divinitatis operantem in omnibus, visibilem et invisibilem, quomodo sit in coena) obtruderunt, habent adhuc quod illoris sententiam oppugnare videtur, propthereaque correctum, prope dixeram depravatum velint, nempe libellum quem vocamus Agentem,[2]) quo videlicet utuntur in matrimoniis copulandis, pueris baptisandis, et dominica coena celebranda. Nam iste libellus continet lingua nostra quod panis significet corpus dominicum etc. Quum vero iam doceant quae cum eo libello dissideant, non desunt qui dicant doctrinae eorum parum cum libello, quem praelegant in dominici corporis communicatione, convenire, adeoque aperte deprehendi ipsos a solita et consueta via exorbitare. Hoc quum intelligant, librum vellent renovatum, idque verbum **significat** expunctum. Et quum magna eorum libellorum penuria sit plurimis in parochiis, sunt qui eum rursum typis excudi efflagitent. Quod et ego urgeri cupiam, daboque operam ut iste libellus expetatur, quo celerius astum Lutheranorum nostratium deprehendamus. Videbis multos bonos se interposituros ut nunquam obtineant, quidquam immutari in

192. 1) *Cf. omnino supra N.* 161.

2) *hic liber Agendorum a.* 1529 *prodierat publica autoritate. C. Wyss, Gesch. d. bern. Liturgie, in Trechsels Beitr. zur schw. Ref. Gesch. I.* 86. *Frickart, Beitr. z. Gesch. d. Kirchengebr. in Bern,* 1846.

dicto libello, atque interim perspicuum fiet quod a disputatione hic habita desciverint, quod tamen semper fieri negant et propemodum nos pro surdis habent, quasi verba et sensum eorum non intelligamus, ut cum illis non sit de verbis in concionibus prolatis concertandum. Loquuntur enim tropice ut scriptura, sed tropum non solvunt, seque ista ratione secundum scripturas loqui asserunt, quae tutissima docendi sit via. Nisi destiterint de libello vitiando, videbis novas apud nos turbas excitari. Sed velim tandem legationem a senatu vestro ad nos mitti, et ut tu cum ea venires, idque proponeretis, quum hactenus sic et sic de coena dominica docueritis, quemadmodum in disputatione viri docti, qui in Domino obdormiverunt, obtinuerint, et in exactis comitiis semper unanimes in responsionibus *Luthero* dandis fuerimus, idque concordiae negotium post multas perditas expensas ad salubrem effectum, inoffensa et salva veritate non deduci videri, ideoque nobis potissimum, qui incunabula evangelicae libertatis simul et ab iisdem doctoribus perceperimus, concordandum esse. Et simul, si exponeretur quae in isto negotio vestra sit doctrina, et deinde, quoniam varii rumores de doctrina huius negotii fortassis hic et alibi dissipentur, nos tamen decere idem sentire et loqui: proptereaque expeteretis sitne aliquis nostrorum qui hoc impugnare velit. Si dicerent se oppugnaturos, tunc liquidum fieret quod hactenus dissimularint. Si nollent oppugnare, tunc et sententiam senatus acciperetis, et isto modo ora illa malevolorum obtunderentur. Qui non vos idem iuris in ecclesia nostra habere debeatis quam Argentoratenses etc.? Tu delibera quid proficuum videatur, et haec mea boni consule. Praeterea scias *Calvinum* egregie scripsisse in libro suo de Institutione christiani hominis,[3]) ubi aperte metonymiam iam posuit. Ibidem videtur *Lutherum*, tametsi non nominatim, perstringere, quod Lutherani nostrates aegerrime ferunt, quumque *Calvinum* criminantur, et *Capitonem* atque *Bucerum* dormitasse parumque animadvertisse calumniantur. Sed res bene habet. Si quando poteris, scriptis tuis *Calvinum* confirmato: nam minime est negligendus. Vale felicissime. Saluta quaeso *Leonem*, *Theodorum*, et omnes doctos, meque in coetum amicorum vestrorum adscribite. Parce prolixitati et discolographiae, nam ut vides negligenter scribo. Bernae raptim xx. die Octobris anno 1539.

Tuus Eberardus a Rumlang.

3) *Hunc scil. titulum ipse libro facit.*

193.

FARELLUS CALVINO.

Multis et satis confusis verbis totam Caroli historiam excusabundus pertractat, ab ovo repetitam. Tandem devenit ad lacrymas et veniam pro misero homuncione implorandam. Transit ad aliud ecclesiae ulcus Alexandrum, nuper a sua classe excommunicatum. Denique affert quaecunque nova undecunque corradere potest.

(Ex bibl. pastorum Neocomensium, ubi exemplar exstat ab amanuensi scriptum, Farelli manu passim correctum sed multis locis mendosum, ad quos emendandos parum facit aliud Turicense bibl. civic. B. 217, p. 88 et Simleri vol. 47.)

Christum adnuncianti pure Ioanni Calvino quam carissimo

Argentorati. [1])

S. Gratiam et pacem a Deo. Si non armata esset nostra simplicitas praesidio Christi ducis, qui nos tales vult ac iubet esse, quid tandem de nobis fieret? Domi ab amicis et fratribus gravissime premimur. Nam parum erat foris nos gravari impetu hostili, nisi accederent quae prorsus obruerent. Quum tuos paroxysmos audio, tuas graves et certe non immerito factas expostulationes, tuas lacrymas, et quae satis intelligo non procul ab horroribus mortis dolores et angustias, quibus sane credo mortem longe faciliorem, facilius fero quae ipse pertuli. Nam quum mihi significatum fuit iam adesse *Carolum*,[2]) idque in vicinia, ac domi iam esse, hic tibi cogitandum relinquo quam mox conciderim, quam fuerim exanimatus. En tibi pietatis exterminium. Non est dignus populus cui Christus annuncietur. Iam tibi aut graviora sunt subeunda certamina, motusque tibi horrendi, quibus totus concidisti fractus, ferendi, aut prodendus Christus, aut opus Domini ad quod vocatus et impulsus es deserendum. Adest hostis qui neque Deum neque aliud quam se curat: tam sui est amans ut in amentiam incidat. Ille qui inter hostes causae Christi oblitus cum fratribus contendebat pro primaria concione, ut prae caeteris haberetur in pretio, nec fecit quidquam reliqui ut etiam inter impios locum obtineret et gradum, ruinis ac offensionibus gravissimis implevit omnia. Quod si male egit inter hostes, peius dum ad nostra venit castra, mollitie, compotatione, scortatione apertaque subsannatione correctionis vitiorum perditus, ac secum alios perdens, tam aperte

193. 1) *Tota haec inscriptio Farelli manu scripta, qui etiam addidit h. l. 31. Oct.* 1539 *de quo die vide in fine.*

2) *mense Iulio* (N. 177). *Sed quae mox sequuntur ad a.* 1537 *referenda.*

testatus est gloriam Christi non esse sibi curae, ut ausus fuerit, quantumvis ad illustrandam Christi gloriam incitaretur, dicere, se velle omnes intelligant *Carolum* scientem esse, quamvis in arena alienis sese venditaret plumis: quod non latuit nos. Saepius ego ac *Viretus* quae videramus ipsis etiam verbis afferentem non obscure intelleximus etsi [3]) Dominus tantam ambitionem plectebat, ut etiam scripta neque satis legere neque referre valebat. Quod ubi non successit, clam virus suum effudit, ut impediret pontificiarum impietatum eversionem. Rursus spe frustratus, abiens in malam rem, in traducendo Christi opere ac sugillando nostro ministerio incubuit, sed clam, ut bonos a nobis abalienaret: movit nonnihil, sed non permovit. Vocatus, idque ab uno, aut nescio quot, tandem ubi potuit erumpere coepit doctrinam, instituta damnare, aliis inducendis laborare, non fuisse intellectam precationem Domini aperte detonare, ad scholas remittere, ac plenius discere, quasi solus tandem doceret quid precandum esset, nimirum pro apostolis et omnibus qui cum Christo quiescunt, et quae sunt huius farinae: ne commemorem quam petierit sibi dari provinciam in omnes Gallos qui ministrant, ac literas quales non puto nec pontifices ducentesimo demum tyrannidis anno emisisse. Quam urebat quod a *Vireto* admonitus iuxta id quod christiana poscit caritas, ac prout praecipiebant principes pii, ut tanquam novitium adiuvaret, ac non satis tenentem ut se cum populo deberet gerere, respondit ut sua curaret: se non aliquid attingere de iis quae praedicaret *Viretus*, sed liberum ipsi sinere quid vellet concionaretur: idem et sibi liberum sineret. Quamvis diligentius subindicatum esset, unius causam esse alterius, non habere se diversas ecclesias, diversa evangelia, neque Christum, sed unum ac idem gratissimum debere unicuique esse, si officii admoneatur, et eorum quae faciunt ad communem aedificationem. Sed lusa fuit opera. Ubi rediit Geneva *Viretus*, fuit mox pertractus ad senatum. Ibi coepit *Carolus* post aliquot indicare, suspectam se habere *Vireti* fidem, ac mox poscere quandam confessionem: quae sane indicabant animum deploratum. Qui cum fratre prius quidquam non contulit, nec verbum unquam fecit, testatus est se nolle neque monere neque moneri, sed in senatu traduxit. Sic furor exagitabat hominem, ut quum non posset *Viretum* perdere in *Christophorum* rabiem verterit. Sed quid ad *Viretum?* An autor fuit *Christophoro?* Nos quoque invasit ac conatus est productos in theatrum, ut bonus satelles Satanae, haereticos facere, ut inde totum everteret, quod per nos erexit Dominus in evangelio aedificium. Egit instructus suae farinae hominibus, quos dissimulatus livor exagitabat, adeo ut parum curarent Christi causam vastare, modo nos una perderent. Non puto Satanae verum organum unquam ita contendisse sic ut nos opprimeret. Nos, quum praeter Christum nihil haberemus, ipso freti stetimus. Cecidit hostis in foveam quam fecit, sed non sine gravi offensione, pro resipiscentia ac iure, quo vel quivis alii tenentur ac stant, factus transfuga. Solodorum properat, missam et privatam audit, damnat missam damnantes, ac contumeliis proscindit, doctrinam cum caeremoniis. Inde se recipit Lugdunum ex tonsore ac consiliis quae suggessit in ruinam piorum, notatis singulis ac clam verbis quibus solent pii christiane se convenire laboratum, ut manifesti essent pii ac plecterentur. Actum praeterea ut vincti a pietate ad pontificem deficerent. Testes sunt duo liberati, quibus blasphemiis in Christum et evangelium et inprimis in ecclesias helveticas sit actum, in libello supplice porrecto pontifici, nemo satis expresserit. Et ut plenius intelligas quam infensum hostem duxerim, sane non possum non mihi persuadere. Christus novit an ita habeat. Per ipsum effectum, ut *Philippus* [4]) cum cardinali consuetudinem habuerit, ac illius pecuniis effecerit quae egit, adeo ut ecclesiae ruinam ipsi acceptam feram. Non levem facit me habere coniecturam gratulatio ad *Antonium* [5]) quod aerem Genevensem viderit, ut optabat tandem: nec minus certe reputavi de literis *Sadoleti* ad Senatum et cives instigatorem fuisse [6]) idque praecipue ut ad *Antonium* et *Bernardum* scriberet. [7]) Nam uterque probe notus est *Carolo*. Taceo de dialogis quibus me loquentem in suis concionibus facit coram Deo ac se, iuxta argumentum *Sadoleti*. Sed quid possem singula persequi? Ut taceam me haeresiarcham falso vocari. Haec quum animo volverem, et sane plura, neque me fugeret quid amici contenderent, quibus tam grata esset nostri ruina quam ingratum est nos vivere, ac aliquid in ecclesia Domini per nos Christum operari, tamen ubi ex horrendis illis animum meum ad mortem usque pungentibus, commissa Domino ecclesiarum cura, respiravimus, ut visum fuit paucis fratribus, cum duobus legatis Agathopolin venimus, praefectum illic cum civibus aliquot in colloquio praesentes habuimus. Quod ideo factum fuit ut, si praeter spem iam haerentem et cui locus non esset Dominus vellet trahere ad se, nos omni officio prompti occurreremus: sin minus, congestis carbonibus in ca-

3) *vox dubia.*

4) *Ichan Philippe, syndicus a. 1538, Farelli et Calvini adversarius, qui m. Iunio 1540 proditionis accusatus et supplicio affectus est, an iure, ex Farelli arbitrio pendere nequit. V. Gaberel, I. 307. Galiffe, quelques pages p.* 18.

5) *Marcurtium.*

6) *Quod ipse Calvinus l. l. ridiculae Caroli iactantiae tribuit. (Opp. VII. 295.)*

7) *Merae calumniae, scil. a Guillerminis sparsae.*

put ipsius functi essemus nostro munere. Causam tamen ut privati agitavimus, nihil derogantes neque praeiudicantes alicui, et multo minus alicui ecclesiae, ne dicam ecclesiis quas omnes offendit et traduxit. Quae tractavimus cum eo collecta fuere a fratribus. Nos quum videremus remisisse aliquid hominem, quamvis desideraremus plurima, siquidem vel apertissima cupiebat dissimulare ac fucis tegere, tamen quum testaretur velle se ita gerere ut nemo posthac queri de ipso posset, respondimus nos nihil posse, praecipue sine fratrum consilio, sed daturos nos operam ut intelligat in amicos incidisse, quique velint ipsi in Domino morem gerere. Ubi redii ex actione, in qua potes coniicere quantam mihi vim fecerim, dum Christum meum necesse habui intueri cuius gratia omnia tentanda duxi, non hominem quem in ruinam tantum poteram colligere natum, etsi non dubitarem Deo omnia esse possibilia, tamen nihil minus poteram mihi persuadere quam aliquid boni de homine. Dum ergo rediissem tam fatigatus ut destituerer viribus, sub noctem convenit me noster praefectus *Pringinus*:[8]) indicat quid egerit, nempe ubi tam[9]) concessisse Landeronum[10]) intellexit *Carolum*, ad cives scripserit, quid hoc sibi vellet non assequi, nisi quod speraret eos velle ipsum habere pastorem: quod ita si haberet, rem gratam facerent ac ipsum hace probare. Sic bonus vir nescio an iurisiurandi satis memor fuerit, quo se adstrinxit neminem excepturum nec admissurum ad ministerium, nisi per ministros examinatum et probatum. Tamen nobis insciis hoc factum erat, quum locus ille sit sine pastore, ac missa illic sit; quumque nos eo concesserimus, tamen praefectus qui designatus illic est iussus est a Bernatibus non amplius nos admittere ad docendum, quum aliam viam cum praefecto, scilicet *Prangino*, iniissent, unde posset sine motu consuli illi ecclesiae. Quod coniicio a nonnullis ita cum *Prangino* tractatum ut *Carolus* eo mitteretur. Addit praefectus, se literas excepisse a Bernatibus quibus arctissime iniungitur ut *Carolum* vinciat, donec legationem mittant agantque iure cum eo: quod sibi dolere dicebat. Ego quoque graviter ferebam quod errata non alia proponerentur via quam civili. Cupiebam enim sic agi cum *Carolo*, ut ecclesiae quererentur de iniuria sibi illata, ac iuxta id quod expedit iusta censura sic agerent, ne perderent hominem, nec rursus alii auderent similia patrare, timens ne sic via civili prorsus ita profligaretur, ut merito sibi denegatam omnem resipiscendi viam et aditum in ecclesiam diceret. Ideo ex animo consultum cupiens *Carolo*, ac multo magis ecclesiae ac suae autoritati, conferens cum socero *Caroli*, ac paucis fratribus, tandem suasi ut decanus noster[11]) Bernam peteret ac cum fratribus ageret, ut posset *Carolus* non minus a nobis excipi quam a pontificiis, et resipiscenti pateret aditus in ecclesiam. Ego sane graviter affligebar ut scribere non valuerim. *Capunculus* excepit quae dicebam. Egit bona fide *Barbarinus*, et apud fratres ministros et apud senatum, nec tamen unquam fuit animus ut citra disciplinam ecclesiae ac solennem resipiscentiam admitteretur. Nec apud pontificios quoque admissus fuit sine insigni confessione. Interea cum fratribus hic egimus exponentes colloquium Agathopoli habitum. Fratribus visum fuit officiis certandum, si qua spes esset *Carolum* lucrifaciendi. Interea exspectandum quid aliae ecclesiae decernerent quas non minus laesit quam nostras. Erant tamen qui dicerent, nullam illius habendam esse rationem, sed ut insanum haereticum, ut nequam hominem, non ferendum. Nec levia adducebantur: sed vicit sententia de officiis praestandis, quod et Iudae Dominum praestitisse ostensum fuit. Interea vinctus detinebatur *Carolus* Agathopoli Bernatium nomine, qui erant quam maxime offensi, ne dicam infensi. Ex ministris aliqui sic exceperunt unam lineam pro *Carolo* scriptam, ut totum ministerium meum et omnes nostras actiones nunquam tanti fecerint. Nam sic in *Carolum* mihi videntur affecti, ut non solum excipere sint parati cum forma resipiscentiae, verum ter sanctissimum sint praedicaturi et crimina pro insignibus virtutibus commendaturi. Nam bonus ille senex, sanctus ille vir, alter ingens Athanasius, quid non pertulit? Fuerunt qui affirmarent ipsum plus omnibus laborasse ac aedificasse. Alii contra, nihil sibi esse cum *Carolo* ecclesiarum eversore, dissidiorum patre, defectionis autore, qui non solum defecit sed et alios secum abduxit, ac conatus est abducere. Utinam tam vera illi dicerent quam hi non recedunt a re. Ego, quamvis aliud non egissem nisi quod operam obtuli *Carolo*, ac ut posset conciliari nonnihil egi, mire proscindebar quasi fractus ac ecclesiarum negligens, quod et tu videris taxare, nec ego prorsus eo infitias. Nam tot et tantas tragoedias ferre non possum, nec domi ita contendere, tamen modis omnibus egi hortatu *Caroli*, quod et ultro destinaram, persuadere ut possem non sic reiiciendum *Carolum*, nec id posse citra culpam ab ecclesia fieri: sed postquam a pontificiis rediit audiendum esse, ac iuxta ecclesiae disciplinam excipiendum, nec debere ipsos moveri si ipse ultro occurrerim ac officiis ipsum coner demereri; me id iuxta praeceptum Christi

8) *Le Sr. de Prangins, Neocomi praefectus, ab ipso exordio evangelii praedicati Farello parum amicus.* (*Ep.* 22. *Apr.* 1544.) *In nomine viri codex variat.*

9) *sic in autogr. Fortasse scribere voluit:* iam.

10) *Landeron, oppidum ad lacum Biennensem.*

11) *Barbarinus.*

facere, quum velit oves [12]) errantes a nobis quaeri, nosque bene mereri de hostibus, ac qui de nobis quam pessime meriti sunt: nolle me suum ius ecclesiae praeripere, ne [13]) ipsam impedire, quominus fungatur munere, censuris quibus decet etiam gravibus: et ut plano dicam, nescio an reputem tantum ecclesiae consulere, ac sic vera esse ipsius membra, qui iudicant efferendum ad coelum *Carolum*, ac tam utilem fuisse, tamque aedificasse ecclesias affirmant, quasi expertes et sine sensu malorum quibus ille ecclesiam obruit, quam hi qui gravissime ferentes tot et tanta peccata pati et admittere hominem non possunt. Verum utrinque moderandos affectus expedit. In hoc ergo fui ut ostenderem me *Carolo* bene velle, sed ecclesiae quam optime: sicque agendum cum *Carolo* ut omnia cederent optime ipsi ecclesiae, quod fieri non posse indicabam, si prorsus aditus ecclesiae negaretur *Carolo*, nec resipiscendi locus esset veniae. Ita rursus non putabam nisi iuxta disciplinam debitam recipiendum. Legati Bernensium veniunt, queruntur de eo quod ecclesias turbarit, quod iuri non steterit, quum dies ipsi dicta esset abierit, quod omnes traduxerit producto diplomate pontificis, [14]) ubi nefande ac indigne coetus omnes christiani damnantur, pietas conculcatur, ac impietas Antichristi commendatur. *Carolus* non sine sano consilio ac amico fassus est se non parum offendisse ac iniuriam irrogasse, tamen aliqua elevare contendit. Instabant legati ut dignum omnibus esset exemplum. Sed, ut audio, sic pronunciatum est a iudicibus ut *Carolus* fateretur se in Deum gravius deliquisse, ac in fratres ministros, quos sanos in doctrina fuisse fateretur et esse, nec non veniam peteret a Bernatibus: quod et fecit tacta dextra praefecti Agathopolitani, ut moris illic est. Ita qui aderant fratres eo ordine acta omnia fuisse narrabant. Ego, quum finitum esset iudicium, veni totus perfusus pluvia. Rogavi impensius legatos, efficerent apud senatum ut *Carolo* esset veniae locus. Et postquam pontificii excipiunt agnoscentes culpam, ubi Christus adnunciatur iuxta ipsius praeceptum sit resipiscentiae locus. Suadebamus *Carolo* ut Basileam adiret, ac illic ita se gereret quod bonis omnibus probaretur, sicque posset in gratiam redire. Quamvis videretur nobis assentiri, tamen quum audiret evangelium adnunciari ubi pius *Tusanus* agit, spem concepit posse se apud *Georgium* comitem locum habere: eo se contulit acturus cum comite, etiam inconsultis fratribus, ut mihi narravit bonus ille *Nicolaus Tussani* collega. Sed *Tossanus* non negligens ecclesiae pastor, cui magis timet quam propriae vitae, statim hominem convenit et ex iustis causis persuasit ut abiret. Intellexit sane hominem ambitionis plenum nihil prorsus immutasse de suis opinionibus, et quae vana sunt perpetuo moliri. Ac me arguit ideo quod commendarim hominem plane indignum. Scripseram enim, non per *Carolum* (nam non prius noram nisi postquam eo concessisset) verum per alium, commendans sic ut addecet nos excipere, de quibus licet aliquid sperare. Idque ut decebat ad virum non prorsus stupidum et qui novit quid facto sit opus. Rediit *Carolus* ac e Burgundionibus [15]) ad fratres scribit ut se reducem excipiant, veritus ne priusquam conveuirent fratres frangeretur exspectando. Consilium ineo de ipso adeundo, et montes conscendo cum *Fatono*, et dum per viam compendiosiorem, eo magis duram et asperam. Mutarat *Carolus* locum. Nam aliquot, qui sane dicuntur ardentiores pro Christo, vix poterant ferre hominem tam vicinum, sed defectorem detestabantur, et quod ipsius causa religio tam male audisset, saepius defectionem *Caroli* obiicientibus adversariis. Quod etsi nobis molestum est, tamen neque pastor neque aliquis ita potuit compescere quin gravissime ipsi minarentur. Nam, ut ingenue fatear, nomen *Caroli* pessime audit. Quamvis fratres mitigent ut possunt, tamen fieri non potest quin horrore missae ac pontificis non valde moveantur. Tandem invenio hominem, causas reddo cur venerim, nimirum quod constanter duret solideque precetur Dominum ac invocet, frustra esse omnia nisi adsit Dominus. Ubi video utcunque compositum, de iis admoneo quae facere videntur ad gloriam Christi et plebis aedificationem. Hic nihil frigidius sentio, et prout in aliis colloquiis habitis cum fratribus, semper veteris hominis omnia plena. Sic et seorsim magis sui non potest praecipuam non gerere curam. Tristior semper redeo, per alios admoneri curo, nihil minus sentio quam hominem immutari. Queritur quod acta in iudicio Agathopoli velimus vulgare et per Gallias spargere, sicut ipsi omnia agunt quae possunt. Vultque ut non minus alii testentur erratum quam ipse, sicque merito id poscere debere quum adhuc non pauci sint Ariani. Et id genus multa. Suae pro defunctis precis non potest oblivisci. Nos tamen speramus posse meliora sequi et sapere. Apud unum ex ministris agere sinimus, sed omnes in nos clamant ac tandem efficiunt ut cogatur iterum illinc solvere. Nam plebi intolerabilis est. Fratres aliquot, quum intelligerent quae *Capunculo* dixerat et rursus quae Grandissonensis, dum *Carolum* Athanasium, nos Arium faceret, hortantur ut aliter pergat. Negat partem eorum quae collegae dixerat, quae forte li-

12) omnes *S. T.*
13) *sic. Lege:* nec
14) *Breve Papae Carolo absolutionem concedens.* 1537.

15) *i. e. ex comitatu Valangin, ubi sibi conditionem quaerebat.*

berius protulerat, quod *Antonio*[16]) amicus nobis non indicarat. Recepit se acturum cum *Comite*[17]) qui agit Grandissoni, super iis quae in nos est loquutus. Cogitur migrare ex ditione Vallangina, indigne ferente populo quod cum ferrent quem Bernates non paterentur. Omnes quoque ministros damnabant quod in aedibus ageret ministri. Abiens secessit in locum in quem convenerunt *Malingrius*, Io. *Comes*, an alii non satis teneo. Quid egerint ipsi norunt. Hoc scimus, nos nihil sensisse, actum fuisse de iis quae promiserat. Nam de conciliando eo qui nos laesit inique, nihil intelligimus tractatum fuisse. Novum forte esset, ut qui turbas semper motas studuerunt, pacificandis rebus incumberent. Hoc scivimus, offensos fuisse aliquot: aedificatum aliquem, nisi forte ex colloquiis nobiscum publice habitis, ignoramus. Interrogabat bonus aliquis in pago, ubi missa adhuc habetur et quem turbavit non parum *Alexander*, an vellet concionari, an prorsus destiterit: ibi *Carolus* artificium vilius esse respondit, nec iam praeter ictus baculorum reportari ex eo. Graviter ille tulit quod sic vile duceret ab aliis concionatoribus adeo commendatum ministerium. Mecum conferens, quum indicarem quam indigne fierent multa, dicebat se angulum aliquem optare, nec magnas cathedras, nisi cogatur rursus venire, satis indicans, nullis posse parvis teneri. Ego monebam, totum sese resignaret Domino a cuius nutu penderet, ac quidquid etiam durum immitteret Dominus id ferret, semper in hoc esset ut non sua sed Domini voluntas fieret. Ingrata erat cautio: alio transferri oportebat orationem, nimirum se adiuvarem scriptis ad amicos meos. Quod sane feci. Cum aliis querebatur, se diutius detineri exspectatione longa: si non quod optabat fieret, aliud habere se quod sequatur, addebat: quid si recipiant me Bernates? pago alicui obscuro praeficiant, numerabunt ducentos florenos. Hoc sane non est ut quis manum calamo admoveat. Ubi exspectaturus consulem *Wattevillensem*[18]) ad *Fatonum* se contulit, bone Deus, quid refert pius frater! Nihil prorsus Christi, solas glorias ac vanas omnino quaestiones: nec potuit unquam audire aliquid, nisi semel ubi adegit ipsum post prolixum colloquium ad gratias agendas: tunc tantum sese commendare visus est Domino. Gravissime ipsum de multis admonuit *Barbarinus*, taxans multa, sed praecipue quod usus fuisset *Alexandri* consuetudine, quem fratres merito anathemate percussissent, quod sic se hostem fratribus declararet, ac prinsquam plene esset cum fratribus conciliatus, animos omnium abalienaret prorsus, plebem quoque male in hoc aedificaret, diligenterque hortaretur, ut nihil cum eo haberet commune. Quumque indicaret *Carolus* secum profecturum Basileam, valde id improbavit decanus, ac queritur de aperto mendacio: nunquam enim consensit, sed dissuasit quam maxime, idque semper praesente *Fatone*. Socero Caroli dedi ad *Grynaeum* literas, ut prius scripserat curaturum se conditionem *Carolo*, sic curaret ut contineri posset, nec nisi sua culpa periret, nobis pro viribus saluti ipsius consulentibus. At non scripsissem, si *Alexandrum* intellexissem cum eo profectum. Nunc quod ad actionem[19]) attinet istic, quid dicam non satis habeo. Argentorati non est peccatum, licet in istam sicut in omnes est graviter peccatum. Ego arguor quod privatus occurri: amicum animum obtuli ac praestiti, sed nullo ecclesiae praeiudicio. Neque volo quidquam, per ea quae per me acta fuerunt, decedere disciplinae ecclesiasticae: verum ita confici omnia ut oportet. Quibus articulis sit conventum, quid statutum, non novi. Ingenue fateor, velle me totam actionem pleniorem fuisse, ac mendacia cum cavillis discussa fuisse. Mihi nihil quaero, sed ecclesiae. Utinam me solum tam perdidisset, quam fuit unquam aliquis perditissimus, idque citra ecclesiae laesionem ullam, cuius gratia neminem vel pili fecero, neque non maximi duxero. Non poenitet me officiorum in *Carolum*, nisi quod non plura praestiterim. Cupio id tantum prodesse *Carolo* ut omnes omnia agant quo ipsi succurrant ac plene Christo lucrifaciant, sic ut tanto superet aedificatione omnes, quanto ruina praevaluit. Sed si officia nocent ecclesiae, ac inde ansa sumitur agendi praepostere, ac evertendae disciplinae, pereant sintque anathemata ipsa omnia etiam cogitata in gratiam *Caroli*, ne me, qui ea praestiti aut cogitavi, dicam. Siquidem malo anathema esse quam ecclesiae Christi incommodare. Astemus omnes *Carolo*, adiuvemus etiam supra vires, non tantum pro viribus. Nihil relinquamus intentatum, ut bene mereamur de immeritissimo. Eum intra ipsa gestemus viscera, sitque quam carissimus; sed fiant omnia sic ut ecclesiae nulla ratione obsit. Intret per ostium, aedificet ingressus. Demum accurate probetur, ac diu, nec nisi longissima ac exactissima exploratione provinciam ullam gerat, qui dum insolentissime praeire voluit postremos etiam sequatur, discatque ut se debeat in domo Domini gerere. Defleat et plangat deiectus et contemptus sibi quod fastu turgidus, ambitione insanus peccavit: quod tam aperte commisit, non sic elevet clanculum. Ego Deum testem invoco, me nunquam aliquid officii *Carolo* praestitisse post tot et tanta flagitia, nec

16) *Sonerio?*

17) *Io. Le Comte de la Croix (Cruciatus), oppidi Granson reformator.*

18) *I. I. de Watteville (Wattenwyl), dynasta in Columbaria ubi Fatonus pastor erat.*

19) *Argentoratensem.*

unquam cogitasse ut admitteretur ad functionem verbi inter pios, nisi post absolutam, ne dicam absolutissimam poenitentiam, ac tam clara voluntatis divinae testimonia quibus praefici debeat, ut nemo secus sentiat nisi qui Domino velit contradicere aperte. Rursus Christum Iesum testor, me nolle ulla ratione aliquid habere partis in consensu quo is prius admittetur, sed quantum possum reos sanguinis inclamo, et sanguinis Christi, qui perdendam ecclesiam ipsi crediderint aut consenserint. Hic ingenue fateor non posse assentiri, nec assensurum, donec longa probatione se sic approbarit ut dignus habeatur. Alamus hominem, alamus, et solemur modis omnibus citra detrimentum ecclesiae. Alias, si quis intruserit in locum, in quo Dominus voluit meo ministerio uti et per me aliquot sibi lucrifacere, apud Deum meum de iniuria mihi illata, quae ecclesiae ipsi, imo ipsi Christo infertur, queror. Sicut et in aliis factum est indigne, hic reputo indignissime. Non est ita nobis prostituenda virgo haec sponsa Christi iis qui se quaerunt, donec intelligamus eos Christum vere quaerere, non se ipsos. Non satis habent ii, quos praestitisset non nasci (qualiter sint nati non dico) tot turbas quot sponte suscitarint, ecclesias invidentia perdiderint, lupos foverint, monstra evexerint, nisi diluvium malorum immittant. Tu frater obsta tam indignis ecclesiae malis, quae vitata volui. *Carolo* nolim vel in minimo obesse, omnem communionem ultro offerre paratus: sed cupio consultum ecclesiis, nec aliquid omitti quod e re sit ecclesiarum. Constantiam ac gravitatem hic exopto, non ita in beneficiis et obsequiis quibus quis tenetur etiam hosti adesse. Quamvis ingenue fatear me plura pro ipso egisse ac pertulisse quam si pater mihi fuisset. Sicut mortalium unquam nemo ita me laesit, volui contendere, iuxta sententiam Christi, benefaciendo: sed semper cavi ne quid ad ministerii functionem tenderet vel disciplinam impediret. Tempestivum iam est ut bili fraenum iniicias, nec te ac alios vexes: praestanda sunt quae sine iactura ecclesiae possunt, nec me opus habes monitore. Ne reputes me unquam aliquid de *Carolo* scripsisse, quod me poeniteret actorum in ipsum ut officii. Nam, ut iam sum testatus, noram hominem et quae egit ac procuravit longe plura quam scripserim reputans acta: sed ea omnia non impedierunt quin ex animo egerim. Cupio et alios, omnibus etiam cognitis, bene ipsi facere, salva semper ecclesia in omnibus, pro qua suscipienda sunt mala, non in gratiam alicuius. Cedant omnia ecclesiae, hoc est ipsi Christo qui caput est, quique vult suam sponsam nusquam nec unquam negligi. Non nobis timemus de ecclesiis huius ditionis, ubi adnunciatur Christus, quod praefici possit sine insigni specimine solidae pietatis. Imo scimus, omnes prius pellendos a plebe, quam ut solus possit admitti, nec puto satis tutum ipsi futurum, etiamsi privatus hic ageret. Quod *Martinus* vocat *ἀρκτόλυκον*, non tam exsecrandum habetur animal, ut plebi est huic, nec possumus melius consulere quam si taceamus. Profecto mirum sentimus affectum contra eum. Aliis timemus, quamvis ubicunque egerit, nisi tanta sanctimonia et insignis pietas hominem commendarit, valde despectum erit suum ministerium, tamque sine fructu, ut etiam aliis incommodet. Nam, ut nosti, circulatorum vocant illam iteratam defectionem, et id quod dicitur modo ait modo negat. Ideo videant qui hominis magis quam ecclesiae rationem habent, ne sibi iudicium et homini ac ecclesiae malum accersant.

De *Alexandro*, quem ideo puto sic fuisse assumptum, ut eo iret quo concessit, ac opinor priusquam hinc solveret sic conclusum fuisse, tu nosti quos habuerit in synodo,[20]) et qui possint apud *Rognacum* et filium Roberti *a Marca*.[21]) Per hos puto commendari, nec tacebit *Alexander*, tanto propensior in gratiam *Caroli* ad mentiendum, quanto infensior est nobis. Sed postquam is audiri vult fratribus non auditis, ut obtineat quod fit ubi alter tantum auditur, sic accipe. In montibus is egit, certe dignus qui feras pascat non homines, quum literarum sit expers. Agebam Neocomi tunc dum venit e Gallia commendatus literis *Robertivallis*.[22]) Dixi me non posse ipsi consulere: videret si quam posset conditionem invenire, ac experiretur quid posset. Is puto ad *Glandineum* concessit, egitque cum eo ac tandem locum habuit. Non est quod commemorem qualiter contenderit cum *Glandineo* pro scorto, quod uterque ambiebat: sed *Alexandrum* sequuta est Helena, aliam quaesivit *Glandineus*. Sed dum uxor *Glandinei* proscindit Alexandrinam, ventum est ad arma,[23]) gladiis et securibus est pugnatum in vico palam, et nisi diremissent vicini cecidisset alter, si non uterque. Pacatum fuit utrumque dissidium: egit multa *Alexander* bellicose, ac sane digni erant canonici qui talem haberent antagonistam. Utinam Christo tam dignus fuisset! Sicut ventrem tantum illi curant, sic *Alexander* gravis ipsorum ventri imminebat, nihil non recipiens cessurum in usum plebis, modo deficerent a canonicis, et quamvis multum periret sacrificulis per *Alexandrum*, vixit tamen calamitose valde. Pluries illic locum mutavit, ut liberum erat nomine prospiciente. Saepius conatus est locum aptiorem deligere: a suis canonicis venit ad Bielenses, ac

20) *Lausannensi, ubi a.* 1538 *Libertetus eum denunciarat.*

21) *R. de la Marck, Sr. de Fleurange, Commandant de la garde du Roi.* (*Hermj.* III. 96. 102.)

22) *de Robertval, lieutenant du maréchal de la Marck, a.* 1535 *ob religionem exsul.*

23) *Hermj. III.* 276.

illic, nisi habita fuisset ministerii ratio, infamia fuisset notatus. Impinxit enim crimen alteri quod probare non potuit. Oportebat igitur eum haberi quem dixerat alterum esse. Scortum quod duxerat non abhorrebat a vetere scortatore, ut saepius in aedibus *Alexandri* ageret et pernoctaret, adeo ut fratres obiecerint, lenonem ipsum esse uxoris. Sed quid haec persequor? Quum speraret se posse in ditione nova Bernensium, quam saepius inviserat .... nec mirum quum Gallias saepissimo adierit, relicta plebe etiam per menses aliquot, tandem Bernae obtinuit, quamvis non consultis fratribus, neque classe in quam missus fuit, ut Tononi doceret. Verum locus erat montanus, ac hostibus vicinus, utpote in quo captus fuit pius ille[24]) de quo audisti, frater. Quod quum videret alias putavit sedes quaerendas. Quumque Neocomenses, ex quibus assumpti erant selectissimi pro ditione Bernatium, pauci essent, ac *Claudius*[25]) concessisset Agathopolin, non tantum *Alexander*, verum uxor, ne dicam scortum, diligenter inquirunt locum pinguem et suavem. Albinensis igitur visus est insignis. Uxor igitur adit dominam, quae tunc paene omnia agebat caeco marito,[26]) dixit se nosse optimum concionatorem: si velit literas dare perlaturam se. Scribuntur literae, quas ubi *Alexander* accipit, mox colligit vasa, laetior quod tandem locum exoptatum sit assequutus. De consensu fratrum Tononensium, et multo minus Neocomensium nulla mentio. Satis sunt unae literae. Habetur interea synodus Lausannae.[27]) Hic queritur *Christophorus*, tum de *Alexandro*, quod locum deseruerit ac insalutatis fratribus abierit, tum de Neocomensibus, quod attraxerint ad se clam nec aliquid indicarint classi: perniciosum hoc ecclesiis, si ita alii aliis ministros seducant. Neocomenses respondent, indigno factum ab *Alexandro*, quod ipsis inconsultis locum occuparit sine probatione, nec aliqua disciplina sese intruserit. Respondet *Consenus*:[28]) ut se intrusit, sic extrudatur. Pergunt fratres ac petunt, ut fiat sine motu. Rogatur *Alexander*, ob Christum parcat. Ut videt in synodo conclusum fuisse, *Alexander* modo unum dicit modo aliud, sed nihil praestat. Tantum pergit satis odiose in fratres, quod se velint extrudere, ut pinguem habeant ecclesiam. Modo plebem, modo dominum contendit trahere in suam sententiam: plebem, si abierit, per totum triennium non habiturum pastorem; dominum, quod nos pro arbitrio quem vellemus designaremus, et quum se vocarit dominus ex loco cui iam sit consultum, fiet ut qui voluerit ipsi morem gerere sit sine ulla conditione. Fiunt omnia communia, dissipantur quae pauperibus erant elargienda in compotationes et munera. Offertur domino, si velit vel CC florenos dare, cessurum quod superest. Interea primum divortium fit in ministro *Gallo*:[29]) qua ratione, omnes mirantur. Fitque Bernae, ac pro omni ratione tantum licet respondere, sapientes esse qui admiserint divortium. Ridetur ministerium ob tam impudentem nebulonem, qui repudiatam excipit domi ac in gremio dormit, et conquiruntur in capite pediculi ab uxore. Quo plus suis factis infamat ministerium, eo magis suis detractionibus proscindit fratres. Convenimus omnes ac supremus magistratus. Hic actum est in *Alexandrum*. Iussus est loco cedere, nobisque demandatum ut prospiciamus de idoneo. Hic coepit multo magis instare maledictis ac plebem in nos concitare, ac quum metueret vim, convenit cum plebe si veniant aliqui, currat ad campanas et pulset, si concedat nostrum aliquis. Sic offendit plebem ut vix sibi temperet a vi, quum nunc eam experiamur valde benignam. Quum igitur neque magistratui pareret, ac plebem concitaret, maleque intrasset et semper in deterius proficeret, essetque maximo offendiculo verbo, tum ipsum tum *Glandineum* tradidimus Satanae. Riserunt uterque, sed *Glandineus* tandem fratribus fuit reconciliatus. *Alexander* neque veniam unquam petiit, neque reconciliari. Imo semper egit quidquid potuit in verbi et ministerii detrimentum. Pluries concessit ad Bernates, ac retulit literas quibus ut ad aliquod tempus haereret: quae etsi erant magis indicantes indignum esse qui ferretur, quam quae facerent pro ipso, tamen non veritus fuit minari iram vel gravissimam Bernatium plebem admonens ne paterentur ipsum pelli. Vix speraret aliquis in tam indocto asino, tam inepto ad omnia quae sunt pietatis, tantum astus et calliditatis in malo, ut firmarit pontificios ac interfuerit rasi intinctionibus, ac hospitem habuerit rasum, ac traducens ministerium affirmarit omnes ventris esse servos, cuius gratia doceamus quae novimus falsa esse: ut et ipse alias docuit tantum ut aleretur, etsi sciebat se falsa loqui, non est quod referam. *Zebedaeus* in classe Invordunensi de eo est questus, sed amici *Caroli* fortiter pro *Alexandro* steterunt, adeo ut passi sint et agere et loqui quae volebat. Nam boni illi viri nos mallent omnes periisse quam vel leviculum officium praestare. Non possumus probare tam multa quae perperam fiunt, quae potes ex *Zebedaeo* rescire. Qui quantum fuerit laborandum, ne nebulo qui cum *Carolo* venit in ministerium ad-

24) *Fortasse significat Mart. Gonin, Angronianum Valdensium ministrum qui a.* 1536 *Geneva redux in itinere captus Gratianopoli morte multatus est.*

25) *non Allobrox quem Simlerus hic videt, sed Cl. Clerc pastor nuper Albinensis* (*St. Aubin*).

26) *Claude de Neufchastel, Sgr. de Vauxmarcus, Gorgier et Travers.*

27) *vide supra not.* 20.

28) *praeses synodi.*

29) *Iac. Le Coq, Morgiensium ministro.*

mitteretur, et quibus mendaciis fratres circumvenirent, poterit explicare, ne solus omnia feram. Tuas literas Lausannam[30]) misi, ideo ad singula non possum respondere. Hoc tamen habe: post colloquium quod habuimus cum *Carolo*, in quo nihil prorsus conclusum fuit cum eo, sicut nunquam, nisi quod ipsi ex animo vellemus adesse, non impulsu aliquo sed semper sponte cucurri, ac alii ut agerent idem contendi: at nunc nihil possum. Nam et mendaciis et aliis paene innumeris omnes delusos mire offendit, ut vel audire de eo non sustineant. Si quis cupit pacem habere ac motus vitare ob Christum Iesum, ecclesiis non obtrudat donec prorsus alius fuerit, ac si sic omnibus sit persuasissimum. Non sine causa cupio esse omnes admonitos, et accurate. Nam si non prospiciatur, sicut in tempore deserta fuit ecclesia, ubi astandum et succurrendum erat, sic intempestive praecipitando magis quam promovendo *Carolum* ipsum ac ecclesiam perdent qui hoc facient. Missus a *Rognacensi* Genevam petiit. Nam hic nulla inveniri potuit conditio. *Antonius* hic fuit qui non dissimulat, ut prius omnia pessime habere Genevae, adeo ut suae timeat vitae, seraque tenetur poenitentia. Qui nobis parum fuere amici pessime apud eos audiunt, quos impulerunt in provinciam tam duram.[31]) Versionem tuae responsionis[32]) dederam Genevati qui ad te perferret, ac se ait pertulisse ac tibi reddidisse, sed Basileae exceptam abs te reliquisse. Claves huic dedit ut accipiat, quod spero faciet. Quid facto sit opus indicabis. Si fratri quem Metin volebamus mittere illic possit esse locus, nobis subindicabis: nam enitendum est ut quam latissime floreat evangelium. Iam Solodorum usque pervenit fama de edicto regis[33]) in pios, ac principibus porrecto, qui in gratiam piorum legationem ad regem decernunt. Utinam priusquam scivissent haec hostes peractum fuisset negotium. Rotomagensis obiit, Lotoringus superaddidit suis aliis archiepiscopatum Rotomagensem, Parisinus Narbonensem. Cancellarius[34]) obiit quoque: nescio an deterior sufficietur. Taurini *Montilian*[35]) non praeest amplius, cum vita potestatem exuit. *Annebaut* successit ac eo concessit. Iacobus *Gallus* Morgiis misere laborat morbo cum uxore, puero et ancilla. Non pauci inedia conficiuntur. Parum numeratur nonnullis, ut *Francisco* viro sancto, pro familia, et tamen multis cogitur ecclesiis servire. Aliis tam maligne, ut pars anni sit absoluta priusquam accipiant aliquid, et quod accipiunt precibus redimunt: ut taceam sumptus non exiguos faciendos in adeundis et adorandis praefectis. Tam populus quam magistratus videntur in perdendis ac conficiendis ministris laborare. Pauci sunt, nec sufficiunt ecclesiis: vix unus est ubi tres aut quatuor esse debent, ac quo magis premuntur onere laborum, eo minor ipsorum habetur ratio. *Benedictus* non indoctus, qui diu egit cum *Corderio*, mittebatur cum literis classis Torniacensis, quibus et praefectus se subsignarat. Verum seorsim dabat literas ipsi *Benedicto* perferendas, quibus scribebat non opus esse ministro. Sic eodem nuncio contraria mittebat. Nolunt enim nisi vel paucos ministros ac maligne exceptos habere, ut possint sua melius curare. Videat *Iacobus*[36]) ne rursus audeat vel hiscere, nisi forte, dum absumus, non tam sensurus sit hostes, quos pii omnes deberent experiri carissimos fratres. Coacti sunt nonnulli sedes suas deserere, ut is qui Coppeti egit. Sed sunt qui malint decem abire quam unum venire. Quid facient Domini, audeant etc. Vale, ac omnes saluta officiosissime, *Capitonem*, *Bucerum*, *Sturmium*, *Pedrotum*, quibus Christi ecclesiam cupio quam maxime commendatam, et multa cum aedificatione perfectam[37]) iri. Saluta G[*allos*][38]) omnes, *Claudium*, *Gasparem*, *Iacobum* cum comite. Omnes te salutant. Neocomi, 21. Octob. 1539.

Farellus tuus.[39])

Usus sum amanuensibus praeter morem, quod quae . . . .[38]) comite aliquid esset efficiendum. Sed alias vale.

30) *Vireto. V. N.* 189 *sub finem.*
31) *Abhinc alia manu.*
32) *ad Sadoleti epistolam.* (*N.* 186, 194.)
33) *N.* 189, *not.* 3.
34) *Ant. Du Prat.*
35) *Imo* Montejan, *maréchal de France, lieutenant du Roi en Piémont.* (*Brantome, hommes illustres N.* 65). *Eius successor Annebaut admiralis.*
36) *An Bernardus?*
37) *sic!*
38) *charta abscissa.*
39) *Manu propria, ut sequentia.*

194.

CALVINUS FARELLO.

Iterum de Actis Argentoratensibus in negotio Caroli. Nuper non satis sibi temperasse fatetur, nihilominus denuo cum amico expostulat cuius importuna clementia has turbas ipsi peperit. Alexandri impudentia. Res tum inter principes protestantes gestae, tum inter ipsos et exteros. Duplex versio Ep. ad Sadoletum.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 32. — Alia exemplaria habes ibid. Cod. 111, fol. 20. — Bernae in Archiv. Epp. VII. p. 312, et Turici ap. Simler. Vol. 47. — Anglice ediderunt B.-C. Tom. I. p. 133.)

Optimo fratri meo Farello Neocomensis ecclesiae ministro fidelissimo. [1])

Ignosces, frater suavissime, quod nihil ad te scripserim post turbulentas illas literas, quas recens adhuc a primo fervore bilis mihi expresserat. Non satis teneo quid scripserim. Scio tamen non bene mihi temperasse: quia hoc restabat unicum doloris solatium, tecum expostulare, quod nimia tua facilitate tales molestias mihi creasses. Nunc longa deprecatione excusas quod in te reprehendebam. Quamvis enim defendere studeas quod egisti, summa tamen defensionis in deprecando posita est. Posthac ergo vide ut modum clementiae adhibeas, ne quid afferat aliis praeiudicii. Nihil eorum quae in tua epistola recenses praetermisi, quum dicere iussus essem. Quin omnia eius facinora diligenter persequutus sum, quae et Genevae et Lausannae et in Gallia quoque post suum abitum [2]) designavit: sed postea introducebatur ac pro arbitrio alia diluebat, alia elevabat, alia recriminando in nos transferebat. Me illi committere non audebant, ne ultra modum exacerbarer. Responsiones quoque eius vel mitigabant, vel subticebant in totum. Sic clusus tota actione fui. Id quum initio praeviderem, testatus eram me nihil habere velle loci, neque in repudiando, neque in approbando. Non enim aliud agebatur quam ne abiiceretur a nobis qui abs te iam receptus erat. Negas te ecclesiam esse. Verum quis suspicetur te secus quam ex ecclesiae sententia eum commendare? Hoc nega, si potes, te literis reconciliationem testatum esse. Porro quod de te scribebas, id de tota ecclesia merito acceptum est, cuius ab autoritate nequaquam te discessisse omnes iudicabant. Sic destitutus fui solus qui me opponerem. Id quoque mihi autoritatem ademit, quod obtinuerat apud nostros ut videretur nonnihil causae habuisse controversiam illam de trinitate exagitandi. Qua in re non parum adiuvit cum *Capito*, qui literas olim se abs te accepisse *Bucero* indicavit, ubi te in ea quaestione ab aliis dissentire fatebaris: aut nescio quid tale. Nam *Bucerus* non ad liquidum mihi exposuit. Miro etiam de symbolis me omnes vexabant. Haec et similia fecerunt ut non prorsus indignum misericordia ipsum iudicarent. Quibus autem legibus receptus sit intelliges ex actis. Ego quod illic pollicitus sum constanter praestabo, si fidem ipse servaverit. Quod si fallere contingat, iam sum liberatus: fidem enim meam nonnisi sub conditione illi obligavi.

In *Alexandrum* iam sum egregie instructus, ut possim eum, quoties venerit, pro suis meritis excipere. Et plus ponderis habebo in illa causa, quia non videbor meum negotium agere. Audi insigne impudentiae exemplum. Ausus est domum nostram semel ingredi, quo se mihi utcunque obtruderet. Quum forte descendissem in hypocaustum, illic eum deprehendi cum domesticis. Salutavit ambitiose, et se ad sermonem gestu offerebat. Ego neque salute neque aspectu sum dignatus: tantum vocavi ad me unum cui mandavi ut iuberet excedere: aedes enim nostras non patere iis qui ab ecclesia Dei essent exterminati. Ex eo non ausus est se mihi ostendere. Nunc veniat, non reperiet me imparatum. Ridebis etiam si audieris qualiter una lectione *Buceri* acceptus sit *Carolus*. Tractabat locum de pseudopropheta lapidando. Quum definiendus esset pseudopropheta, dixit eum esse, non qui aliquid praeter verbum Dei doceret, sed qui dogmata excitaret cum verbo Dei pugnantia. Exemplum addidit de iis qui locum aliquem comminiscuntur in quo purgentur animae, ac futilem quidem esse illam doctrinam pronunciavit, sed cuius causa non debeamus aliquem damnare: modo sic eam profiteatur ut in medio relinquat. At cum qui adiuvari precibus nostris mortuos dicat, non vanitatis modo sed impietatis damnandum esse. Quum haec diceret, nunc me intuebatur, nunc in *Carolum* oculos dirigebat. Nunc quia cum ipso transegimus, danda est opera ne de nostra aut constantia aut sinceritate queri iure possit. Sciam aliquando tamen qua dexteritate se apud *Rognacum* gesserit.

Praebet autem mihi occasionem ut de Metensi ecclesia tibi respondeam quod res est. Transiit illac et ansam concionandi captabat. Statim adest officialis, qui citari ipsum iubet. Quid actum sit cum eo nescitur, nisi quod paulo post se subduxit. Quindecim circiter ante diebus illuc fratrem meum miseram. Agebat apud virum optimum et cordatissimum. Modeste se continebat. Simul ac resciverunt, edixerunt eius magistro ut eum ablegaret. Negavit ille se facturum. Tunc rabiem suam in fratrem converterunt, ac intra dies septem iusserunt urbe abire. Respondit iniquum esse ac insolens exemplum, de homine innoxio causa inaudita statui. Magistratum ergo adiit: petiit audientiam. Negata est. Provocavit ad supremum praetorem et concilium eius, quod ex nobilitate constat. Porrexit ex more supplicem libellum, sed nihil profecit. Neque cum solum ita tractarunt, sed censuerunt neminem posthac extraneum ferendum esse, in quem aliqua suspicio caderet. Breviter scito viam illic in praesentia clausam esse evangelio. Proinde exspectanda nobis est occasio melior, cui semper imminebo.

194. 1) *Farellus adscripsit* 27. Octobris 1539.
2) *ex Helvetia scil., non ut Anglus habet, qui Genevensia fata et facta hominis post hunc abitum ponit.*

Bestiolas illas, *Malingrium* et *Cruciatum*, non melius conterere possis quam contemptu:[3]) quod facere licet sine periculo. Non enim efflant nisi emortuum venenum.

Quod legatus regius de edicto rescivit, factum est opera *Buceri*, qui Doctorem *Chelium*[4]) subornavit, ut scriberet ei, nostros omnes valde alienari a Rege ob istam saevitiam. De legatione verbum nullum. Ipse enim *Bucerus* literas dictavit. Et sane iam fere coepimus de ea desperare. *Landgravius* concesserat et iam confecta erat res, nisi stetisset per *Saxonem*, qui se officio suo pulchre satisfacere putat dum ab omnibus adversariis se quam alienissimum esse ostendit. Interim pii in periculo deseruntur. Nuper *Anglus* legationem ad eum miserat, per quam excusabat, quod legatos ipsius et *Landgravii* re infecta dimisisset.[5]) Causabatur enim sibi non visos esse instructos satis plenis mandatis. Respondit verum esse quod proverbio dicitur, semper inveniri effugia ab iis qui tergiversantur. Legatos enim habuisse plenam potestatem sanciendi foederis, quod sibi ac sociis inire cum eo placeret. Ipsum falli si putaret nostros adduci posse, ut se omnibus eius controversiis implicarent: non aliam quam evangelicae causae societatem suscepturos. Deinde illum satis prae se tulisse quid haberet animi, quum impia illa edicta promulgavit. Se enim conscientia adigi ad hanc vocis asperitatem, neque posse se obstare quominus docti homines, quos in sua ditione habet, tantam impietatem traducerent. *Landgravius* non minore constantia, sed maiori lenitate respondit, ut aditum sibi faceret, si qua spes esset res in melius corrigendi. Nunc indictus est conventus in 19. Novembris,[6]) in quo de utraque legatione agetur. Heri primum appulit nuncius. Quanquam nondum scitur quid sit rei, apparet tamen gravem esse consultationem, ac tu quoque ipse coniicere inde potes quod tam subito convocantur.[7]) Erit enim nostris iter decem dierum, aliis aliquanto longius, quibus nondum renunciatum est. Scis quid Comiti *Guillelmo*[8]) acciderit. Dum vult Alpinas illas valles tueri adversus *Montmiani*[9]) iniurias, inimicitias cum *Connestabili*[10]) suscepit, quae eo usque sunt progressae ut se rege insalutato ex aula proripuerit, sed prius abdicatis omnibus officiis. Longa est historia: ideo non possum totam recensere.

Versionem epistolae meae ad *Sadoletum* non potui ad finem usque conferre. Integrum enim diem requirebat labor ille. Inspexi tamen ut gustu habito iudicium aliquod facere possem. Non displicet. Nollem tamen ante publicari quam correcta fuerit. Deprehendi enim alicubi erratum esse. Vereor tamen ne si moretur *Antonius*, *Pignaeus* antevertat,[11]) qui iam forte ad umbilicum usque perduxit. Non enim tertiam partem in componendo eius temporis consumpsi quod praeteriit ex quo scripsit se incepisse.[12]) Nec dubito quin hortatu *Michaelis*. Secretarius Paterniacensis hic unum ex fratribus habet. Educat apud se vicissim filium eius cui eum commisit. Est hospes *Gasparis*, vir bonus et integer.[13]) Mater valde anxia est, quod de filio nihil audit. Tu ergo effice ut brevi scribatur, quo modo habeat. Omnes te amicissime salutant, *Capito*, *Bucerus*, *Sturmius*, *Pedrottus*; nostri etiam *Claudius*, *Gaspar*,[14]) *Brito*, discipuli *Claudii*, *Iacobus* cum sodali suo, *Enardus*, tota domus nostra ubi nunc est frater. Literas istas satius erit apud te contineri quam longius spargi. Argentorati 27. Octob. 1539.

Calvinus tuus.

Saluta mihi diligenter omnes fratres, collegam tuum, *Thomam* et alios.

Non potui nunc ad *Michaelem* scribere: velim tamen illi iniungas, primo nuncio scribat de psalmis quid actum sit. Mandaveram ut centum exemplaria Genevam mitterentur. Nunc primum intellexi non fuisse id curatum. Certe nimis negligenter tamdiu distulit mihi significare.[15])

Non potui Acta[16]) nunc habere: propediem recipies.

Vous maviez mande par *Alexandre* que vous aviez a moy pias precationes *Lutheri* desquelles vous ne faictes nulle mention. Ie vous prye aussi me mander comment il en va.[17])

---

3) you cannot do better than constantly to crush and bruise them. — *Quae haec fuerint contentiones non satis constat. Caeterum v. N.* 193 *not.* 17.

4) *Ulricus Chelius medicus, Buceri amicus.* (*Apographa male Shelium et Melium appellant.*)

5) *De his nonnulla habet Salig.* II. 375.

6) *Arnstadtiam in Thuringia. Sleid.* II. 152. *Salig. l. l.*

7) you can thence conjecture what has so suddenly called them together.

8) *Cf. N.* 189. *Münch., Gesch. des Hauses Fürstenberg* 1830 *II.* c. 1. 2. *Barthold, Deutschland und die Hugenotten. Brem.* 1848. *I. passim. Brantome l. l. N.* 61.

9) *N.* 193, *not.* 35.

10) *Anne de Montmorency.*

11) *Duplex ergo versio parabatur.* (*Cf. Prolegg. Tom. V. p.* 46.

12) *N.* 186.

13) *Haec misere a translatore Anglo corrupta:* The secretary of Payerne has one of his brethren (*l. brothers*) here. By way of return he is educating his brothers son. He has entrusted him to the care of Gaspar, a good and worthy man.

14) *Sturmium, Bedrotum, Claudium et Gasparem om. Anglus, qui etiam scribit:* with his comrade Enard.

15) *Cf. Prolegg. T. VI. p.* 18.

16) *cum Carolo* (*N.* 187).

17) *Quatuor haec additamenta s. post scripta, quae dicimus, variis locis et angulis chartae, ex transverso, in margine inscripta sunt; ultimum gallicum ab ipso Calvino deletum abest ab apographis.*

195.

GRYNAEUS CALVINO.

Acta cum Carolo ecclesiis mittenda. Genevensium res usque in magno discrimine. Gratias agit pro amicitiae pignore quod ipsi in dedicatione Commentarii in Ep. ad Romanos oblatum est.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 109, fol. 143.)

D. Ioh. Calvino suo fratri carissimo.

S. En tibi sollicitudinem nostri *Farelli*. Scio, non est exemplum tractandum temere. Magnum fuit hoc *Caroli* admissum. Itaque cum omni ope et fide conamini ecclesiae et Christo restituere hominem. Quae cum eo acta sunt ad ecclesias eas mittetis quae huius sunt peccato maxime offensae. Vides ut boni fratres sibi ab hoc metuant, cuius fraudem semel sunt tam graviter experti. De *Antonio* [1]) et ecclesia Gebennate, obsecro, quid facietis? Domine Christe quid est rei, et quid est hoc saeculum. Vereor valde ne haec urbs aliquid nobis monstri alat. Vellem *Bucerum* cum Bernatibus aliquam viam cogitare: quamquam valde vereor ne eam sit frustra tentaturus. Ad *Farellum* acta cum *Carolo* ante omnia mitti diligenter oportet (et per eum ad alios) quem illa cura maxime tangit. Dominus vos dirigat spiritu suo. De epistola qua mihi dicas labores tuos praeclaros, tantum abest ut excusare, mi *Calvine*, oporteat, ut ego id beneficii sempiterni loco sim accepturus. Non solum enim me tui tuique nominis non pudet, sed etiam ornamento mihi nostram amicitiam esse maximo iudicavi. Salutaris certe mihi fuit hactenus consuetudo vestra. De te ac carissimis mihi fratribus istic omnibus loquor. Itaque gratias tibi pro amicitia et fide erga me tua habeo, quantas haberi ab eo oportet cui nihil in vita est sancta omnium bonorum amicitia potius. Valete in Domino omnes. Christus Dominus vos servet. [2])

S. Grynaeus tuus.

Bucerum hortare ut si nondum istinc Anglus abiit, ut ipse quoque ad *Cantuariensem* scribat ...... ecclesiae ...... nomine. Si abiit .... [3])

195. 1) *Marcurtio.*
2) *De tempore scriptae epistolae minime ambigendum, quum et dedicationis Commentarii in Ep. ad Romanos, et Actorum in causa Caroli nuperrime conscriptorum mentio fiat.*
3) *Plura extricare non valuimus. Cantuariensem dicit Cranmerum archiep. ad quem exstat Buceri ep. 29. Oct.* 1539 *data, aliam Grynaei simul tradens.*

196.

PRO AFFLICTIS IN GALLIA.

Instructio legatis Argentoratensibus ad comitia principum profecturis data, de iis quae a rege Francisco in gratiam protestantium petenda erant.

(Ex scheda bibliothecae pastorum Neocomensium de qua plura diximus alia occasione Tom. IX. prolegg. p. 67.)

Ne videantur principes nostri plus sibi velle sumere quam *Regi* concedant, videtur optima fore haec ratio si principio testentur, nihil se magis optare quam aliquando sibi opportunitatem dari approbandae illi suae doctrinae: Quod scilicet et bona causae suae conscientia et aequitatis illius fiducia freti non dubitent, se habere rationes quibus illi satisfaciant, si quando ad amicam commentationem ventum esset. Deinde quod multa benevolentiae ipsius erga se testimonia habent, unde spem concipiunt, illum propensum fore ad audiendas quas habent rationes. Nec vero dubitant, quin ipse pro sua sapientia videat, quantopere corruptus sit ordo ecclesiasticus, quanta sit in plebe ignorantia et superstitio, quot vitiis laboret ecclesia. Quae omnia reformationem exigunt, quam nos expetimus, hostes vero nostri refugiunt. Quum enim sint omnia sic collapsa omni ex parte, et dissipata, ostendant ipsius quoque referre, si velit regno suo bene consultum, ad eam reformationem animum adiicere.

Deinde, si in praesentia illud quod maxime esset optandum impetrari non potest, se tamen cupere illum interim esse causae propitium. Idque ut declaret in suo regno, clementer tractando eos qui cum ipsis in religione consentiunt. Atque hic significent, se arbitrari multos illic esse bonos viros, qui propius attendant ad lucem verbi Dei, et qui conscientia urgeantur ad improbandos abusus quod Deo adversari vident. Quum ergo tantum ipsis detulerit ut pollicitus sit, se non passurum eorum causam vi et armis opprimi, ut eam clementiam et benignitatem erga subditos suos declaret, qui quum habeant communem causam damnari nequeunt quin causa nostra simul damnetur.

Sit autem hoc primum postulatum ut populo permittatur sacram scripturam habere ac legere lingua vulgari. Quod est hodie periculosum in sola Gallia, quum ubique liceat.

Alterum, ne propter suspiciones, nullo certo crimine, vexentur ac trahantur in iudicium capitale quieti ac modesti homines, qui nihil aliud quaerunt quam post Deum principem suum revereri ac legibus obtemperare.

Tertium, ut hanc cognitionem bonis et aequis iudicibus demandet, qui non agant hic privatum

negotium, qualiter faciunt ecclesiastici, et qui illis sunt autoritati, quos certum est hic nihil aliud quaerere, quam ut vitia, quibus ecclesiam perdiderunt, retineant, et si quis contra mutire ausit caeca rabie ulciscantur.

Quartum, ut qui accusati posthac fuerint iis liceat fidei suae rationem reddere, et si iustam satisfactionem obtulerint audiantur.

Quintum, ut qui nunc in carcere sunt, citra abinrationem liberentur.

Si reginam *Navarrae* conveniant erunt admonendi ne eius consiliis auscultent: quanquam expediet illi evangelii causam in genere commendari, ac indicari sic de eius pietate persuasos esse nostros principes, ut certo sperent, sibi in hac legatione suffragaturam, utpote quae pro Christo et regno ipsius suscepta sit. Sic fortasse movebitur, quia spem de se conceptam fallere ipsam pudebit. [1])

197.

CALVINUS FARELLO.

Caroli fata pro tempore incerta. Persequutiones in vallibus Alpinis eaque de causa ipsorum procerum simultates. Conventus Arnstadiensis et Regum ac Principum molimina varia. Farellum increpat de credulitate qua vanos passim rumores accipit et spargit. Lutheri et Melanchthonis epistolae boni animi testes.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 34. — Exstant praeterea apographa recentiora ibid. Cod. 111, fol. 22, Bernae in Archivis Epp. VII. p. 321, et Turici in Simlerianis T. 47. — Anglice l. l. Tom. I. p. 139.)

Salve amicissime frater. [1])

Iudicium tuum de actis reconciliationis cum *Carolo* factae iam dudum avide exspecto. Illo non redit, nec dubito quin illic nidum quaerat. Et certe constat ei non mala consilii sui ratio. Melius fumant aulicae culinae, quarum odore scis illum aliquantulum affici. Vereor tamen ne haerere diu possit apud eos qui malam gratiam nolunt inire apud regem. Quidquid erit, si fidem praestiterit, illum omnibus officiis demereri oportebit.

De [2]) Comite *Guillelmo* sic habet res. Quoniam *Montiianus* violenter irruperat in Alpinas valles multisque iniuriis vexaverat bonos fratres, Comes ea de re questus est graviter apud *Connestabilem*, nec a minis abstinuit. Ille initio mollire animum Comitis velle, ac blanditiis reconciliare cognato suo. Comes animosius subinde loqui, donec ille etiam ferocire coepit. Hinc non dubia inter eos simultas. Comes extemplo per literas, quas mihi legendas praebuit, *Montiiano* societatem quam prius coierant renunciavit. Improbum ac sceleratum sibi haberi dixit, si in valles suas, ut ferebatur, invasisset gentemque innoxiam expilasset. Rescribuntur literae eius nomine, quibus dicit Comitem turpiter mentiri. Addit illos nihil passos quod non sint meriti sua in Deum et regem rebellione. Comes hominem expedite mittit per quem ad duellum provocat. Ille in itinere de morte intelligit. Interim *Connestabilis* suscipit Comitis adversarium et totum favore suo com[*pl*]ect[*itur*] [3]): subornat qui variis illum contumeliis lacessant. Sic tractatus regi [*suum*] famulitium renunciavit. Nuper literas a rege accepit cum libello v[*alde*] probroso sui adversarii. Respondit regi sibi esse paratam defen[*sionem ad*] omnia obiecta, modo sine eius offensione verum dicere liceret, se [4]) enim in [*hac*] re adversus *Connestabilem*, a quo prodiissent illa omnia, esse agendum. Et sa[*ne*] totam acerbitatem in eum effundit, ac ne videretur clam agere, misit circiter quinque exemplaria, quae *Delphino*, regi *Navarrae*, aliisque offerrentur. Inter alia quae audire coactus est, exprobatus [5]) illi fuit frater tuus, [6]) quem aieb[*ant*] in calicem cacasse. Respondit esse falsum, ac se ipsum vindicaturum si ita ess[*et*]. Neque illi aut Basileae, aut hic, aut Genevae impune fore tale [*fa*]cin[*us*]: verum hostes evangelii solere comminisci multa quibus nos gravent, quo loco illud haberet. Fratrem tuum utrumque diligit. Quum nuper apud eum coenarem, adessetque unus ex comitibus summi templi, quem sperant fore episcopum, amicam de utroque men-

196. 1) *Quum huius schedae margini inscriptus sit a.* 1539, *de tempore scriptae instructionis, in universum spectato, minime ambigimus. Verum etiam mensem et occasionem accuratius definire ausimus. Eadem scheda, ut alio loco diximus, continet apologiam sententiae autoris de coena Domini qualis in secunda Institutionis editione declarata fuerat; ergo non pertinet ad initium anni, neque ad conventum Francofurtensem Martio et Aprili celebratum, cui ipse aderat. Referenda potius ad Arnstadiensem* (*N.* 194 *not.* 6) *et mensem Novembrem. Quod apprime confirmatur Epistola proxime sequente.*

197. 1) *Inscriptio exterior in archetypo non adest, et in textu ipso plura cancellata sunt uncis et lineis inductis sed a recentiore manu, fortasse ab ipso Beza qui epistolam prelo destinabat.*

2) *Haec cancellata sunt, usque ad verba:* iam scripserat, *adeoque maior pars epistolae, ut non mireris totam ex numero edendarum expunctam fuisse. De Comite Guilelmo et Monteiano v. N.* 193. 194. *De ipsis persequutionibus adeas Sleidanum, II.* 219, *Saligium, II.* 245 etc.

3) *Charta h. l. passim mutila iam olim fuit. Textum ex coniectura reficimus.*

4) *sic autogr. S. emendat:* sibi.

5) *sic autogr.*

6) *Sic hic et infra nos quidem tam in autographo quam in caeteris exemplaribus, etiam apud Simlerum scriptum invenimus. Versionis anglicae autor in suo textu habuit:* suus.

tionem fecit. Biduum cum eo fere transegi, quia literas illi suas scribebam.

Conventus indictus est ad 19. huius mensis, quemadmodum tibi scripsi. Summum deliberationis caput erit, qua ratione consulere sibi debeant, quando a *Caesare* elusi sunt. [7]) Magnae sunt et plurimae belli suspiciones. Marchio *Brandeburgensis* elector [8]) *Philippum* accersivit, ad *Landgravium* scripsit sibi in animo esse evangelium recipere, exterminare papismum. Ita non parva accessio nobis facta est inter istas inducias. De *Geldrio* dubium quid futurum sit. Sororem suam [9]) *Anglo* despondit et propediem mittet. *Anglus* comiter legatos principum nostrorum accepit. Quid plura? Nunquam paratior ad recipiendum evangelium fuit. *Caesar* quum audisset de illa affinitate, sollicitavit eum per *Federicum* ducem, Palatini electoris fratrem, ut Mediolanensem ducissam [10]) acciperet, quo coniunctis viribus recuperarent Daniae regnum. Respondit breviter *Anglus*, se non modo nihil tentaturum adversus regem *Daniae* quamdiu religionem illam teneret, sed illi sociisque eius ex officio adfuturum. Hortatus est deinde *Federicum* ut se nobis adiungeret fratremque adduceret. Ac quo melius animaret, promisit se effecturum ut ratio aliqua eius a rege *Daniae* haberetur. Nostri procul dubio nunc serio instabunt. *Bucerus* accersitus est a *Landgravio*, dubium an ea causa ut cum legatis eo concedat. *Sturmius* noster habet mandatum a senatu de curando fratrum negotio. Ego ut eram ab eo iussus breviter indicavi, quis videretur mihi optimus agendi modus. Eius brevis [11]) exemplar tibi mitto. Quanquam *Buceri* animum nonnihil refrigeravit, quod intellexit postea vanum esse quod ex literis tuis acceptum temere vulgaveramus. Scripseras enim exustum fuisse Lutetiae unum. Venerunt huc duo qui constanter id negarunt. Vide igitur ne quid posthac scribas nisi certo compertum. Eo autem id magis displicuit *Bucero* quod *Landgravio* iam scripserat. [12]) De diplomate regio [13]) quid sentirem iam indicavi. Si illud supposititium esset, quod magnopere vereor, quantopere labefactaret fidem nostram? Certe poenituit me postea quod ita facile protulissem. Simus ergo posthac cautiores, quo plus valeamus autoritate ad fratres in tempore iuvandos. Non cesso, crede mihi, ubicunque occasio est: quod ideo moneo quia multi dormire me putant quamdiu nihil iacto.

Crato, [14]) unus ex caleographis nostris, Witemberga nuper rediit, qui literas attulit a *Luthero* ad *Bucerum* in quibus ita scriptum erat: Saluta mihi *Sturmium* et *Calvinum* reverenter, quorum libellos singulari voluptate legi. [15]) Iam [16]) reputa quid illic de eucharistia dicam. Cogita *Lutheri* ingenuitatem. Facile erit statuere quid causae habeant qui tam pertinaciter ab eo dissident. *Philippus* autem ita scribebat [17]): *Lutherus* et *Pomeranus Calvinum* et *Sturmium* iusserunt salutari. *Calvinus* magnam gratiam iniit. Hoc vero per nuncium iussit *Philippus* narrari, quosdam, ut *Martinum* exasperarent, illi indicasse quam odiose a me una cum suis notaretur. Locum ergo inspexisse, et sensisse sine dubio illic se attingi. Tandem ita fuisse loquutum: Spero quidem ipsum olim de nobis melius sensurum, sed aequum est a bono ingenio nos aliquid ferre. [18]) Tanta [19]) moderatione si non frangimur, sumus plane saxei. Ego vero fractus sum. Itaque satisfactionem scripsi quae praefationi in epistolam ad Romanos insereretur. [20]) Si nondum legisti *Philippum* de autoritate ecclesiae, [21]) cupio ut legas. Videbis multo cordatiorem quam apparebat in aliis scriptis. Salutant te amantissime *Capito*, *Bucerus*, *Sturmius*, *Hedio*, *Bedrottus* et alii. Tu etiam velim salutes non vulgariter omnes fratres. [22]) Vale, frater optatissime. Argent., 12. Calend. Decemb. [23])

Calvinus tuus.

198.

ZWICKIUS CAPITONI.

Deplorat mutuas piorum suspiciones et criminationes ut Turicensium et Argentoratensium, quae tamen vanae sunt et intempestivae, quum tam multa in ecclesia adhuc desiderentur.

7) Hic deliberatum fuit de augendo foedere deque defensione necessaria, si forte Caesar transactionem Francofurticam non admittat. *Sleid. II. p.* 152.

8) *Ioachimus II. Seckendorf III.* 234. *Ranke IV.* 116.

9) *Anna Cliviensis principis Guilelmi soror.*

10) *Viduam scil., Christiani II. filiam. Cf. Salig, II.* 376.

11) *sic, in Genitivo. Hoc breve, si quid videmus, illud ipsum est quod modo legisti.*

12) *Hucusque pertinent Bezae cancelli.*

13) N. 189, *not.* 3.

14) *Sequentia Henry speciminis loco ad modum qui facsimile dicitur inseruit suo T. I. p* 267. *De Cratone v. N.* 160 *not.* 2. *Crato Mylius fuit aliquis typographus Argent qui plura Sturmii excudit.*

15) *N.* 190.

16) Iam . . . . dissident. *Haec quoque cancellata.*

17) *Deperdita videtur epistola; certe in Corpore Ref. non legitur.*

18) It is well that he should even now have a proof of our good feeling towards him.

19) Tanta . . . . in aliis scriptis. *Etiam haec uncis inclusa et linea inducta a recentiore manu deleta.*

20) *N.* 191 *versus finem.*

21) De dicto Augustini: Evangelio non crederem nisi autoritas ecclesiae me moveret 1539.

22) *Addiderat:* Literas meas divulgari . . . . . *sed ipse delevit ut vix legi queant.*

23) *Farellus add.* 1539.

(Ex autogr. Archiv. eccles. Basil. Epp. Vol. I. p. 58, unde etiam habuit Simlerus Vol. 47.)

Praestantissimo viro D. D. Wolfgango Capitoni praeceptori meo omnium carissimo.

Argentinae.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Quae sub finem epistolae tuae nuper ad me, quod *Bucerus* a fratribus suggilletur, credo tibi *Bullingerum* in epistola praeliminari ad *Vadiani* epistolam [1]) suspectum esse. At ille etiam per meas literas monitus serio testatur, nunquam in animum sibi venisse, ut vos publico scripto traduceret, sese optime de vobis sentire, etiamsi quaedam in vobis desideret, quemadmodum et vos in ipso. Sed ego laudo animum vestrum qui non paratus est paria reddere. Nam utcunque etiam non misceantur nomina ullorum, tamen nasuti sunt admodum lectores nostro saeculo. Quaeramus ergo quae sunt pacis et discamus multa onera ferre. Non uno nomine miserum est saeculum, sed infinitis, maxime vero si posteritas incidat. Ministri pii eripiuntur paulatim; succrescunt docti multi de quorum tamen pietate multum dubito. Magistratus satis imperiosi sunt, non in praetorio quod aequum esset, sed in ipsa ecclesia Dei, ut vix liceat preces sacras instituere nisi arrideat Cerdonibus. Populus sic recipit doctrinam, si approbet magistratus: disciplinam respuit manibus et pedibus. Sic conqueruntur optimi fratres in omnibus fere ecclesiis. Interim Turca facit quod decet suam professionem. Hinc quid sit boni sperandum non video. Succurrat igitur nobis Dominus. Amen. Hunc diligenter ora pro nobis. D. *Bucerum* volo ut meo nomine serio salutes. Utinam exuat suspiciones quasdam de nobis. — — — — Constantiae XI. Dec. 1539.

Tuus Io. Zwick.

199.

BULLINGERUS GRYNAEO.

Versatur in eodem argumento ac praecedens. Ipse Bullingerus testatur se minime de theologis Argentoratensibus cogitasse quum praefationem ad Vadiani Epistolam scripserit qua illi offensi sunt. Rogat amicum ut sua officia in sedandis eorum animis interponat.

(Ex autogr. Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 117ᵃ olim Epp. C. Tom. I. fol. 170. Exstat quoque apud Simler Vol. 47.)

Intelligo *Bucerum* irasci mihi serio et graviter, idque propter editam epistolam Vadiani, praesertim propter meam *Vadiani* praefixam. Suspicatur ille in se et Argentoratensem ecclesiam sanctissimam dictum quod scripsi in homines inconstantes. Neque enim ille vel verbo evincet, mea Argentoratensi ecclesiae competere, nisi ille talem fecerit qualem ego esse non arbitror. Ex generalibus ille specialia facit. Tu nosti, mi *Grynaee*, te et *Myconium* potissimos fuisse autores quod illam ediderim. Quum enim intelligerem ex literis vestris, admodum probari vobis epistolam *Vadiani*, et conducere si communicaretur pluribus, idque nunc maxime quum *Schwenkfeldii* pravum dogma multis imponat simplicioribus, ego omnibus bonis gratam rem facere volens edidi, et epistolam praefixi a libello, ni fallor, non alienam, et quam maxime in Schwenkfeldianos et sui similes turgentes spiritus strinxi, id quod ipse contextus operis testabitur. Praeterea in papistas, pseudoevangelicos et in vertumnos quosdam etiam scripsi. Verum quis dicet me scripsisse falsa, quum tot inconstantium hominum hodie exempla ubique redundent, qui ad verbum id quod ego notavi explent? Et quum illa scriberem in Iulio, erant quidam in Suevia concionatores quibus egregium videbatur nunc in hanc mox in aliam partem declinare, inter quos *Simpertus* [1]) Cambodunensis omnium immodestissimus erat etc. Haec ergo quum ita habeant, et tu noris, nulla alia occasione epistolam editam, oro ut apud Argentoratenses me excuses. Nolui ego *Bucero* scribere. Non quod odiam [2]) virum, aut quod illi hanc ob rem irascar, sed, quum satis alioqui irritabilis sit, ne offenderem gravius. Haud enim suave mihi est concertare cum fratribus. Multo foret amarius tecto sermone acerbius illos pungere et vellicare. Scripsit hac de re ad Ioannem *Sturmium* quoque *Bibliander* [3]) compater carissimus excusans me. Fac igitur tu quoque, mi *Grynaee*, amici officium. Ego posthac huius rei non meminero amplius, nec apud quemquam porro conquerar amplius. Amo et veneror fratres Argentoratenses et ecclesiam illam sanctissimam. Libellum his apposui, si forte hactenus illo carueris. Verum arbitror te a nobis exemplum accepisse. Vale, 12. Decembris 1539.

---

198. 1) *N.* 179 *et* 199.

199. 1) *Schenckius* (*N.* 179 *not.* 2.)
2) *Sic nempe vir doctissimus. Simlerus eius famae consulturus scripsit:* odio habeam.
3) *De Theodoro Bibliandro, erudito Corani translatore, v. Baylium, Adami Vitas et Pestalozzii Bullinger. p.* 320 *et passim.*

200.

CALVINUS FARELLO.

Hortatur ut paci et concordiae studeat et tolerare discat quae et quos mutare nequit. Sunt qui laudabundi magis importunos se ostendunt quam infensi. Epistolam ad Genevenses non in bonam partem acceptam esse dolet. Cuius summam repetit et defendit. Sonerius Argentorati quid fecerit. Psalmos gallice vertit, ad melodias germanicas decantandos, et typis propediem mandaturus est.

(Manu scripta non exstat. Legitur ap. Bezam ed. alter. 1576. p. 411, Chouet p. 573, Amst. p. 257, non vero Laus. et Hanov.)

Gratia tibi et pax a Deo patre per Christum Dominum frater suavissime.

Ego vero non desinam te hortari ut id facias quod sponte facere te video: partim ut meum Euge tibi occinendo animum addam, partim ut me quoque tecum meis hortationibus confirmem. Quo et diligentius intueor omnia et longius circumspicio, eo certius constare incipit, quam necesse sit nobis multos tolerare, quos sublatos optandum sit si liceat. Non enim huic malo sola ecclesia obnoxia semper erit, sed pars etiam ecclesiae quae purissima et purgatissima esse debuerat, ut vitiosis hominibus oneretur. Iam si tolerandi sunt, benevolentia quoque et mansuetudine retineantur oportet, quam equidem nolim ad dissolutam indulgentiam procedere: sed tamen in vitiis corrigendis adhibendam censeo. Glandinaeos et Alexandros, atque huiusmodi carcinomata, non tantum exigi e ministerio operae pretium est, si volumus salvam ecclesiam: sed si pergant maledicere, e fidelium etiam consortio exterminari. Atque utinam possem vobis approbare ac persuadere, quod expedire omnino censeo: nempe si in comitatu Neocomensi adhuc degunt, [1]) ad solennem ecclesiae cognitionem vocarentur, severe admonerentur suae nequitiae: si obstinarent animos, excommunicatione compescerentur. Negabis tantum vobis autoritatis esse. At cur non a senatu impetraretur ut extra ordinem senatores duo aut tres designarentur, qui publica potestate illos in fratrum coetum accerserent, ac ipsi disceptatores adessent? Interest enim magistratus, non ita procaciter traduci quae tum ipse pro potestate egit, tum ab ecclesia decreta recepit ac stabilivit. Qui sunt sanabiles, eos ut membra nostra curando foveamus. Imo, quos abscissos esse magis conveniat, utcunque sustineamus, donec maturuerit eorum iniquitas, et in apertum ulcus emerserit. Video quam importunus sit ille [2]) tibi, cum quo te amicitiam ac concordiam cupio conservare. Ipse quoque et stultitiae, et vanae arrogantiae, et malae fidei suspectum habeo: sed quid facias, nisi ut feras, donec te exoneret Dominus? ferre autem non potes, nisi remediis eiusmodi omnibus simul utaris. Interim verum esse conspicio quod ait *Viretus*, nullos esse nobis magis noxios, quam qui immodicis nostris laudibus bilem invidis aut inimicis movent. Quanquam ut tenue mei laudandi argumentum praebui, non puto ullos esse erga me nimium profusos, nisi qui ob eandem causam tecum forte copulant. Cupiam tamen importuna eiusmodi encomia, quibus nobis ac causae tantum officitur, cohiberi. In quam rem si quid potes, te quaeso impende. Ego certe, quum mihi quidam Basileae gloriandi causa referret, se palam tibi non minus tribuisse quam Paulo, non dissimulavi quantopere haec comparatio mihi displiceret. Quorsum enim attinet te ei parem facere: cui ne inter apostolos quidem reperitur qui per omnia respondeat? Iniqua tamen conditio nobis imponitur, qui poenam luere cogimur alienae vel stultitiae vel intemperantiae: sed hic quoque morbus sanabitur, si quando sepelietur dissidii species. Quare de coetu fortiter instabo apud *Bucerum*, simulac redierit. [3]) Ut aliis bene sit, non dubitemus quidquid nostrum est exponere, modo Christi gloria et ministerii nostri fides illibata maneat. Citius enim millies vita cessero. Neque me illuc trahi patiar, nisi *Bucerum* prius sacramento in haec verba adegero. Quanquam id ipsum nec roganti ultro semper pollicitus est ac recepit.

Literas meas, quas ad fratres communiter scripseram [4]) tanta offensione exceptas fuisse, magnopere mihi dolet. Scriptas tamen esse, vel ob hoc unum nondum poenitet, quia si in rem praesentem ventum fuerit, non poterunt nobis exprobrare adversarii quidpiam suasu nostro fuisse admissum, quod fratribus improbari queat. Tantum mihi molestum est, quod non meliore nobiscum fide egerit *Sonerius*. Eo enim animo, et ea simul lege scripseram, ut arbitrio tuo vel supprimerentur vel mitterentur. At quoniam aliter illius incuria successit, accipe quo satisfactum iri tibi confido. Toto triduo tantum non vim mihi ac *Capitoni* inferebat, ut per nos ministerium sibi suscipere liceret. Condictus est dies, quo illi responderemus. Ego autem quum vel morbo vel repentino aliquo negotio impeditus adesse non possem, excusavi. Id quod maxime de ministerio urgebat, *Capito* illi denegavit, *Firmio* partes suas strenue agente. Quia res ex voto non ceciderat, ad integram cognitionem provocavit. Postridie convenerunt ad me *Capito* et *Firmius*. Ipse retexere ex integro quod pridie actum erat: ac tanta con-

200. 1) *Alexander nuper Argentorati fuerat. N.* 188 *et* 194.
2) *Fortasse Malingrium innuit de quo Farellus N.* 193 *et ipse N.* 194.

3) *Wittenberga* (*Corpus Ref. III.* 849. 851.)
4) *N.* 175.

tentione flagitare, ut ineptissima ambitio se proderet. Iussus a *Capitone* respondere, totam prope horam disserendo consumpsi. Illo fremere, quia extorquere praedicandi verbi licentiam non poterat. Demum tamen acquiescere: modo quod de communione fratrum dixeramus, epistola testatum facerem. Quod bis ac ter quum recusassem, ad extremum concessi: sed ea conditione, ut tibi integrum foret, eam aut continere, aut publicare. Nunc audi quae fuerit summa. Exordior a distinctione ministrorum ac plebis. Dico ministro coenae dispensationem esse commissam: proinde fidem ac prudentiam ab eo requiri. Unde ab eorum ministris scelerate profanari non dissimulo. Privatis ecclesiae membris tantam provinciam neu incumbere ostendo, quia iubeantur singuli probare se ipsos, et sic ad participationem dominici panis accedere. Deinde rem totam in certa membra distribuo: cuius tamen partitionis non satis memini in praesentia. Nisi quod exstare adhuc inter eos ecclesiam contendo, utcunque laceram ac dissipatam. Ex eo colligo esse illic piis legitimam sacramentorum susceptionem. Tum obiecta quibus implicari poterant dissolvo, quorum praecipuum est de vocatione eorum a quibus ea suscipient. Quantum ad ecclesiam, obtestor te, mi frater, locum demus tot scripturae elogiis, quibus ipsius unitas nobis commendatur. Deinde illa quoque testimonia observemus, quae aliqua in parte ecclesiam illic statuunt, unde multae ecclesiae dotes sunt abscissae. Si quis mihi pro ecclesia obtrudat id concilium, in quo improborum factione piorum consensus opprimatur: ut nisi eius sententiam ceu Dei oraculum reverear, ablegandum me censeat ad ethnicos et publicanos, parum movebor. At quantum ad sacramentorum susceptionem attinet, alia est ratio. Scis qua acerbitate David Saulis et totius regiae aulae nequitiam detestetur. Non tamen impediebat eum consortium tam flagitiosae turbae, quominus id praecipue inter Mesechitas deploraret, quod ad sacros coetus convenire, ad peragenda solennia sacrificia non liceret. Ac ne longa exemplorum serie totam paginam referciam, recognosce quam deplorata saeculis aliquot vitia regnarint in populo iudaico: quae tamen non effecerunt, quin sancta essent et pura sacrificia fidelibus, quae ex Domini instituto et ordinatione celebrabantur. Manebat enim illic accensa lucerna Domini, quae vel in profundissima caligine illis affulgeret. *Zebedaeus* mihi papam obiectavit hoc loco, sed frustra. Deest enim papismo fundamentum, quo suffultum esse volo nomen ecclesiae. Sed in eo lapsus est, quod quum ministerium nominarem, putavit me de qualibet praedicatione loqui: quum ego doctrinam exigerem, qualis demum fundandae ecclesiae sit idonea. Non ergo video cur negemus aliquam illic etiamnum exstare ecclesiae faciem: ut rite illic celebrari possint Domini sacramenta. Interim non infitior gravissimo morbo laborare ecclesiam, in qua impii fidelibus sic permisceantur. Verum inde non sequitur piis non esse puram Domini coenam, quam ex eius ordinatione colunt. At ministros non habent legitimos, per quorum manus sibi distribuatur. Quin etiam periculum est, ne profiteantur his sibi ministros esse quorum dispensationem non aspernantur. Hic diserte pronuncio, nullam hic edi testificationem, qua eorum ministerium approbetur: suadeoque ne tali disceptatione frustra se implicent, quum minime opus sit. Nam nec Caiaphae ministerium aut Christus aut Apostoli approbabant, quum caeremonias cum eo et corruptissimo populo participarent. Sed hoc dabant ordini publico, ut qui locum ministri in ecclesia obtineret, eum paterentur ordinario munere sacerdotis fungi. Scis autem quibus artibus ille in honorem irrupisset. Quid plura? Nisi hanc moderationem teneamus, infinitis schismatibus alii ab aliis dissilient. Nec enim deerunt usquam speciosae schismatum causae. Quod de bonis ecclesiae in verum usum redigendis a vestris impetratum est, dici non potest quanta laetitia me perfuderit. Perge ergo, mi frater, ac talibus principiis insiste. Utcunque non procedant omnia, est tamen aliquid aliquatenus profecisse. Movit mihi risum *Caroli* ad concilium profectio: de quo scilicet cogendo, nunquam serio vel per somnium papa cogitavit. Ergo aliam propagandi regni Christi viam et exspectemus et meditemur.

Psalmos [5]) ideo miseramus, ut prius cantarentur apud vos, quam illuc pervenirent quo intelligis. Statuimus enim brevi publicare. Quia magis arridebat melodia germanica, coactus sum experiri quid carmine valerem. Ita Psalmi duo, 46. et 25., prima sunt mea tirocinia: alios postea attexui. De *Michaële* ita convenit, ut ante pascha dimittatur. De aliis consilium capiemus pro tempore. Nihil hic leviter tentare audeo, ne rudes et imparatos ingeramus. *Claudius* qui Basileae agebat, etiamsi non plane sit sine doctrina, nondum tamen mihi videtur satis instructus. *Gaspar* quoque et solidiorem doctrinam, et maiorem peritiam comparare sibi necesse habet. Ex aliis esse non puto, qui ante annum futurus sit idoneus. Male habet, quod sic *Henricus* a patre destituitur. Si qua ratio iniri a vobis poterit, effice quaeso, ut eius studiis prospiciatur. Dignus est cuius habeatur ratio: praeter initia quae habet in literis, multum mihi eius modestia promittit. De bonis ecclesiasticis quia putabam te meminisse quale foret meum consilium, scribere supersederam. Verum ut paucis verbis expediri potest, ex supervacuo adiici malo, quam abs te desiderari. Mihi ergo haec legitima videtur ordinatio, ut quatuor onerum generibus

5) *De hoc loco cf. Prolegg. T. VI. p.* 18.

sustinendis assignentur: nempe ut pars alendis ministris, pars pauperibus vel alendis vel sublevandis, pars scholis tuendis sit attributa. Quod reliquum erit in sumptus extraordinarios reponatur. Multa enim incidunt negotia quibus explicandis necessaria sit pecunia. Vale optime et integerrime frater. Nostri omnes te amicissime salutant, praesertim *Michaël* et *Gaspar*. *Laurentius* nescio quomodo nonnihil a me alienatus est. *Claudius* deinde et *Henricus*. Alios non nosti Gallos, tametsi incognitum te amant ex animo. *Capito* anxie rogavit ut se excusarem: nec desiisset torqueri, nisi recepissem te contentum fore mea excusatione. *Sturmius* quoque te amicissime salutat, et *Bedrotus*. Vides ut alius post alium in mentem veniat. Argentor. 19. Decemb. 1539.

201.

CALVINUS FARELLO.

Varia et novissima tractat: conventum Arnstadtiensem, disciplinam instituendam, Caroli et aliorum res, sua ipsius cum bibliopola Genevensi negotia, leges scholasticas Argentoratensium.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 106, fol. 51. Recentiora exemplaria exstant ibid. Cod. 111, fol. 27. Bern. Arch. Epp. VI. p. 41, et Turici ap. Simler. Vol. 47. — Beza, ut videtur, prelo destinabat sed quum iam plura cancellasset, ne evulgarentur, a proposito destitit. Sic uncis inclusum est initium et linea inducta damnatum, usque ad verba: *eius salus*. Tum paucis servatis, ea quae leges a verbis: *Caesar exercitum*, ad illa: *bello parta fuerit*. — Anglice legitur ap. B.-C. Tom. I. p. 144.)

Fratri meo carissimo Gulielmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori. [1])

Hodie a concione *Fatinus* [2]) se abiturum denunciavit, quum ego ad coenam vocatus essem ab amico, unde redii multo post octavam bene refectus. Habebis ergo literas ut ab homine ad scribendum non satis soluto et vacuo. Sanctum illum fratrem [3]) esse exstinctum, mihi perinde dolet ut par est. Quando tamen ita contigit, gaudeo nuncium [4]) de eius morte tuis literis mihi esse confirmatum, quo possim certius asserere. De *Michelio* nondum fuerat sumptum supplicium circiter finem Novembris quo tempore per literas mihi commendata est eius salus. *Sturmius* noster e conventu [5]) rediit. Quid actum sit nescitur. Coniicimus tamen aliquid magni portendere hoc silentium. De fratribus fuisse propositum, retulit, sed nullis fuisse visum hoc tempore tam alieno legationem mittere, quae nihil quam regis animum exacerbaret. Videntur isti duo principes [6]) serio conspirasse ad res magnas moliendas. *Caesar* exercitum non procul hinc scribit. Praetexuntur urbes quae desciverunt, sed apparet totam belli molem in *Gueldrium* destinari. Ille vero neque ab *Anglo* deseretur, neque a *Saxone*. [7]) Quid societatis habeat cum nostris, et an omnino habeat incertum est. Apud Venetos duo fuerunt legati missi, Marchio *Guastensis* et Mareschallus *Annebault*, ad repetenda oppida quae ex ducatu *Mediolanensis* [8]) direpta illi occupant. Videntur feciales magis mihi esse quam legati. Aut omnes coniecturae fallent, aut videbimus brevi totam Europam bello conflagrare. Nam et septem pagi fremere iam dicuntur; nostris nulla est spes pacis, nisi quae bello parta fuerit.

De disciplina bene facis quod urges. Sed quum omnia diligentius expendo, nescio an constitui queat nisi consentientibus ecclesiis. Optandum ergo inprimis est, ut aliquando ea de re in deliberationem conveniant ecclesiae. Atqui videmus quam bene id procedat. [9]) Erat tenuis disciplinae forma Basileae. Ea iam dimidia ex parte pessumdata est inter istas contentiones. Sic profecerunt *Myconius* et *Grynaeus* illa sua quam imaginantur christianae libertatis propugnatione. Si [10]) tamen erit otium et opportunitas, hoc vere ego istuc me conferam, ut simul deliberemus an aliquid tentando possimus assequi. *Capito* ad Bernates, ut iussisti, scribet, ego ad fratres nostros. De *Carolo* videor satis prolixe nuper scripsisse vobis. Tametsi nihil de homine boni spero, impedior tamen consensu ecclesiae quominus habeam pro desperato. Exspectabimus quomodo se geret ubi nunc est. *Rognacus* mihi per literas est pollicitus huc se propediem venturum. Tunc omnia resciscam. Si poterimus illum arguere malae fidei, non est quod speret sibi posthac inter nos locum. *Gaspar* supra modum est anxius animi, quia quum fecerit aeris alieni aliquantum quo studii tempus prorogaret, nunc nummum nullum habet quo se ad duos tantum menses sustinere queat. Nam id tempus sibi statuerat. Si posset aliunde tantum pecuniae illi conflari, consultum bene illi esset.

201. 1) *Farellus adscripsit:* 31. Decembris 1540. *i. e.* 1539 *secundum nostrum computandi modum, anno tum temporis die Natali dominico incipiente.*

2) *Cl. Fatin, de quo v. Herm. IV.* 333.

3) *Intercidit ergo ep. Farelli in qua de hoc fratre, iam ignoto.*

4) the messenger has confirmed.

5) *Iacobus Arnstadtia.*

6) *Caesar et Rex* (*Ranke, IV.* 137 *seq.*).

7) *sc. sororum ducis Gueldriae et Cliviae maritis.*

8) *Apographa sine necessitate emendant:* Mediolanensi.

9) how very necessary it is.

10) If we can deliberate together, let us try whether somewhat may not be accomplished.

Michael Genevensis bibliopola mihi indicavit, se quod reliquum erat ex meis libris istuc misisse cum vestibus fratris mei. Si ad te pervenerint aperies dolium, et si qui libri vendi poterunt vendes, reliquos curabis quamprimum Basileam perferendos. Deinde quoniam conqueritur librum meum non esse vendibilem,[11]) et se pluribus exemplaribus onerari quam sibi expediat, rescripsi ut centum ad te transmitteret exemplaria quae ego in fidem meam recipio. Si fecerit, protinus mihi indicabis. Hac difficultate me implicare malui quam ut fides mea periclitetur. Posthac vero alium quaerat oportet qui sua causa tantum sucipiat negotii.

Ego eandem hic petulantiam experior quam apud vos in plerisque esse quereris. Latae sunt nuper leges quaedam scholasticae[12]) quibus disciplina coerceantur qui studendi causa hic sunt. Ex nostris Gallis, adeoque ex iis qui mecum habitant, nonnulli prorsus insaniunt. Cras denunciabitur ut abeant nisi parere velint. Neque dubito facturos. Unde intelligis quam bene affecti huc venerint: hoc est scilicet, licentiam omnes captant. Quo magis advigilandum est nobis ne desit ecclesiae reverentia et autoritas, ad improbas cupiditates subigendas. Quanquam certe video aliquid indulgendum esse hominum stultitiae, neque sic intendendum rigorem, ut non aliqua in re ineptire illis liceat. Saluta mihi plurimum fratres omnes. *Corderio* etiam me excusa, quod in praesentia nihil ei respondeam. Argentorati, pridie Calendas Ianuar.

Calvinus tuus.

Quod primo loco faciendum erat tametsi praeterii, ut te nobis restitutum gratularer, non ideo factum est quod minus gaudeam. Nam dum cogito quantum in uno homuncione positum sit momenti, non possum de vita tua non esse mirum in modum sollicitus. Itaque ex quo morbi tui rumor huc perlatus erat, nullum mihi momentum iucundum fuit, donec te revaluisse intellexi. Itaque tale gaudium ex tuae sanitatis nuncio percepi quale is potest[13]) qui ex diuturna aegritudine liberatur.

11) *Quippe quem ipse excudere maluisset quam ab alio excusum in commissis habere.* (*N.* 186.)
12) *Schmidt, Sturm p.* 39.
13) patitur *Cod.* 111. *Bern. Siml. Anglus.*

202.

IMAGO PROPHETAE.

In locupletissima et celeberrima bibliotheca alsatica quam olim collegerat civis noster Fridericus Carolus Heitz typographus, paucis abhinc annis vita defunctus, invenimus schedulam exhibentem viri cuiusdam barbati imaginem, qui tunica vestitus simplicissima, caeteroquin omnino nudus, crucem ligneam dextra tenens, vocem: POENITENTIAM AGITE *ore emittit. E regione sub titulo:* Bildtnüs eins newen Propheten, ausz Franckreich herbracht, vnd jetz erstlich inn Deutschen landen ausgangen, *leguntur plurima scripturae loca tam veteris quam novi testamenti ad poenitentiam exhortantia. Infra istam figuram autem scriptum est:* Dis ist die bildnüs vnd controfeitung eins heiligen mans, seines alters setzigjaerig, der sich jetzt heltet zů Mompelgart, ein stat inn Deutschland, gelegen acht meilen von Strasburg. Diser man aber ist gerad von leib, hat ein grawen bart, der jm bis uff den gürtel reicht: geht garnach blos, prediget vnd haltet taeglich ein Messe, desgleichen thůt er auch vil wunderzeichen, aus welcher verwunderung bekeret er zům glauben die verderbte ketzer vnd sinnlosen Lutheraner. Mit begnadigung. Ist feil zů Paris inn S. Iacobs gassen zům guldenen morselstein bei Vinian Gautherot 1539. *Alterum folium occupat sequens textus germanicus, Calvinum autorem, si quidem subscriptioni fides habenda, agnoscens. Est autem monitum plebi destinatum, quo ne sibi illa scriptiuncula insulsa et perfida fucum fieri patiatur, vera homuncionis pseudoprophetae historia narratur. Nisi omnia nos fallunt hic propheta ille ipse est de quo Tossanus supra N. 176 not. 1.*

Gnad vnd frid von Got, durch vnseren herren Iesum Christum, allen fromen christen.

Dise bildnüs, mit denen sprüchen der schrifft, vnd der anzeige, wie diser Prophet solle gestaltet sein, predigen, wunderzeichen thůn, vnd die Lutheraner von jren jrthumben bekeren, hat man zu Paris gedrucket, vnd alle die gut Päpstisch sein woellen, hefften sie an jre thüren vnd laeden, Vnd ist ein grosse freud, das sie ein solchen verfechter des Papstumbs, vnd bekerer der Lutherischen vberkomen haben. In dem sihe aber, fromer Christ, wie die leut woellen verfüret sein, vnd wie das den Oberkeiten so wenig zů hertzen gange. Wie war es ist, das Moempelgart bei acht lieues, das ist als fil als vier gering meilon, von Straszburg ligt, so war ist das auch, das er fil wunderwerck thů, vnd die Lutheraner vff seine vnd seines Papst lugen wider verkere. Das ist aber war das diser arme mensch erstlich bei Genff in Soffoy sich diser

besonderen gleisnerei angenommen hat, vnd gewoellet ein newer Busprediger sein, in einem dorff heisset Monte[1]), trûge ein gantz lang haar vnn bart, vnd ein rock der jm schier eine halbe ele nachgieng Wohnet in einer hûlen, wie ein keller, darüber doch ein klein hütlin war, name sich an er schlieffe vff blosser erden. In dem loch ist er aber etliche mal ergriffen worden in leichtsinnigen zechen mit seinen Bûszdoechteren. Man glaubts aber denen nit die jn ergriffen hetten, bis dz er zwo derselbigen Buszjüngerin, Penitentialium, so nennet er sie, schwengerte. Da das ausbrochen, hat der h. new Bûsprediger mit seinen Bûszdoechteren die flucht geben, vnd ist komen, erstlich in Wallis, da er sein bûborei auch angefangen, aber nit künden, wie in Soffoy, verschlagen, das er da dannen bald hat entweichen müssen. Demnach solle er sein abentheur auch in Lotringen versuchet, aber in keinen glauben haben bringen moegen. Zû letst hat er sich in Burgundi gethon, da er sein betrug besser angericht, das er noch bei etlichen ein ansehen hat, nemlich bei den einfeltigen. Schreiet seer wieder die, so gern den waren glauben an Christum vffbrechten, Nimet vil gelt in dem schein als ob ers den armen geben, Aber man findt das er jm selb das mehrerteil behaltet. Nachdem er nun des orts ein gros geschrei vnd zûlauff erwecket, hat sich zû jm gethon Petrus *Tusanus* ein fromer gelerter vnd durch fil grosse creutz bewerter prediger des Evangeli zû Moempelgart, seine predig gehoeret, die er in einer grossen todtenbegengnüs eins Edelsmans gethon, in deren er, weil er dis predigers innen was worden, seer hefftig aber on allen grund wider die reine lere des h. Evangeli geschreien hat. Als jn aber der prediger, nachdem er aus der kirchen gieng, des zû rede gestellet, hat er sich mit jm in rede nicht wöllen einlassen, sagte, es gebüret jm nit vom glauben zû disputieren, on erlaubnus der oberen des lands Burgundi. Wie aber der prediger jm doch verwisse, das er hette doerffen predigen, Christus hette für der alten, nit aber für vnsere sünde genûg gethon, sonder wir müsten dieselb abtragen mit eigner penitentz, vnd durch die Messen, verdienst der heiligen vnd dergleichen, Gabe er jm die antwort, wie Christus hette seine sünd bezalen künden mit seinem tod, er were doch dazumal noch nit vff erden gewesen, vnd da der prediger schrifften dawider fürwarffe, sagte er sie stünden nit in der Bibel, vnd schalte den prediger hefftig. Des stimeten jm seine pfaffen zû vnd das bethoerte volk. Also mûste der gûte prediger disen armen leutlin jren verfûrer lassen. Der herre erbarme sich jren vnd aller deren denen das heilsame Evangeli mit solchen tücken vnd gewalt abgewandt wurt. Vnd bedencke ein jeder fromer Christ, was das für ein erschröckliche grausame plage Gottes seie, vnd verderbliche blindheit, das solchen groben lugen so fil statt solle gegeben werden, zû Paris in der so berhümbten hauptstat eins solchen herlichen, vnd wann der name gelten solle, des allerchristlichsten koenigreichs, da die allerhoechiste hohe schûl, vnd die gelertisten Theologen sein sollen, Dan warlich die Weh, so sie wider vns anzogen, über sie gehn. Der Herre gebe es jnen zû erkennen, vnd helffe jnen. Amen.

Ioannes Calvinus.

202. 1) *Vielleicht Monnetier auf dem Mont Salève.*

203.

CALVINUS SYLVIO.[1])

Interpellat eum de modo quo pro concione de coena disseruerit ut auditores quidem carnalem corporis Christi praesentiam asserere eum voluisse putarent. Multis aliis argumentis et proposita Melanthonis autoritate eum ad meliorem frugem revocat et ut paci ante omnia studeat hortatur.

(Ex autographo Genev. Cod. 106, fol. 41 cuius apographa reperies ibid. Cod. 111, fol. 44 et in Arch. Bern. Epp. VI. p. 53. Ruchat, V. 521.)

Gratia tibi et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo.

Significatum est mihi, primum rumore ipso, deinde quorundam literis, te istic nuper non parvae offensionis vel causam vel certe occasionem praebuisse, quum pro concione ita de coenae mysterio loquutus esses, ut carnalem sub pane inclusionem corporis te velle asserere omnes putarent. Hac de re a fratribus appellatum, ut rationem redderes, detrectasse ac causa adhuc integra provocasse Bernam ad maiorem cognitionem, cui docti viri interessent, qualis est *Melanchthon* et eius similes. Id quanquam mihi videbatur non modo ab ingenii tui mansuetudine alienum, sed per se quoque valde absur-

203. 1) *Duplex epistolae apposita est inscriptio, neutra Calvini manu, altera:* C. Farello 1540 *altera:* Ad Ricardum Sylvium. *Ad Farellum non pertinere vel cursim legenti patet. De anno certi nihil definiri potest, nisi quod ante Wormatiense colloquium scripta videtur, siquidem Calvinus ubi Melanchthonem autorem commendat, cuius sententiam coram loquentis exce erit, solum Francofordiensem conventum memorat. Cf. Ruchat, V. 156. Hottinger, p. 744. Caeterum Rich. Du Bois V. D. M. Paterniaci (pays de Vaud) erat.*

dum, quia tamen verisimile erat non de nihilo fuisse ortum hunc rumorem, officii mei esse putavi apud te quam primum intercedere, ut si qua ob id inter te ac fratres dissidii semina iam sparsa sint, protinus omni studio atque opera exeidere ea contendas antequam ad malam frugem perveniant. Id autem mihi licere non dubitavi, quum pro in te amicitiae nostrae veteris,[2]) tum pro fraterna quae inter omnes Christi servos esse debet, necessitudine ac coniunctione. Praecipue vero mihi animum fecit illa quam semper ostendisti amicae erga me voluntatis significatio: quam sic demum non fuisse fallacem arbitrabor, si quod in amicitia praecipuum ac maxime necessarium est mihi permittas, nempe liberas admonitiones. Ego certe, nisi te amarem ex animo, vel a monitionibus in totum abstinerem, vel alio styli genere uterer. Quo magis videndum est tibi ut fiduciam hanc de tua sinceritate non temere fuisse a me conceptam re ipsa comprobes. De dogmate non possum tecum disceptare, quia nescio quale fuerit, nisi quod tibi testatum esse volo, me nolle cum iis litigare, qui veram corporis ac sanguinis Domini communicationem in coena statuunt: quin potius omnes, apud quos vel gratia vel autoritate valeo, assidue hortor, ut in ea diserte commendanda et illustranda quanto possunt studio elaborent. Neque vero mihi unquam placuit eorum consilium qui in evertenda localis praesentiae superstitione nimis occupati verae praesentiae virtutem vel elevabant extenuando, vel subticendo ex hominum memoria quodammodo delebant. Sed est aliquid medium quod ita tenere possis, ut neque videaris deflectere ad prodigiosa illa papistarum deliria, neque tamen dissimules veram participandae Christi carnis rationem. Quod si catenus tibi moderatus es, miror unde nata sit offensio. Existimabam enim, veritatem esse inter omnes istic fratres magis stabilitam, quam ut parere novas controversias adhuc deberet. Quid enim tot synodis de hac re habitis profectum est, si nullam nobis consensionem attulerunt? Equidem fieri posse non dubito ut alius alio rem acutius ac perspicacius cernat, alius etiam id quod cernit alio clarius et expressius eloquatur. Sed mihi incredibile est ullos esse inter vos hodie fratres qui indigne ferant, communicationem carnis Christi, quae in coena fidelibus exhibetur, perspicue enarrari. Neque id dicitur in concione tua adversis auribus acceptum esse, sed quod visus sis nescio quam localem praesentiam comminisci, quam merito pii omnes detestantur, si quid theologiae intelligo. Praeterquam enim quod huic errori tota scriptura palam adversatur, ab eo quoque longe alienum fuisse veteris ecclesiae sensum, videre promptum est. Sed fac tibi nunquam in mentem venisse: quoniam tamen vel temere insedit hominum animis suspicio, non importune faciunt fratres quod offendiculo remedium quaerunt. Tu vero, qualiter excusare queas quod tanta confidentia persititeris in tua opinione, videris. Ego certe, si verum est quod audio, minus te praestitisse puto quam debueris caritati. Doctis ac exercitatis viris satisfacere paratus es: atqui ubi erit illud apostoli, debitores nos esse rudibus non minus quam peritis? Fingamus omnes, qui rationem abs te exigebant, fuisse indoctos idiotas, quod certe de fratribus classis tuae nunquam tibi concedam: quo tamen praetextu, imo qua fronte, ab illa obligatione te eximes, cui se tantus apostolus subiecit? At praepostere iudicabunt. Primum tuum est experiri, cessurine sint veritati ubi de ea edocti fuerint, an obstinatis animis perrecturi? Deinde quam iniquus futurus es, non dico tantum fidelibus sed et Christi servis, et ecclesiae pastoribus et collegis tuis, si ita eos contemnas, ut nihil aequi aut recti ab eis exspectes? Postremo aliud est studere iusta satisfactione placare animos fratrum, aliud . . .[3]) iudicio stare. Si alius ita respondisse diceretur ut de te ferunt, putarem magnorum nominum obtentu data opera voluisse fratribus illudere. De te melius sum persuasus, cuius moderationem videor habere perspectam: sed ipse, quaeso, cum animo tuo reputa quid haec verba sibi velint: Veniant *Bucerus* et *Melanchthon* ut apud eos causa haec tractetur. Mihi certe, dum a moribus tuis paulisper cogitationem averto, plane significant, te alios omnes tanquam parum idoneos cognitores aspernari. Id quod nunquam lego factum nisi ab iis qui, ut iudicium ecclesiae subterfugerent, fucum facere volebant. Ita, fateor, meriti sunt tales viri ut sit illis supra vulgarem modum nonnihil deferendum, extremaeque vel impudentiae vel contumaciae vel stultitiae fuerit nihil illis plus tribuere quam aliis quibuslibet: sed non impedit eorum excellentia, quin manere quoque apud inferiores ordines debeat sua autoritas. Quorsum enim illa politia inter vos instituta, nisi pro se quisque tanquam ecclesiasticum iudicium revereatur quod a fratrum consessu prodierit? Intercedunt quidem permulta quae maiorem cognitionem desiderent, neque te impedio quin ad ecclesias provoces, quoties ius tuum, id est Christi, apud vestrum collegium non impetrabis: sed utcunque tibi agendum est, ut si qua in re tibi iniurii sint vicini fratres, ad maius ecclesiae iudicium vocentur, et tamen ministerii tui rationem illis approbare, quantum in te est, studeas, ne disciplinae ordinem abs te violatum conquerantur. Age ergo,

2) *An iam in Gallia inter utrumque conciliatae?*

3) *compendium hic scripturae exstat* pro *signo superposito parum distincto. Nescimus an legendum sit:* pravo *aut* privato.

frater mi, ultima potius omnia experire, quam ut pacem ecclesiae tua culpa perturbes, quae constare nequit nisi salva disciplina. Habes in classe tua fratres non contemnendos, sive doctrinam respicias, sive studium pietatis, sive sinceritatem. Si quid in ipsis desideras, cogita te nondum eo pervenisse ut nullis vitiis labores. Ita demum facies morbos tuos aliis tolerabiles, si vicissim patienter eos feras quos in ipsis animadvertas. Utinam semper nobis bene succurreret quantae sint pestes, doctrinae et animorum dissidium. Nemo nostrum esset qui non utrumque peius morte exhorresceret. De dogmate ipso, ut mecum amice conferendi viam tibi aperirem, describendos tibi curavi articulos,[4]) quibus tibi sanctissime promitto consentaneam esse *Philippi* mentem. Illos enim ad eum miseram, quo expiscarer an aliquid esset inter nos dissensionis. Antequam responderet conveni eum Francofordiae:[5]) testatus est mihi nihil se aliud sentire quam quod meis verbis expressissem. Proinde obtestor te, mi frater, iterum atque iterum, ut si tibi propius scopum videris attigisse, conferre mecum ne graveris. Interim pacem et amicitiam colas cum optimis tuis fratribus, quibus magna ex parte non dubito tribuere hoc elogium. Exspectabo avide tuam responsionem, qua utinam mihi renuncies, quidquid fuit inter vos dissensionis esse iam bene compositum. Vale, frater integerrime, ac mihi vere in Domino dilecte, cum omnibus symmystis vestri collegii. Dominus Iesus vos spiritus sui virtute ad opus suum recte peragendum instruat.

4) *Cf. N.* 164, *not.* 4.

5) *Vere a.* 1539.

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.